IOH. MICH. LANGGUT ... IN ILLUSTR. DN. HENRICI DE COCCEII...

Johann Michael Langguth,
Heinrich : von Cocceji

)H. MICH. LANGGVT, JCTI,

AVL. REGIM. ET CONSIST. CONSIL.
SAXO - DVCAL.

IN

ILLVSTR. DN.

HENRICI DE COCCEII

'RVDENTIAM JVR. PVBL.

NIMADVERSIONES

CVM

ILLVSTRANTES,

TVM

EMENDANTES.

JENÆ,

›VD JOH. MATTH. KALTENBRVN

M DCC XXI.

Ad Lectorem.

Tria ſunt, quibus juris publici Germanici ambitus poſſimum abſolvitur, hiſto-
a Germanica videlicet,
s publicum commune o-
mium rerumpublicarum
entiumque, & leges Im-
erii, quas fundamentales
ocant; quarum partium

)(2 po-

poſtremam tantum fere ſibi tractandam ſumſerunt, qui ante Illuſtrem Dominum de Cocceji jus publicum Germanicum contractum ob oculos ponere aggreſſi ſunt, reliquis duabus, quas priori loco poſui, vel omnino prætermiſſis, vel leviter tantum tactis, nec certo ordine diſpoſitis. Quanquam autem ultro concedo, potiſſimam juris publici particularis partem eſſe, quæ legum fundamentalium notitia conſtat; nemo tamen, idoneæ harum inter-

pre-

ꝯ (*) ꝯ

pretationi & hiſtoriam Germanicam & jurium officiorumque, quæ tum ad imperantes tum ad parentes generatim pertinent, ſcientiam maxime neceſſariam eſſe facile inficias ibit. Quod prædictus Vir Illuſtris exacto, quo polluit, judicio perpendens, jam memoratas juris publici Germanici partes paulo curatius combinare & juſto ordine digerere ſumma ope annifus eſt. Nec conatus eventum deſtituit, ſive rerum ubertatem, ſive tractandi methodum

dum ſpectes; ſiquidem mira verborum brevitate omnia, quæ ad juris publici noſtri elementa pertinent, ordine adeo accommodo exſequutus eſt, ut hactenus neminem ſibi parem habere videatur. Quæ cauſa eſt, quare, cum ante biennium & quod excurrit, multiplici exercitatione forenſi, cui antehac duodecim annis vacavi, relicta, in hanc Academiam, divino Numine accurante, me conferrem, & perplurium diſcendi avidorum rogatu privatam juris publi-

blici interpretationem in me reciperem, Illuſtrem Dominum de Cocceji ductorem elegerim. Cujus facti me nec piget, nec pœnitet; etſi non neſciam, eum a quibusdam vapulare, propterea, quod ſubinde juris Romani autoritate uſus ſit. Præterquam enim quod ſuus cuique mos, nec adhuc, qui omnibus omnino placeat, natus eſt; amplius inſtitutum hoc mihi a juris publici particularis docendi ratione nequaquam alienum videtur, ubi vel commune

gentium jus ex Romano-
rum legibus illuſtratur, vel
Procerum Germaniæ ſin-
gulorum, qui privatorum
jure utuntur, res agitur. Fa-
teor tamen, Illuſtri Autori
idem alicubi accidiſſe,
quod aliis rerum novarum
inventoribus evenire ſolet,
ut ſcilicet poſteris quædam
relinquant, in quibus hi in-
duſtriam ſuam exerceant;
quæ tamen ita temperari
debet, ut primo inventori
laus ſua & honos decens u-
bique conſervetur, nec de
eo quicquam ab ullo per
injuriam detrahatur, etſi in
una

una vel altera parte erraſſe videatur, quia inventis aliquid addere vel demere facile eſt, neque adeo glorioſum haberi poteſt. Quare nemo mirari debet, quod in juris publici prudentia Coccejana ſubinde quædam occurrant, quæ vel inter ſe diſcordare, vel a purioribus veritatis fontibus deflectere videntur. Et quanquam alias audaciæ notam vix effugere ſoleant, qui magnorum virorum, quibus Illuſtris Dominus de Cocceji ob inſignia in rem publicam lite-

terariam merita, dudum aſſociatus eſt, errores publice ob oculos ponere ſatagunt; ego tamen, apud cordatos hujus rei æſtimatores facile veniam me impetraturum ſpero, etſi paſſim ab Illuſtris Autoris ſententia ſeceſſionem feci; cum ubique ei debitum honorem ſervaverim, meque a convitiis temperaverim, neque ægre laturus ſim, ſi amici ejus pro ſententia contraria tuenda eandem libertatem adverſus me ſumant, qua ego in Illuſtris Autoris juris publici

ci fundamentis dijudicandis in his Animadverſionibus uſus ſum; dummodo modeſte mecum agant, & rationibus magis, quam verbis vel conviтiis pugnent; a quo pravo diſputandi more Ipſe Illuſtris Autor, cum adhuc in vivis eſſet, longiſſime abſuit, dum quotiescunque ei cum adverſariis ſuis congrediendum fuit, hos modeſtiſſime habuit, nec unquam ad fœdas criminationes dilapſus eſt. Quibus accedit & alia ratio, quæ me a jactantiæ vanitate facile

cile excuſare poteſt, mos Academicus videlicet, qui mihi has Animadverſiones evulgandi neceſſitatem impoſuit. Cum enim ſingula juris vel publici vel privati Collegia intra tempus ſemeſtre finire debeant, qui docentium vices ſuſtinent, ni Auditoribus tædium & remoram creare velint; & vero ea temporis anguſtia vix Illuſtri Autori explanando, nedum notis calamo tradendis & excipiendis ſufficiat; nec mihi nec Auditoribus aliter conſulere potui, quam ut Animadverſiones meas typo exſcribi ſinerem, quod multi eorum a me inſtanter petierunt, cui petitioni eo libentius annui, quia hoc pacto & dictandi moleſtiis poſthac exoneror, & tempus, explicationi Illuſtris Autoris neceſſarium, lucror. Uti vero Animadverſiones has unice in Auditorum meorum gratiam conſcripſi; ita & ad captum eorum ubique me

ac-

accommodavi, neque adeo, quantum ad res hiſtoricas, ipſos Scriptores antiquos, qui in paucorum manibus ſunt, allegare, ſed tantum recentiores quosdam nominare debui, qui magis vulgati ſunt; & autoritate veterum nituntur, ut proinde ab iſtis ad hos facile excurrere poſſint, quibus id volupe eſt. Ceterum ob nimiam feſtinationem vitia typographica non pauca irrepſerunt, quorum potiora, quæ aliud quaſi agendo obſervavi, in calce hujus libelli adnotata ſunt; quæ reſtant, benevolæ Lectoris correctioni relinquo, & nunc ad juſtum Codicis compendium perficiendum, quod nuper inchoavi, propero. Dabam Jenæ, d. 26. April. anni 1721.

INDEX CAPITUM.

Cap. Pag.
I. De Jure publico Romano-Germanico in genere. 17
II. De diverſitate territorii Romani ac Germanici & de hujus finibus. 30
III. Hiſtoria VII. Provinciarum Germaniæ VI. Sectionibus diſtincta.
Sect. I. de Bavaria. 37
Sect. II. de Svevia. 43
Sect. III. de Saxonia. 46
Sect. IV. de Moravia & in genere de Slavis. 67
Sect. V. de Vandalia ſeu Marchia. 74
Sect. VI. de Francia. Et VII. de Provincia Rhenenſi. 83
IV. De Juribus Provinciarum Germaniæ ſeu de Circulis hodiernis. 98
V. De Acceſſionibus Regni.
Sect. I. de Terris Franciæ Germanicæ quæſitis. 112
Sect. II. de diviſione Regni Francici, & novis inde acceſſionibus Germaniæ. 116
Sect. III. de Exemtionibus. 128
VI. De Regno Italiæ & Imperii Romano: ubi de utraque Sicilia. 136
VII. De forma regni & Imperii Romano-Germanici. 160
IIX. De Rege & Imperatore Romanorum. 180
IX. De Terris Regni immediatis. 198

X. De

Cap. Pag.
X. De Summis Regni Officiis & ſpecialiter de Archi-Cancellariatibus. 216
XI. De Officiis Aulicis Regni in genere. 221
XII. De Archi-Officialibus regni ſeu Electoribus ſecularibus: ubi demonſtratur, numerum Septemvirorum, nulla lege definitum, ex ipſis rationibus Reip. Germanicæ ultro fluxiſſe. 225
XIII. De Novis Officiis, Archi-Theſaurarii, & Archi-Vexilliferi; & de Vexillo Imperii. 235
XIV. De Juribus Archi-Officiorum. 240
XV. De Officiis reliquorum Statuum Regni.
Sect. I. de Statuum Officiis, poteſtate, Juribus, & Ordinibus in genere. 249
Sect. II. de primo Ordine Principum 255.
Sect. III. de altero Ordine, der Herren, & Juribus utrique ordini communibus. 265
XVI. De Vicariis Imperii. 274
XVII. De Civitatibus Imperii. 290
XIIX. De Statu Imperii Eccleſiaſtico.
Sect. I. de Ordine Eccleſiaſtico Togatorum. 298
Sect. II. de Ordinibus Equitum Eccleſiaſticorum. 321
XIX. De Statibus Imperii. 325
XX. De Comitiis Statuum Imperii. 331
XXI. De Juribus Majeſtatis & Regalibus in genere. 348
XXII. De Juribus Majeſtatis & Regalibus circa

Cap. Pag.
ca ſacra. 369
XXIII. De Juribus Majeſtatis & Regalibus circa ſecularia.
Sect. I. de Regalibus majoribus. 376
Sect. II. de Regalibus minoribus. 399
XXIV. De Juribus reſervatis. 418
XXV. De Nobilibus Immediatis. 421
XXVI. De Juribus Illuſtrium ex pactis. 426
XXVII. De Juribus maſculorum Illuſtrium, ubi de Succeſſione, Primigenitura, Apanagio. 434
XXIIX. De Juribus fœminarum Illuſtrium. 441
XXIX. De Juribus utrique ſexui communibus; ubi de Tutela &c. 447
XXX. De Oneribus Imperii. 459
XXXI. De Civibus mediatis. 468
XXXII. De Judiciis; ubi de Auſtregis &c. 473
XXXIII. Additiones & Monita circa Hiſtoriam Palatinam & Tutelam Electoralem. 501

Q. D. B. V.

by Google

Q. D. B. V.

Ad Prolegomena.

§. I.

R*Erum geſtarum*) quas, bellicas præſertim, multis laudibus evelit Tacit. *de Mor. Germ. c. 37.* add. Idem *l. 4. Hiſt. c. 73.* & Autor *inf. c. 2. §. 13. & 14.* & præterea abunde teſtatas faciunt populi perplures, Germanorum virtute bellica ſuperati imperioque eorum, aut ſubjectionis aut fidelitatis ſaltem lege, adjecti, de quibus *vid. inf. c. 3. ſect. 4. & 5 it. c. 5. & 6.*

2. *nullos initio)* cum nimirum cultui dæmonum adhuc dedita eſſet. Eo enim tempore tam patriis, quam peregrinis litteris fere caruerunt Germani, rei maxime bellicæ publicæque intenti, litteras vero ſcholasque negligentes, easque infra virtutem bellicam putantes, *add. §. 4. hic & §. 54. inf c. 3.*

 3. *deinde*)

3. *deinde*) poſtquam videlicet ſacris religionis Chriſtianæ initiata eſt. Ex eo ſiquidem tempore potiſſimum litteræ ſcholæque in Germaniam invectæ ſunt, resque ejus primum a Francis, deinde a reliquis quoque Germanis memoriæ prodi cœperunt, & latina quidem lingua non patria, ob hujus difficultatem, ut quidem exiſtimat Lehmann *Chron. Spirenſ. l. 2. c. 45.* quæ cauſa quoque fuiſſe cenſetur, quare annales veteres Germanorum fere omnes, auctores habeant clericos, ut linguæ latinæ peritos, cum contra laici plerique omnes ejus primis iſtis temporibus rudes eſſent, ut alias cauſas nunc omittam, adde infra *c. 3. §. 54.*

4. *rudes imperitosque*) ſiquidem jam eo tempore, quo Germani ipſi annalibus hiſtoriisque ſcribendis operam dare coeperunt, ubique fere maxima litterarum barbaries invaluerat.

§. 4. *vel ſaltem Græcis*) quibus tamen minor fides habenda quam Romanis. His enim, ab ævo præſertim Julii Cæſaris, crebra cum Germanis bella, aliaque commerciorum genera fuerunt, unde iis optima res Germanicas perſcrutandi occaſio obtigit, qua & ſedulo uſi ſunt; cum contra Græcis nulla cum Germanis bella aut commercia, & præterea hi ab illis longius remoti eſſent. Ut ne omittam, tum temporis tabulas Geographicas, ex quibus Græci notitiam accuratam regionum Germaniæ haurire potuerint, defuiſſe.

2. *carmina antiqua*) quæ germanica lingua Heldengeſänge nominantur, quibus maxime in prælium ituri, virtutis bellicæ accendendæ cauſa,

Ger-

Germani veteres uſi leguntur apud Tacit. *de Morib. Germ. c. 3.*

§. 5. *indigenas*) ſeu aborigines, quibus ex adverſo advenæ & peregrini reſpondent. dicti autem ſunt ſcriptoribus Gentilium, hiſtoriæ ſacræ de prima hominum origine ab uno mare unaque femina, expertibus, aborigines, αὐτόχθονες & indigenæ inde, quod exiſtimarent, poſt creatum mundum in unaquaque ejus regione certam hominum multitudinem, fungorum inſtar, e terra prodiiſſe. Cui opinioni Tacitum quoque acceſſiſſe, ex loco hic citato facile intelligitur. Nobis Chriſtianis autem, e divina hiſtoria meliora edoctis, indigenæ, aborigenes & αὐτόχθονες dicuntur, qui per tempus, cujus initii memoria non extat, regionem aliquam incoluerunt, & de quorum ex alia terræ parte adventu non conſtat, ut ſunt Germani.

2. *equidem primitus*) non tantum Germani, ſed & reliqui Europæ, Africæ, Americæque populi, Aſiæ, tanquam originis communis, reſpectu, advenæ ſunt & peregrini; at inita originis propriæ ratione, Germani pro indigenis utique tamdiu habendi ſunt, quoad, eos aliunde, quam ex Aſia, adveniſſe, non demonſtratur. Nec officit, Boios a Gallia, ut nos quidem *inf. ad §. 16.* oſtendimus, & præterea Venedos ſeu Slavos e Sarmatia in ſedes Marcomannorum & Vandalorum vacuas, indubitas Germaniæ terras, admiſſos eſſe, quod docet Auctor *inf. c. 3. ſect. 4. & 5.* Præterquam enim, quod, quando de Germanorum origine propria quæritur, non populorum ſingulorum, ſed univerſorum ratio

3. *deinde*) poſtquam videlicet ſacris religionis Chriſtianæ initiata eſt. Ex eo ſiquidem tempore potiſſimum litteræ ſcholæque in Germaniam invectæ ſunt, resque ejus primum a Francis, deinde a reliquis quoque Germanis memoriæ prodi cœperunt, & latina quidem lingua non patria, ob hujus difficultatem, ut quidem exiſtimat Lehmann *Chron. Spirenſ. l. 2. c. 45.* quæ cauſa quoque fuiſſe cenſetur, quare annales veteres Germanorum fere omnes, auctores habeant clericos, ut linguæ latinæ peritos, cum contra laici plerique omnes ejus primis iſtis temporibus rudes eſſent, ut alias cauſas nunc omittam. adde infra *c. 3. §. 54.*

4. *rudes imperitosque*) ſiquidem jam eo tempore, quo Germani ipſi annalibus hiſtoriisque ſcribendis operam dare coeperunt, ubique fere maxima litterarum barbaries invaluerat.

§. 4. *vel ſaltem Græcis*) quibus tamen minor fides habenda quam Romanis. His enim, ab ævo præſertim Julii Cæſaris, crebra cum Germanis bella, aliaque commerciorum genera fuerunt, unde iis optima res Germanicas perſcrutandi occaſio obtigit, qua & ſedulo uſi ſunt; cum contra Græcis nulla cum Germanis bella aut commercia, & præterea hi ab illis longius remoti eſſent. Ut ne omittam, tum temporis tabulas Geographicas, ex quibus Græci notitiam accuratam regionum Germaniæ haurire potuerint, defuiſſe.

2. *carmina antiqua*) quæ germanica lingua Heldengeſänge nominantur, quibus maxime in prælium ituri, virtutis bellicæ accendendæ cauſa, Ger-

Germani veteres uſi leguntur apud Tacit. *de Morib. Germ. c. 3.*

§. 5. *indigenas*) ſeu aborigines, quibus ex adverſo advenæ & peregrini reſpondent. dicti autem ſunt ſcriptoribus Gentilium, hiſtoriæ ſacræ de prima hominum origine ab uno mare unaque femina, expertibus, aborigines, *αὐτόχθονες* & indigenæ inde, quod exiſtimarent, poſt creatum mundum in unaquaque ejus regione certam hominum multitudinem, fungorum inſtar, e terra prodiiſſe. Cui opinioni Tacitum quoque acceſſiſſe, ex loco hic citato facile intelligitur. Nobis Chriſtianis autem, e divina hiſtoria meliora edoctis, indigenæ, aborigenes & *αὐτόχθονες* dicuntur, qui per tempus, cujus initii memoria non extat, regionem aliquam incoluerunt, & de quorum ex alia terræ parte adventu non conſtat, ut ſunt Germani.

2. *equidem primitus*) non tantum Germani, ſed & reliqui Europæ, Africæ, Americæque populi, Aſiæ, tanquam originis communis, reſpectu, advenæ ſunt & peregrini; at inita originis propriæ ratione, Germani pro indigenis utique tamdiu habendi ſunt, quoad, eos aliunde, quam ex Aſia, adveniſſe, non demonſtratur. Nec officit, Boios e Gallia, ut nos quidem *inf. ad §. 16.* oſtendimus, & præterea Venedos ſeu Slavos e Sarmatia in ſedes Marcomannorum & Vandalorum vacuas, indubitas Germaniæ terras, admiſſos eſſe, quod docet Auctor *inf. c. 3. ſect. 4. & 5.* Præterquam enim, quod, quando de Germanorum origine propria quæritur, non populorum ſingulorum, ſed univerſorum ra-

tio habenda eſt; Slavi ſeu Venedi, ſeptentrionales inprimis, poſtea magnam partem ejecti, aut ſervi effecti, Germanæque coloniæ iis ſuffectæ ſunt. *vid. infr. c. 3. §. 67.*

3. *non erubuit*) ad gloriam ſcilicet ſuæ gentis, cum tamen omnes fere populi, qui pulſis Romanis, ſeculo quinto præſertim, Galliam occuparunt, ut Burgundiones, Wiſigothi, Normanni, Franci &c. origine Germani ſint.

§. 6. *ſola opes pecora*) *Nec enim*, ſunt verba Cæſaris *lib. 6. de Bello Gallico c. 22. quisquam* (Germanorum) *agri modum certum, aut fines proprios habet; ſed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierunt, quantum eis & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt.* add. Tacit. *de Mor. Germ. c. 26.* Lubet cauſas quoque hujus veterum Germanorum inſtituti ex ipſo Cæſare audire. Ita vero hic loco ante citato pergit: *ejus rei multas adferunt cauſas; ne, aſſuetudine capti, ſtudium belligerandi cum agricultura commutent; ne latos fines parare ſtudeant, potentioresque humiliores poſſeſſionibus expellant; ne accuratius, ad frigora atque æſtus vitandos, ædificent, ne qua oriatur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones diſſenſionesque naſcuntur; ut animi æquitate plebem contineant, cum ſuas quisque opes cum potentiſſimis æquari videat.* Ex quibus oppido liquet, ævo Cæſaris Tacitique & aliquamdiu poſt prædiorum agrorumque uſum tantum & culturam penes ſingulos ſeu privatos fuiſſe, dominium vero eorum penes unamquam-

quamque nationem ſeu civitatem, quouſque nimirum ejus ditio & territorium pertingeret. Unde vero & quando dominia ſingulorum, quæ hodie conſpiciuntur, orta ſint, certo definiri nequit. Vero tamen perquam ſimile videtur, huic mutationi cauſam dediſſe non levem, tum receptionem religionis Chriſtianorum, tum luxum, excitatis urbibus, in Germaniam invectum. Illa enim priſca Germanorum ferocia bellica, cumque hac migrandi, alienaſque terras quo jure quave injuria invadendi libido, Germanis non minus, quam aliis populis barbaris, olim uſitata, pedetentim emollita ſunt. Grotius *lib. 2. de Verit. Relig. Chriſtianæ §. 12. n. 6. in notis & l. 2. de J. B. & P. c. 15. §. 2. ibique in notis*; hoc, luxu urbico, autem animi Germanorum, bellandi ante cupidiſſimi, nimium quantum effeminati. Hinc vero tædium æſtus frigorumque, nec minus belli laborum, indeque ſedis perpetuæ dominiique privati amor atque origo. Neque tamen a vero mihi aberrare videtur Dn. Schilter *Exercit. ad ff. 4. §. 13. ibique not. lit. b.* ab antememorato priſcorum Germanorum inſtituto originem rerum univerſitatum (adde) & fiſci in Germania, arceſſens, quandoquidem agri, ſylvæ, flumina, paſcua &c. introducto poſtea privatorum dominio, in ſingulorum jura non tranſcripta, in fiſci & univerſitatum dominio manſerint neceſſe eſt, de quo plura *infra c. 9. §. 15. ſeqq.*

2. *nullæ urbes*) de quarum ſera in Germania origine *infra c. 17. §. 3. ibique not.* vid. add. not. ad. §. 27.

5. *vix domus fuerint*) nec uſus pecuniæ Germanis, præſertim interioribus, h. e. a provinciis Romanis paulum remotis, ut qui ſimplicius & antiquius permutatione mercium uſi ſunt. Tacit. *de Mor. Germ. c. 5.* quod luculentum veteris continentiæ & vitæ ſimplicitatis argumentum. Poſtea vero quam luxus, cui ſola mercium permutatio non ſufficit, ex provinciis Romanis, Italia inprimis & Gallia, in Germaniam interiorem paulatim migravit, uſus quoque pecuniæ neceſſarius eſſe cœpit.

§. 7. *ut Alemannus*) Eandem derivationem habet Dillherr *in hiſt. priſc. German. c. 1. §. 7.* alii tamen Alemannos, quaſi allerley Männer, h. e. viros ex variis gentibus collectos, dictos eſſe putant, apud eundem Dillherr. *d. l.* cui addatur ibidem Hagelganſii not. *lit. 1.* ubi permultas alias adducit Alemannici nominis origines.

2. *fortem*) ſeu totum (gar) virum, quemadmodum Gertraud, totam fidelem, & Gerhard, totum durum. Magis tamen placet Dillherro in in Hiſtor. priſc. Germ. *c. 1. §. 8.* derivatio a vetere voce Celtica; Gere, ita ut Germani viros bellatores denotent. add. Hagelgans *in not. ibid.* Nec deſunt, qui putant, Germanos appellatos quaſi Heermänner, h. e. militares viros, g. in h. mutato, more Hiſpanorum, qui pro Germanus dicunt Hermanno, pro gemma, hiema &c Bernegger. ad Tacit. quæſt. 7. ubi octo alias aliorum de hujus nominis derivatione opiniones refert.

§. 8. *certæ gentis erat*) Veteres quoque Latini Teutones nunquam vocarunt omnes Germanos, ſed

ſed certum horum populum, qui Codani ſinus inſulas, a Cimbrica Cherſoneſo uſque ad Scandiam protenſas, quæ nunc Danicæ appellantur, olim inſederat. Cellar. *diſſert. Academ 5. §. 7. part. 2. p. m. 494.* Poſtea tamen a recentioribus ſcriptoribus nomen Teutonum, forte ob ſtyli elegantiam & ſuaviorem vocis hujus ſonum, univerſis Germanis impoſitum eſt.

§. 10. *ſæpe neſcirent*) rationem habes ſupra *in not. ad* § 4.

2. *Scythas*) Europæos hic intellige, a quibus Scythæ Aſiatici ſedulo ſecernendi ſunt.

§. 11. *& Ptol.*) nec minus Plutarch. a Schurtzfleiſch. citatum *diſſert. 8. §. 5.* ubi itidem Autoris noſtri ſententiam adfirmat.

§. 12. *ante migrationem*) Concedimus, ſi Autor noſter migrationem Germenorum in Galliam, quæ ante Cæſarem contigit, ut Tungrorum *ſupr. §. 7.* & Suevorum *inf. c. 3. §. 18.* intelligit, ob rationem alteram, quam habet §. *13. ineunte*; ſecus, negamus, cum poſt Cæſarem ſinguli Germaniæ populi Romanis paulo accuratius cogniti ſint, adeoque cauſa ſupra §. *10.* memorata, ex qua ante Germani non minus quam alii populi occidentales communi nomine Gallorum appellati ſunt, ex eo tempore ceſſaverit, populisque Germaniæ ſingulis propria nomina impoſita.

§. 13. *hauſerunt Romani*) ante Cæſarem videlicet, Plinium majorem, Tacitum &c. poſt enim Romanis longe major fuit notitia Germaniæ, quam Græcis *not. ſup. ad* §. 4. Ille ſiquidem ipſe cum

Suevis aliisque Germanis bella geſſit, Germaniamque, ponte ſupra Rhenum fabricato, intravit, Cæſar *de Bello Gallico lib. 1. cap. 36. ſeqq. & lib. 4. integr.* Iſte vero in ipſa Germania militavit, & viginti libris, omnia bella Romanorum cum majoribus noſtris geſta, collegit, ut teſtantur Plinius jun. *lib. 3. epiſt. 5. n. 4.* & Tacit. *lib. 1. Annal. cap. 69.* qui tamen magno rerum noſtrarum damno interierunt; hic autem Galliæ Belgicæ ſub Veſpaſiano Imperatore rationum procurator, populos regionesque Germaniæ ſedulo perſcrutatus eſt. Unde idem veriſſime dixit *lib. 2. Annal. cap. 88. ignotum Græcis Arminium.*

2. *quin Baſtarnas*). ſecernendi hic ſunt populi Germani, qui intra Germaniæ fines *infra cap. 2. §. 2. 3. 4. & 5.* deſcriptos, ab iis, qui ultra eos habitarunt, *inf. ibid. § 6. uſque 12.* Hi vero Græcis, & Romanis quoque ſcriptoribus quibusdam vocitati ſint licet Galli, ut Auctor noſter contendit *h. §. & ſeq. 14.* Illi tamen eo nomine nunquam Cæſari, Plinio, Tacito aliisque Latinis autoribus appellantur.

3. *Thraces fuere*) adeoque huc, ubi de Germanis ſermo, non pertinent. Galli vero dicti ſunt Scordiſci, non ob promiſcuum ejus nominis uſum, ut Autor quidem vult, ſed quia a Gallis originem ducunt. Juſtin *c. l.* & Livius *Epit. 63.*

§. 14. Gallos dicunt) Verum ſi loca ab Autore citata paulo attentius inſpicias, facile intelliges, ex plurimis ſaltem, Cimbros & Teutones non tam Gallos appellari, quam cum iis Tigurinos aliosque

hosque vere Gallos, ut belli Cimbrici ſocios, conjungi. vid. Livii *Epit. 65.* Flor. *c. l.* Eutrop. *c. l. c. 1.* quamvis autem Cimbri & Teutones ipſi aliquando Galli vocati eſſent, ſententiæ tamen noſtræ id parum oberit, cum extra Germaniæ fines boreales illi habitaverint, ut ipſe innuit Autor *inf. cap. 2. §. 7.* indubii tamen Germani, origine videlicet.

2. *non dubium genus*) quis vero non videt, verbis Plutarchi paulo ante citatis non promiſcuum uſum nominum: *Cimber, Gallus*, ſed dubium genus ſervi ad occidendum Marium miſſi argui? idque indicat verbum: *traditur.* Et ſane ſcriptores Romanos dubitaſſe, ille ſervus Gallusne an Cimber ſeu Germanus fuerit, Vellejus quoque Paterc. *c. l. c. 19.* innuit, ibi: *forte.*

§. 15. *fieri potuit*) obſtat tamen graviter vulgata Logicorum regula: à poſſe ad eſſe nulla valet conſequentia.

2. *ſæpe factum eſt*) Id vero Autor noſter nusquam probatum dedit.

3. *de Gallis retulerint*) demus hoc licet, inde tamen effici nequit, memoratarum Autori rerum geſtarum præciſe Germanos autores fuiſſe, ſiquidem hi non ſoli, ſed & Galli cisrhenani, Hiſpani, Illyrii, aliique in occaſum populi antiquis ſcriptoribus communi nomine Gallorum venerunt. Ipſe Autor *ſupra §. 9. & 10.*

§. 16. *omnino exiſtimo*) contra ea, quæ ſupra *§. 4.* de fide ſcriptorum Romanorum, rectiſſime docuit Autor, quibus conjecturæ hic ab eo in contrarium allatæ, ceu minus probabiles, merito cedere debent.

2. *illos Cæſar*) Cujus autoritas utique Autoris conjecturis præferenda eſt; quandoquidem cum Helvetiis bella ipſe geſſit. Cæſar de *Bello Gallico lib. 1. integro.* Flor. *lib. 3. cap. 10.* aliique. Unde illi originem horum bene cognitam perſpectamque fuiſſe non eſt cur dubitemus. Neque enim ejus fidei hic ex adverſo allegati Aventinus, Peutiogerus, Cruſius, omnes ſcriptores noviores, & e Cæſaris ævo longiſſime remoti, quicquam derogare valent. Sed nec Cæſar, ut Autor quidem *h. §. extr.* contendit, ſibi adverſus eſt, Helvetios a ſua provincia lacu Lemano & flumine Rhodano diviſos eſſe inquiens, dum eo tempore, quo Cæſar hæc ſcripſit, provincia Romana nondum omnem Galliam, ſed partem ejus tantum, haud longe ultra Alpes extenſam, complectebatur, ut ex Commentariis ejus *de Bello Gallico paſſim, lib. I. inprimis,* clariſſime liquet. Helvetios itaque a provincia Romana ſeparando, eos Gallos eſſe minime negat, ſed hoc ſolum, illos ſua provincia comprehendi.

3. *Boios*) non minus hi, quam Helvetii, prima origine Galli ſunt, magisque ſtandum auctoritate Cæſaris Tacitique, quam Aventini, ſcriptoris novi, cui in rebus adeo antiquis parum tuta fides adhibetur. Etſi vero Hertius quoque *vol. 2. tom. I. de veteris Germaniæ populis, part. 3. c. 2. §. 4.* nobis adverſatur, argumenta tamen ejus, a linguæ Boicæ Teutonicæque ſimilitudine, ut & veterum Boioariæ Ducum nominibus Germanicis, depromta, tanti non ſunt, ut propterea a Cæſaris Tacitique ſententia diſcedere neceſſe habeamus. Boii enim,

nim, regnante Tarquinio Priſco, quinto Romanorum rege, e Gallia in ſaltus Hercinios Germaniæ migravere, de quo §§. *ſeqq. 17. & 19. it. inf. c. 3. §. 2.* nominum vero linguæque ſimilitudo, quam Hertius objicit, ad ſeculum a nato Chriſto quartum & quintum, ab ævo Tarquinii Priſci circiter mille annis diſtans, potiſſimum ſpectat. Boios autem, in ſolo Germanico tanto temporis ſpatio habitantes, interea a Germanis, popularibus ſuis, nomina linguamque aſſumſiſſe quis miretur? add. Hadrianus Valeſius apud eundem Hertium *c. I.* §. 2.

§. 17. *ex eadem cauſa*) allata ſupra §. *15.* & repetita infra §. *19.* notavimus vero jam tum ſupra *d.* §. *15.* nominis Gallorum Germanorumque confuſionem, cujus Noſter Livium, Juſtinum, Cæſarem Tacitumque inſimulat, minus eſſe probabilem, quod ex ſeqq. magis apparebit.

2. *Tarquinii*) non Superbi illius, ſed Priſci, ut expreſſe habet Livius *lib. 5. c. 34.*

3. *pars in Italiam*) inter quos fuerunt Boii quoque, illi ipſi nimirum, quos poſtea diu cum ducibus Romanis in Italia conflixiſſe ex Livio memoratur *infra c. c. 3. §. 2.*

4. *in Hercinios ſaltus*) habes hic Boiorum e Gallia in Germaniam adventum, de quo ante. Etenim inter Gallos, qui in ſaltus Hercinios, ubi fere hodie Bohemia eſt, ab iis nomen ſortita, regnante Tarquinio Priſco, migravere, non minus, quam inter eos, qui in Italiam eodem tempore infuſi ſunt, Boios fuiſſe, Tacitus *de Mor. Germ. c. 28.* innuit, & vel ex eo eluceſcit, quod ſcriptoribus Romanis

manis *ſupr.* §. *16.* allegatis, Boii in Germania, Galli dicuntur, horum vero non niſi una ab iiſdem in Germaniam migratio memoratur, ævo Tarquinii Priſci facta, ut prodit Livius *lib. 5. c. 34.*

5. *non Gallos*) tales tamen eos fuiſſe, & Celtas quidem, tertiam Galliæ totius partem, exerte narrat Livius *d. l.*

6. *ſed Germanos*) fuerint licet iſti Galli non cisrhenani, ſed alii in occaſum ſolis ſpectantes populi, propterea tamen non ſunt continuo Germani, dum ipſe Autor ſupra §. *9. & 10.* nomine Gallorum, Gallos quoque cisrhenanos, Illyrios, Hiſpanos, Britannos &c. comprehendit.

7. *cingente omnia oceano*) hic vero non ſolos Germanos, ſed alios etiam populos cingit. Ad hæc cit. Flori locus in Codic. antiquis varie legitur. Ut proinde, Florum ibi de Germanis ſentire, certo affirmari nequeat.

8. *ex vicina Gallia*) aſt hæc, Celtica præſertim, unde Galli iſti, narrante Livio, egreſſi ſunt, Tarquinii Priſci ævo, quo Romanorum imperium valde anguſtis adhuc limitibus circumſcriptum erat, iſtis vicina dici qui poteſt?

9. *Germanorum*) Hæc vox apud Livium cit. loc. non extat, ſed ibi Cœnomani leguntur. Neque porro allegari ex adverſo ſcriptores recentiores, Aventinus, Cruſius & Nauclerus, contra Romanos ſæpius laudatos quicquam probant. Sed ne quidem Diodorus Siculus, antiquus licet autor. Præterquam enim, quod hic *loc. cit.* nil prorſus de Teutonibus habet; Cimmerii, quorum

idem

idem ibi meminit, cum Cimbris, qui ab illis cum nomine, tum rebus geſtis diverſi ſunt, minime confundendi. Et certum ſatis exploratumque eſt, ea, quæ Diodoro Siculo d. l. a Cimmeriis geſta memorantur, minime Cimbros, ſed Gallos, ſub Tarquinio Priſco in ſaltus Hercinios & Illyricos ſinus ac Italiam transgreſſos, autores habere. Juſtin. *l. 24. c. 4. 5. & 6.* Liv. *l. 5. c. 41.* Florus *lib. 1. c. 13.* ibique a Freinsheimio *in not. ad princ. d. c.* citati plures.

10. *cultiſſima patria)* talis quidem Gallia fuit ſub imperio Romanorum, poſt Julii Cæſaris tempora; at eam ante & Tarquinii Priſci ævo quoque, in quod ſæpe memorata Gallorum migratio incidit, adeo cultam fuiſſe, nondum perſuaſi ſumus. Præterea Galli iſti non ſponte, aut melioris commoditatis jucunditatisve cauſa, hanc migrationem ſuſceperunt, ſed neceſſitate, hominum videlicet abundanti multitudine & agrorum inopia, coacti, ut exerte tradunt Liv. *d. l. c. 34.* Juſtin. *l. 24. c. 4.* Cæſar *lib. 6. de Bello Gallico c. 24.* Tali vero neceſſitate preſſis, quævis terra, horrida licet, arrideat oportet.

11. *adeo tunc horridos)* e contrario circum hos fertiliſſima loca prædicat Cæſar *d. l.* Et ſane Germaniam Gallia, multum arenoſa, fertiliorem eſſe, in aperto eſt.

12. *partes æquales)* tales tamen fuiſſe ambas illas partes ſorte ductas, Italiam videlicet & ſaltus Hercinios, Livius quidem retur *d. l. c. 34.* ibi: *Bellovesó* (Gallorum in Italiam tranſcendentium du-

i)

ci) *haud paulo latiorem in Italiam viam dii dabant*, ſorte nimirum.

§. 18. *olim comprehenſi*) quod concedo de temporibus, quæ Julium Cæſarem præceſſerunt, ubi Germani Romanis quippe adhuc incogniti fere, proprio nomine venire haud potuere, & proinde illis, ut aliis populis occiduis commune Gallorum nomen imponi neceſſe fuit, quæ neceſſitas tamen poſthac ceſſavit, ex quo Germani Romanis propius cogniti ſunt, indeque nomine proprio nuncupari cœperunt.

2. *in ſpecie*) at quid hoc eſt ? Ego certe minus id capio. Neque enim Germani magis quam alii populi occidui a Romanis Galli dicti ſunt. Quare non eſt, quod veterum autoritate & exemplo deſtituti Celticæ fines, tertia Galliæ parte circumſcriptos, ſpeciatim per Germaniam cum Autore noſtro proferamus.

3. *nulla enim ratio*) aliam vero dedimus ſupra *ad §. 13. 14. 16. 17. & 19.* Boii etenim, Helvetii, Senones, quos habet Livius *l. 5. c. 34.* vere Galli ſunt, origine ſaltem ; Norici autem & Baſtarnæ ſi quando poſt Cæſarem Galli dicti ſunt, inde factum videtur, quod ultra Germaniæ fines habitarunt. Scordiſci vero, ut qui Thraciæ incolæ, hic, ubi de Germanis ſermo eſt, prorſus omittendi ſunt.

4. *productis per Germaniam*) quæ productio tamen nec veterum auctoritate nititur, nec poſt Cæſarem, cognitis ex hinc accuratius Germaniæ populis, eam amplius fingi neceſſe eſt.

5. *allegat*) loquitur autem uterque tam Cæ-

ſar

far quam Tacitus, de Boiis Gallis, Tarquinio Priſco Romæ regnante, In Germaniam transgreſſis, de quo ſupra *ad* §. *16 & 17.*

6. *neque enim Romani*) enimvero ab hiſce diſcrimen Germanorum Gallorumque a Cæſaris ævorite obſervatum eſſe, hactenus abunde probatum dedimus.

§. 20. *Germaniæ populum*) quod præter Autorem noſtrum exquiſitis argumentis demonſtrat Hertius *in not. vet. Francici Regni c. 1. §. 4. & 5. vol. 2. opuſc. tom. 1.* cui jungatur Schurtzfl. *diſſert. 11. de reb Burgund. c. 6 §. 3. & ibi in not.*

§. 26. *Sicambri fuere*) de quibus vid. infr. *§. 80. c. 3. ibique animadv.*

2. *Franciæ Regem*) ad religionem Chriſtianam a gentili ſuperſtitione, operam dante Chrotilde, uxore ejus, converſum. de quo vid. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 20. & l 3. c. 2.* Ex quo Franco-Galliæ Reges Chriſtianiſſimi audiunt, hoc nomine adeo ſuperbientes, ut in eo jus præcedendi alios Reges Chriſtianæ religioni addictos ſatis fundatum putent. Etſi vero negari nequit, Francos omnium fere populorum Chriſtianorum, qui hodie ſunt, primos eſſe, qui puram ſinceramque Chriſti doctrinam ſuſceperunt, fruſtraque in contrarium Burgundiones ac Gothos Vandaloſque, jam ante dictum Clodovæum M. Chriſtianorum ſacris initiatos objici, cum ii Ariana hæreſi inquinati fuerint, ut probat Schurzfl. *diſſert. 10. §. 13. item diſſert. 11. c. 2. §. 3. in not. lit. d. & e. it. c. 3. §. 3. in not. lit. e.* hunc tamen titulum Regibus Franco-

Gal-

ci) *haud paulo latiorem in Italiam viam dii dabant*, ſorte nimirum.

§. 18. *olim comprehenſi*) quod concedo de temporibus, quæ Julium Cæſarem præceſſerunt, ubi Germani Romanis quippe adhuc incogniti fere, proprio nomine venire haud potuere, & proinde illis, ut aliis populis occiduis commune Gallorum nomen imponi neceſſe fuit, quæ neceſſitas tamen poſthac ceſſavit, ex quo Germani Romanis propius cogniti ſunt, indeque nomine proprio nuncupari cœperunt.

2. *in ſpecie*) at quid hoc eſt? Ego certe minus id capio. Neque enim Germani magis quam alii populi occidui a Romanis Galli dicti ſunt. Quare non eſt, quod veterum autoritate & exemplo deſtituti Celticæ fines, tertia Galliæ parte circumſcriptos, ſpeciatim per Germaniam cum Autore noſtro proferamus.

3. *nulla enim ratio*) aliam vero dedimus ſupra *ad §. 13. 14. 16. 17. & 19.* Boii etenim, Helvetii, Senones, quos habet Livius *l. 5. c. 34.* vere Galli ſunt, origine ſaltem; Norici autem & Baſtarnæ ſi quando poſt Cæſarem Galli dicti ſunt, inde factum videtur, quod ultra Germaniæ fines habitarunt. Scordiſci vero, ut qui Thraciæ incolæ, hic, ubi de Germanis ſermo eſt, prorſus omittendi ſunt.

4. *productu per Germaniam*) quæ productio tamen nec veterum auctoritate nititur, nec poſt Cæſarem, cognitis ex hinc accuratius Germaniæ populis, eam amplius fingi neceſſe eſt.

5. *allegat*) loquitur autem uterque tam Cæ-

ſar

ſar quam Tacitus, de Boiis Gallis, Tarquinio Priſco Romæ regnante, in Germaniam transgreſſis, de quo ſupra *ad* §. *16 & 17.*

6. *neque enim Romani*) enimvero ab hiſce diſcrimen Germanorum Gallorumque a Cæſaris ævo rite obſervatum eſſe, hactenus abunde probatum dedimus.

§. 20. *Germaniæ populum*) quod præter Autorem noſtrum exquiſitis argumentis demonſtrat Hertius *in not. vet. Francici Regni c. 1.* §. *4. & 5. vol. 2. opuſc. tom. 1.* cui jungatur Schurzfl. *diſſert. 11. de reb. Burgund. c. 6* §. *3. & ibi in not.*

§. 26. *Sicambri fuere*) de quibus vid. infr. §. *80. c. 3. ibique animadv.*

2. *Franciæ Regem*) ad religionem Chriſtianam a gentili ſuperſtitione, operam dante Chrotilde, uxore ejus, converſum. de quo vid. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 20. & l. 3. c. 2.* Ex quo Franco-Galliæ Reges Chriſtianiſſimi audiunt, hoc nomine adeo ſuperbientes, ut in eo jus præcedendi alios Reges Chriſtianæ religioni addictos ſatis fundatum putent. Etſi vero negari nequit, Francos omnium fere populorum Chriſtianorum, qui hodie ſunt, primos eſſe, qui puram ſinceramque Chriſti doctrinam ſuſceperunt, fruſtraque in contrarium Burgundiones ac Gothos Vandalosque, jam ante dictum Clodovæum M. Chriſtianorum ſacris initiatos objici, cum ii Ariana hæreſi inquinati fuerint, ut probat Schurzfl. *diſſert. 10.* §. *13. item diſſert. 11. c. 2.* §. *3. in not. lit. d. & e. 11. c. 3.* §. *3. in not. lit. e.* hunc tamen titulum Regibus Franco-Gal-

Galliæ, omnibus aliis Regibus Chriſtianis populisque ſe præferendi jus dare, omnino negandum exiſtimamus. ordo ſiquidem inter Reges populosque liberos aliunde, quam e pacto expreſſo aut tacito derivari nequit. Pufend. *de off. hom, & civ. l. 2. c. 14. §. 15. & l. 8. de jur. nat. & gent. c. 4. §. 20.*

3. *incendiſti*) templa Chriſtianorum.

4. *adoraſti*) fana gentilium.

§. 27. *Ex his ſedibus*) duplex migratio Francorum hoc loco in quæſtionem venit. una, quam e veteri Sicambria in Franconiam hodiernam; altera, quam in Galliam trans Rhenum ſuſceperunt. de illa tractatur *hic & §. 80. c. 3.* de hac vero *§. 81. & 82. eod. cap.* Et primam quidem quod attinet, eam Autor noſter *§. 80. c. 3.* ad ſeculum 4. rejicit, deque ea Gregorii Turonenſis locum h. *§.* excitatum interpretatur, qui tamen magis de altera illa Francorum in Galliam migratione capiendus videtur, utpote quæ ſeculo 4. & dudum ante civitatibus, quarum Gregorius Turonenſis *c. l.* meminit, repleta fuit, quibus e contrario Germania cum Thuringia transrhenana tum temporis caruit, ut ipſe docet Noſter infra *§. 3. c. 17.* Neque in contrarium quenquam moveat, quod Franci Thuringiam permeaſſe apud cit. Turonenſ. memorantur. ibi enim Thuringiam non transrhenanam ſed cisrhenanam, a Tungris illis, quos jam ante Taciti ævum in Galliam Belgicam e Germania transgreſſos docet Autor ſupra *§. 7. Prolegom.* nuncupatam, innui, argumentum ante a civitatibus depromtum ſuadet. conſentit Schurzfleiſch. *diſſert. 10. §. 4. & 5. & diſ-*

diſſert. 11. c. 4. §. 3. & c. 5. §. 3. not. lit. e. adde Animadv. noſtras *ad §. 80. 81. & 82. c. 3.*

§. 29. *jam oſtendimus*) nos vero ibid. & ad §. *17. & 19* e contrario oſtendimus, Boios prima origine Gallos eſſe. Inde tamen minime ſequitur, Francos Gallis originem ſuam debere, ob rationes, quas Autor habet in ſeqq.

§. 30. *Germanos produxerunt*) quo ſenſu Boios quoque a Gallis in Germania productos, Germanos appellari poſſe non abnuimus.

§. 31. *intra Germaniæ fines*) ſed vide not. ad *§. 81. c. 3. infra.*

2. *ceſſiſſe*) per diviſionem filiorum Ludovici Pii videlicet. Nam antehac Franci non magis reliquis Germanis quam Gallis, ſed ſibi ſolum acquiſivere armis ſuis parta. Ut adeo tam qui Franco-Galliam Germaniæ, quam qui hanc illi armis Francorum acceſſiſſe aſſerunt, errare videantur. add. Animadv. *2. ad §. 82. c. 3. & ad §. 14. c. 5.*

AD CAP. I.

De Jure publ. Romano-Germanico in genere.

§. I.

R*omano-Germanicum*) quod eſt particulare, ex forma reip. Germanicæ propria ſeu principiis ejus civilibus depromendum; a quo differt jus publicum univerſale, jura officiaque imperantium & parentium, qua ex dictamine rectæ ratio-

 nis,

nis, ſeu principiis naturalibus deducuntur, generatim complectens, ex Hugone Grotio *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. 4. & 5.* Samuele Pufendorfio *de offic. hom. & civ. l. 2. & de jur. nat. & gent. l. 7. ſeqq.* Ulrico Hubero *de jur. civit.* Nicolao Hertio *de prudentia civili*; Johanne Friderico Hornio *de civit.* Thoma Hobbeſio *de cive*; Boehmero *de jure publ. univerſali* aliisque hauriendum.

2. *ad ſtatum*) ſeu formam, ab hac enim jura officiaque tum Regis, tum Procerum ſubditorumque Germaniæ dependent. *infra c. 7.*

3. *rei Romano-Germanicæ*) alii tamen malunt rem Germanicam Romanæ præponi dicique: *Germanico-Romana*, non, ut Noſter habet: *Romano-Germanica*, ideo, quod illa Germanorum armis ſuperata huic acceſſerit, non hæc illi. vid. Conring *de Germanorum imperio Romano.* Præterquam vero, quod imperium Romanum Germanis non jure belli, ut regnum Italiæ, ſed pacti & tranſactionis potius quæſitum eſt, ut demonſtramus *infra in not. ad §. 11. ſeqq. c. 6.* apud omnes inſuper in confeſſo eſt, imperium Romanum Germanorum regno ſemper majus eminentiusque habitum eſſe, quod vel ex ſolis titulis Cæſarum, ubi illud huic perpetuo anteponitur, ſatis demonſtratur.

4. *non Politices*) qua ſcil. hæc regulas ſolum prudentiæ & utilitatis continet, quos fines ei ſtatuit Grot. *in Proleg. de jur. bell. & pac. §. 47.* & ibi Ziegl. *in Not.* Nam ſi ad officia & jura imperantium quoque, uti quidem vulgo fit, illa extenda tur

datur, jusque adeo publicum univerſale complectatur, publicum jus particulare Politices utique ſpecies eſt.

§. 2, *tractandum id*) ita quidem Germani cenſent, pro ſimplicitate ſua & libertate Procerum, qui jura ſua eximia palam doceri e re ſua eſſe exiſtimant. Secus autem ſentiunt alii populi, eo pacto ſtatus ſui arcanas rationes evulgari putantes, quas occultas haberi permultum intereſt. Quæ cauſa quoque eſt, quamobrem extra Germaniam nusquam fere jus publicum particulare aliarum rerum publicarum in formam artis redigatur, aut palam doceatur, uti quidem in Germania uſu venit.

2, *arguendo vel taxando*) nos vero contra Doctori juris publ. Germanici liberum eſſe judicamus, in docendo nævos tam reipubl. Germanicæ quam legum ejus ob oculos ponere, ſervato tamen ubique modeſtiæ officio. Nec obſtat cit. lex *3. Cod. de crim. ſacril.* quæ de alia plane ſpecie loquitur. Ut ne omittam, legem hanc maxima laborare iniquitate, nec ſervari poſſe niſi a populis Aſiaticis, imperio herili adſuetis, quale genius populi Germanici vix admittit.

3. *Imperii arcana*) hæc vero pridem prodita ſunt & quotidie magis produntur non Germanis tantum, ſed exteris quoque, tot compendiorum juris publici Germanici plauſtris, & legibus Imperii omnibus, fundamentalibus etiam, typo exſcriptis.

4. *in ejus præjudicium*) v. g. Jura, quæ exteris

 populis

populis in Germaniam ſint, fingendo, aut huic vere competentia deſtuendo. Ceterum *c. 36. X. de ſentent. excommun.* huc minime quadrat.

§. 3. *poſſit*) clarius hoc effertur, ſi dicamus, jure publico permiſſorio contineri jura Principis; decretorio autem ejus officia ſeu obligationes.

2. *In naturale*) ſeu Jus publicum univerſale, ex principiis naturalibus ſeu dictamine rectæ rationis profluens.

3. *gentium*) Quo nomine etiam jus naturale, tanquam jus commune omnium gentium, inſignitur. Jus enim gentium voluntarium, a jure naturæ diſtinctum, quale effinxit Hugo Grotius *lib. 1. de J. B. & P. cap. 1. §. 13. & 14. lib. 2. cap. 18. §. 1. item cap. 19. §. 1. lib. 3. cap. 2. §. 2. & paſſim*, minime datur, imo ne quidem dari poteſt, ob æqualitatem gentium, quæ quidem pacta & fœdera, ut & decorum ſive ſimilitudinem morum, vi obligandi, in ſtatu naturali præſertim, deſtitutam, admittit; neutiquam autem leges, ut quæ a ſuperiore inferiori præſcribuntur, adeoque inæqualitatem, h. e. imperium & ſubjectionem, requirunt, add. Illuſtr. Thomaſ. *lib. 1. Jurisprudent. divin. cap. 2. § 104. ſeqq.*

4. *civile*) h. e. jus publicum particulare, quod ex ratione ſtatus cujusque reipublicæ propria deducitur, ut jus publicum Germaniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Britanniæ, Poloniæ, Hollandiæ &c.

5. *non ſcriptum*) ſeu conſuetudinarium, quod uſitato Germanorum ſtylo das Reichsherkommen audit. quo ſolo fere olim jus publicum, imo & privatum, Germanorum, antequam legibus ſcriptis

ſcriptis uti cœperunt, conſtitit. eo vide Kulpiſii *diſſertationem de obſervantia imperiali, quæ ſecunda eſt in volum. diſſertationum ejus Academicarum a Schiltero anno 1705. edito.*

6. *juris ſcripti*) quanquam enim multa, quæ Anrea Bulla aliisque Imperii legibus fundamentalibus ſcriptis continentur, mores antiquos Germannrum ſeu jus publicum non ſcriptum referunt, nihilominus tamen ob ſcripturam, quæ poſtea auctoritate Regum Ordinumque regni Germanici publica acceſſit, illæ ad jus ſcriptum, impropric tamen intellectum, referendæ ſunt. Dicimus: *Jus improprie intellectum*, ideo, quia jus publicum particulare non lege aut jure proprie ſic dicto conſtat, ſed pacto expreſſo aut tacito Regis & Procerum populique tantum innititur, per ea, quæ animadvertimus *infra §. 5. h. c.* Ceterum jus conſuetudinarium, quod autoritate privata, non publica, in ſcripturam redigitur, inde ſcriptum non fieri, facile concedimus.

7. *capita quædam*) cauſas ſcilicet ſingulorum, Procerum licet, ſeu privatas, non univerſi regni, h. e. publicas, reſpicientia, quo ſpectant e. g. Conſtitut. Caroli V. 1521. & 1531. *de jure repræſentationis fratrum liberis indulgendo*; Maximiliani I. 1512. *de officio Notariorum*, Ordinatio Politica 1577. *tit. 17. de pœnis uſurariæ pravitatis*; item tit. 19. *de fructibus immaturis certa lege vendendis*; item tit. 32. *de ſatisdatione & confirmatione tutorum & curatorum*, & id genus alia nnn pauca. Reliqua autem Receſſuum capita, quæ, ut generatim dicamus,

 nexum

nexum imperantium parentiumque, h. e. formam ſtatumque reipublicæ Germanicæ concernunt, ad jus ejus publicum ſpectant.

§. 4. *Lex Imperii fundamentalis*) quæ tamen improprie lex dicitur, per notata *ad §. ſequent.* 5. proprie enim eſt pactum Regis & Procerum. Unde in principio Capitulationum Cæſarearum inſerta reperiuntur verba: gedings und pacts weiß. *add. not. ad ſeq. §. 5.* conf Animadv. 1. *ad §. 8. c. 8.*

2. *principem obliget*) per modum pacti, non legis proprie intellectæ.

3. *non illico tollitur*) eam tamen mutationem pati vel majorem vel minorem, prout lex ipſa fundamentalis, regno quippe formam dans, magis aut minus mutatur, nemo facile inficias ibit.

4. *pauca ejus capita*) ſcilicet 14. 15. 16. & 17. Iis enim negotiis quibusd. privatis tantum lex ponitur.

§. 5. *gentium*) quod ſupra univerſale diximus.

2. *poſitivum*) nos particulare appellamus.

3 *vel lege a ſumma poteſtate*) Nos hic merito ſubſiſtimus. Summa enim poteſtas ſive in Rege, ſive ſenatu Optimatum exiſtens, jus publicum poſitivum, a legibus fundamentalibus dependens, abſque Procerum aut populi aſſenſu, condere nequit. Illius ſiquidem cauſa efficiens immediata non alia eſt, niſi conventio expreſſa aut tacita Regis & Procerum aut populi. quod quidem de imperio uſufructuario, ſucceſſivo & electivo, facile concedunt

fere

ſere omnes; quantum ad imperium proprietarium ſeu patrimoniale vero in aliam ſententiam diſcedere videntur Grotius & Puſendorf, ille *lib. 1. de J. B. & P. cap. 3. §. 11. & lib. 2. cap. 7. §. 12.* hic *lib. 7. de Jur. Nat. & Gent. cap. 7. §. 11. & 12.* Verum ſalva res eſt, exploſa pridem ab Illuſtri Thomaſio *in not. lit. K. ad §. 19. cap. 2. ſect. 3. lib. 1.* Huberi *de Jure civitatis*, necminus ab ipſo Autore noſtro *in Auton. jur. gent. c. 12.* iſta erronea Grotii & Puſendorfii ſententia. Sive autem in tali conventione certus imperium adminiſtrandi modus definitus ſit, ſive minus, nunquam tamen Rex aut ſenatus Optimatum, invito populo formam ejus & ſtatum mutare, aut leges, quas fundamentales vocant, ſancire valet. In prima enim ſpecie pactum obſtat, quod ſi mutandum ſit, hoc non ſolius Regis aut Optimatum, ſed utrorumque paciſcentium voluntate fieri debet; poſteriori autem imperium, ſecundum modum adminiſtrandi hactenus receptum, delatum cenſetur, quem Rex aut Optimates, non magis quam pactum, absque populi aſſenſu, mutare queunt. Etſi vero Hug. Grotio *lib. 1. de J. B. & P. cap. 3. §. 10. n. 5.* facile concedamus, in modo deferendi per ſucceſſionem aut electionem, diſcrimen ſummi imperii aut ſummo minoris, univerſim non eſſe conſtituendum, & tam electivum quam ſucceſſivum ſummum eſſe, niſi in delatione ejus aliud actum; in eo tamen inter utrumque hæc inſignis deprehenditur differentia, quod electivum deferatur certæ perſonæ, qua extincta, Proceres aut populus obligatione pacti cum illa de

d by Google

forma imperii initi, ſolvuntur, ipſisque adeo liberum eſt, aut prorſus aliam, aut ſaltem diverſam a priori imperii formam per conventionem cum novo Rege electo inducere; ſucceſſivum autem deferatur certæ familiæ, qua ſuperſtite, modus ſeu forma adminiſtrandi in tali delatione dictus, a Proceribus aut populo, ſine aſſenſu Regis, regulariter mutari nequit.

4. *& fœdera*) quibus e. g. cautum, ut ab unius fœderati decretis & ſententiis ad alterum provocare liceat; ne unus absque alterius ſocii, aut Procerum ſuorum conſenſu bellum ſuſcipiat, aut pacem cum hoſte ineat &c. Ejusmodi ſiquidem fœderibus non minus ac legibus fundamentalibus, de quibus ante, imperio civili formam dari manifeſtum eſt.

§. 6. adde ad hunc §. *c. 9. §. 15. & ſeqq.* infra.

§. 7. *effectus eſt*) *conf. infr. §. 1. 2. & 3. c. 7. & §§. 1. - 7. c. 15.*

2 *& extraneos*) quo tria præcipue jura regalia referunt, belli & pacis ſcil. legationum & foederum, quæ Cl. Jacobo Thomaſio *Tab. 49. Philoſ. Pract.* noviter regalia tranſeuntia audiunt. Sed hæc ad ea, quæ immanentia dicuntur, omnino referenda eſſe cenſemus, dum omnia jura regalia ſolum imperantes & parentes ejusd. reip. minime vero Reges aut populos liberos extraneos, pares ſeu æquales quippe, reſpiciunt, ac proinde horum reſpectu non magis jura belli & pacis, fœderum & legationum, quam tributorum, magiſtratuum, legum,

ju-

judiciorum ; &c. regalia vocari queunt. add. Beyeri Poſit. jur. feud. *c. 5.* §. *25. not. lit. l.*

§. 10. *principale*) quod ex ſententia Autoris noſtri *infra cap. 2. §. 2. & c. 5. §. 3.* eſt ipſa Germania.

2. *late accepta*) ſiquidem provinciarum Germaniæ Rectores propria atque hereditaria poteſtate gaudent, quoad nexus beneficiarius & ſubjectionis, quo Regi Imperioque obſtricti, patitur. Cum e contrario provinciæ ſtricte acceptæ, quales veteris Romani imperii erant, magiſtratus temporarios tantum & arbitrarios habeant, *adde §. 3. 4. 5. & 6. c. 15.*

3. *nec tamen*) ut olim Dania, *infr. cap. 3. §. 49. & 50.* Hungaria, Italia, & regnum Arelatenſe &c. *infra §. 12. b. c.*

§. 11. *ſunt 1. quadam*) hodie ſcil. olim ſiquidem hanc terrarum Germaniæ diviſionem exigui uſus fuiſſe oſtenditur Animadv. ad §. *1. - 7. cit. c. 9.*

§. 12. *jus civitatis*) qua voce Autor noſter & hic & in ſeqq. paſſim more Ariſtotelico uti videtur, quo civis eſt, qui habet jus deliberandi & ſuffragium ferendi de negotiis publicis ſeu regni, ut Germaniæ Proceres.

2. *provinciæ juris Slavici)* quod minus recte dictum videtur, dum hodie omnes provinciæ Slavicæ civitatis Teutonicæ jurisque ſuffragandi in Comitiis participes ſint, ut de Marchia Brandenburgenſi, Pomerania & Mecklenburg. Ducatu ipſe

 fatetur

fatetur Autor infr. *ſect. 5. c. 3. §. 68. 77. & 78.* de Miſnia vero, Luſatia, Moravia, Sileſia & Bohemia nos evincimus infr. in not. ad *§. 66. c. 3. Animadv. 3.*

3. *Illyrici*) cujus partes referuntur *§. 8. c. 5. infra.* Quæ ut & Hungaria, Gallia, Italia atque Arelatenſes ſeu Burgundicæ terræ ideo juris Germanici non ſunt, quia non minus olim quam hodie proprias ſeparatasque a Germania regiminis rationes habuere. vid. *infr. §. 34. c. 5. & §. 5. & 6. c. 7.*

§. 13. *non adeo obtineat*) dum tam peregrinis quam civibus in Germania nuptias Romanas contrahere, hereditatem tum teſtamentariam, tum legitimam, & legata quoque capere, bonorum poſſeſſionem Prætoriam agnoſcere, arrogare, adoptare, emancipare, uſucapere, ſtipulari, litterarum obligationem contrahere, tutelam gerere &c. licet, quæ omnia, tanquam juris civilis inventa, apud Romanos peregrinis interdicta erant, civibusque ſolis permiſſa. Et hactenus verum eſt, quod dicit Autor noſter, jus Albinagii in Germania non adeo obtinere, quantum videlicet ad jus commune. Nam quod jus provinciale aut municipale attinet, jus Albinagii etiamnum in uſu eſſe obſervat & exemplis illuſtrat Schilter *de Jure peregrinorum §. 30. ſeqq. add. inf. §. 27. c. 31. & ibi not.*

2. *l. 17. ff. de ſtatu hom.*) fruſtra vero hic ad cit. *l. 17.* provocatur, dum ſanctor ejusdem, Cæſar Antoninus, in Germania, ab imperio ejus libera, differentiam peregrinorum & civium, ſi qua fuit,

fuit, abolere non potuit. Et quamvis poſtea dict. §. 17. cum reliquo jure Romano in Germania ante aliquot ſecula recepta ſit, ex eo tamen abrogatio juris Albinagii arceſſi nequit. Rectius itaque dixeris, diſcrimen peregrinorum & civium antiquum Romanum, Germanos nunquam admiſiſſe.

§. 14. *Princeps illius ſequuntur*) *add. infra* §. *4. 12. & 15. cap. 12. &* §. *9. cap. 15.* quare ſi Dux Comitatum acquirit, ex hoc non fit Ducatus, ſed Comitatus manet, isque hujus reſpectu, inter Comites habetur. Et e diverſo Ducatu antiquo ad Comitum aliquem, qui exinde Dux evadit, delato, hujus præcedendi jus non ex adepta nova dignitate Ducali perſonæ, ſed magis ex antiquitate dignitateque ipſius Ducatus æſtimandum eſſe, non temere quis adfirmaverit. Quamvis enim, ut ſupra in Prolegom. *ad* §. *26.* animadvertimus, inter Reges populosque liberos, ex ſola regni vel reipubl. qualitate perfectum præcedendi jus nequaquam æſtimandum ſit; ejus tamen in definiendo Procerum Germaniæ aliarumque civitatum, communem judicem habentium, ordine, ratio haberi & ſolet & debet. add. Hug. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 5.* §. *21. & not. infr. ad* §. *15. cap. 20.* Neque hic nobis quisquam Principum filios aut Apanagiatos objiciat, utpote quibus, non tam ob dignitatem perſonæ, quam ob ſpem ſucceſſionis, jus præcedendi alios inferioris ordinis, conſervari certum eſt. *infra cap. 27.* §. *17.*

2. *quæ Slavici juris eſt*) illud equidem facile largimur, Bohemiam provinciam eſſe Slavicam,

infra

infra cap 3. ſect. 4, hoc vero omni jure negandum exiſtimamus, eam civitatis Teutonicæ expertem eſſe, ut quidem Autor noſter perſuaſus eſt. Ut enim in præſentiarum ea tantum adferamus, in quibus cardo rei potiſſimum vertitur, certum eſt, Duces Regesque Bohemiæ a ſeculo duodecimo usque in hodiernum diem munus Archipincernæ & Electoris obiſſe. *infra cap. 3. §. 56. & cap. 12. §. 8. 16. & 17.* Jam vero, Archiofficiorum imperii neminem, niſi civem Teutonicum, ſive originarium ſive adſcitum, participem eſſe, Autor noſter ſtatuit infr. *cap. 11. §. 12* ubi Animadv. cui jungatur Animadv. *1. ad §. 3. c. 8.* deinde ex antiquis rerum Germaniæ monumentis ſatis abundeque conſtat, pridem ante A. B. conventibus regni Teutonici eosdem interfuiſſe. Hertius *vol. 2. opuſcul. tom. 1. de renovato Romano-Germanici imperii & regni Bohemiæ nexu, ſect. 2. §. 6 p. m 516.* quod cum, ex cauſis infra in loco aperiendis, tum temporis valde moleſtum videretur, eaque propter frequentatio Comitiorum, ſecus ac hodie, fere inſuper haberetur, Reges Bohemiæ privilegio a Friderico II. Cæſare mactati ſunt, ut ne regni Germaniæ Comitiis alibi, niſi Bambergæ, Norimbergæ aut Merſeburgi, intereſſe tenerentur. Hertius *d. l. §. 9.* quis vero credat, eos hoc privilegium vel gratia vel pretio redemturos fuiſſe, niſi jam tum onus frequentandi Comitia ipſis, ut cœteris Germaniæ Ordinibus, incubuiſſet? quid? quod in A. B. *cap. 4.* Regibus Bohemiæ in regni Germaniæ curiis ſolennibus, h. e. Regis Procerumque ejus conventibus, proximus ab Ele-

Electoribus Eccleſiaſticis locus datus eſt, luculento argumento, illos Germanicæ civitati ante quoque innexos fuiſſe. Adde *c. ult. ibid.* ubi expreſſe memoratur, Regem Bohemiæ non minus quam ceteros Electores in regiminis publici ſocietatem aſſumtum eſſe. Etſi vero aliquanto poſt Reges Bohemiæ hoc jure uti deſierunt, imo ab Electoribus cæterisque Imperii Ordinibus eo depulſi videntur, ejus rei tamen cauſa non fuit conficta ab Autore noſtro peregrinitas Bohemica, ut quæ Regibus Bohemiæ eo tempore a nemine, quod meminimus, exprobrata eſt; ſed quod iidem Germanorum odium contraxerant, cum ob ſchiſma Huſſiticum, tum ob peregrinitatem Polonicam & Hungaricam. Extincta ſiquidem antiqua familia regia Bohemiæ Czechica, &, quæ ei poſtea ſuffecta eſt, Luzelburgica, Bohemi ex Hungarorum Polonorumque gente Reges ſibi elegerunt, Germanorum plerosque infenſos hoſtes, quos adeo ab interiori negotiorum Germaniæ cognitione Comitiisque procul haberi e re ejus viſum. Tandem vero anno 1708. Regnum Bohemiæ priſtino Comitiorum juri poſtliminio reſtitutum eſt, ea tamen lege atque pacto, ut ne id aliis ejus privilegiis, libertati & prærogativis antehac partis, fraudi damnove ſit; utque Rex Bohemiæ tantum onerum publicorum, quantum alius Elector, ferat, ac præterea ſuſtentando Judicio Camerali 300. florenos exſolvat. Hertius *cit. loc. ſect. 4.* Anmerckungen zur Grundveſte *p. 17.* ceterum add. Strauch. *diſſert. jur. publ. 2. §. 11. ſeqq.* Secundum quæ Rex Bohemiæ Germanorum imperium

rium ſubjectionis ſtricte proprieque dictæ lege, hodie ſaltem, non agnoſcit, dum a juriſdictione ejus, exceptis cauſis feudalibus, prorſus liber eſt; *infr. c. 32. §. 39.* neque ſubditis Regni Bohemiæ ad ſumma imperii tribunalia, ne quidem ob protractam vel denegatam juſtitiam, provocare fas eſt; *A. B. tit. 8.* onera vero, quæ Rex Bohemiæ Imperio præſtare obſtrictus habetur, ad nexum feudalem aut foederis inæqualis non incómmode referri poſſunt. *infr. c. 30. §. 11.*

3. *non ratione perſonæ*) hoc vero ſecundum notam præcedentem convertendum prorſus dicendumque eſt, Regem Bohemiæ aliquando pro peregrino habitum eſſe, non ratione regni Bohemiæ, quod Germanici juris eſt, ſed perſonæ. Adhæc quis non videt, in utroque Speculo hic citato de Rege Bohemiæ, eum non Germanum, ſed peregrinum eſſe, juris eligendi expertem, magis ex invidia, quam vero, dici. quando enim provincia ipſa civitati Teutonicæ innexa eſt, peregrinitas perſonæ, ut quæ jus illius ſequitur, minime reſpicienda eſt. *add. not. infra ad §. 15. ſeqq. cap. 12.*

AD CAP. II.

De diverſitate territorii Romani ac Germanici, & hujus finibus.

§. 1.

TErritorium) quod duo ſignificat, 1) certum complexum & univerſitatem agrorum fundorumque,

rumque, ut hoc loco, & in *l. 239. §. 8. ff. de V. S.* 2) poteſtatem ac jurisdictionem propriam hereditariamque, quæ vulgo ſuperioritatis territorialis nomine inſigniri ſolet. Hæcque poſterior ſignificatio obtinet, quando e. g. territorium violatum dicitur, uſurpatione nimirum jurium ſublimium ei inhærentium, invito territorii domino, facta.

2. *regni Germanici*) hoc enim ab illo nunquam ſubactum, ſed ſemper liberum fuit, *infra §. 13. & 14.* Nec adeo Germania unquam pars territorii Romani facta eſt. Non tantum autem territorium Romanum a Germanico diſtinctum eſt, ſed & ipſum Imperium Romanum, ab Ottonum ævo Regno Germaniæ perpetua lege innexum, ab hoc diverſum eſt. *vid. not. infr. cap 6. §. 16. & 17.*

3. *nec iterum jure*) hoc eſt, pacto expreſſo aut tacito, qui unicus eſt terras Imperii eximendi titulus legitimus; minime omnium vero uſucapio ſeu præſcriptio, quandoquidem huic, velut juris civilis invento, inter Reges populosque liberos nullus unquam locus eſt, quod clariſſime demonſtrabitur *infra ad §. 37. c. 5.* Interim Illuſtrem Lynckerum conſule *in Anal. ad Inſtit. lib. 2. tit. 6. ibi: jure civili.* quare Carolus M. & quidam poſteri ejus, nec minus deinde Otto I. hujusve ſucceſſores omnes per Imperium Romanum non ſolum jus ſupremum in Exarchatum, de quo *infra cap. 6.* & Kulpiſ. ad Monzamb. *cap. 1. § 12.* ſed poteſtatem quoque armis vindicandi terras Romani imperii injuſte exemtas, inde conſecuti ſunt. In anteceſſum vero monendum putamus, conſenſum

ſum tacitum cum præſumto, ut quidem vulgo fit, minime confundendum, ſed contra ab hoc ſedulo diſcernendum eſſe, dum toto, ut ajunt, cœlo differunt. Ille enim verus eſt, ex facto, voluntatem ſatis indicante, colligendus; hic vero a lege civili in negotiis quibusdam humanis fingitur tantum, quando nimirum id naturalis aut civilis ratio poſtulare videtur. Talem vero fictionem legis civilis gentes liberæ neque agnoſcunt, neque etiam agnoſcere tenentur.

4. *non eſt*) dum hic magis de jure publico Germanico quam Romano agimus. *infra* §. *4.5.6. & 7. c. 7.*

§. 2. *eſt ipſa Germania*) acceſſorium vero ſunt provinciæ ei acquiſitæ, nec tamen pleno civitatis Teutonicæ ſeu Comitiorum juri innexæ, de quibus *ſupra cap. 1. §. 10. & 12. in fine & infra cap. 5. & 6.*

2. *cujus fines*) qui conſiderantur vel geographice, vel juridice, & prior quidem conſideratio deſignatione finium Germaniæ abſolvitur, quos exhibet Autor ſummatim hoc capite, & ſpeciatim *c. ſeqq. 3. & 4.* poſterior vero deſcriptione provinciarum Regno Germanico acquiſitarum & poſtea ab eo aut jure vero, aut ſaltem prætexto, aut etiam mero facto ſubinde decerptarum; in qua conſideratione poſteriori totus fere eſt Conringius *de finibus imperii*, & Autor *infra d. cap. 5. & 6.* add. *not. ad rubr. d. c. 5.* & Kulpiſ. *ad Monzambano cap. 2. §. 1.*

3. *diſſentit Conring.*) nobis vero non videtur. Con-

Conringius enim de ævo Carolino, ubi terminus Germaniæ ac Daniæ Eidora fluvius conſtitutus eſt; Autor noſter vero de ævo Romano loquitur.

§. 3. *Ponto & Tanai*) quod forte verum de eo tempore, quo Sarmatia ſeu Polonia, olim ad Pontum Euxinum & Tanaim usque protenſa, Regno Germaniæ, tributo ſaltem, obnoxia dicitur, *infra cap. 3. §. 57.*

§. 6. *non populi*) ſunt tamen, qui ad Germaniam referunt terras quoque, quas populi Germani ultra Danubium, Rhenum, Viſtulam & Oceanum habitarunt, *§. 7. 8. & 9.* deſcriptas. Et ſane non infrequens eſt, regiones nomina ſua cum habitatoribus mutare. Cujus rei exempla exhibent Moravia, ante Marcomannia dicta; Vandaluſia in Hiſpania; Burgundia in Gallia; *infra cap. 3. §. 51. & 52.* Germania prima & ſecunda in eadem Gallia; §. *10. & 12. h. c.* Longobardia in Italia; *infra cap. 6.* quin ipſa Francia orientalis & occidentalis in Germania & Gallia. Et in hodiernis tabulis Geographicis Germaniæ fines prolatos videas ultra prædictos quatuor fines antiquos, quousque nimirum populi Germani incolunt. Nihilominus vero nobis Autoris noſtri diſtinctio inter fines Germaniæ & populos Germanos, ultra eos progreſſos, utpote Scriptoribus antiquis Græcis Romanisque accuratius explicandis inſerviens, retinenda videtur.

§. 9. *Auguſtam Vindelicorum*) quam ſplendidiſſimam Rhætiæ provinciæ coloniam ſuo jam ævo vocat Tacitus *de Mor. Germ. cap. 41.*

2. *Helvetii*) hi vero & Boii hoc
tendi ſunt, ut qui inſpecta prima origin
tione non Germani ſed Galli ſunt, de qu
§. 16. *Prolegom.*

§. 12. *maximam Sequanorum*) ſul
vinciam, cujus caput ſeu metropolis Ve
libellus provinciarum Schonhovii Sexto I
Cl. Cellarius anno 1698. edidit, adjunctus
de Antiſtes Veſontinus Archiepiſcope
cap. 18. §. 34. Ceterum populos max
norum provincia comprehenſos rec
manni. *l. c.*

2. *Abrinco*) vel, ut alii legunt, Al
nomine Ptolomæus Moſellam fluvium
Rhenum ſuperiorem vergentem, inſig
mann. *d. l.*

3. *Metropolis*) quæ eſt ſedes Princ
jus Vicarii, indeque caput aliarum ej
vinciæ civitatum, antiquiorum licet, q
tioni convenit, & uſu diuturno, veter
obtinuit. Lehmann. *lib. 2. Chron. S*
Quamobrem etiamnum apud nos Præſe
dotes urbium, ubi ſedes Principum, al
& Sacerdotibus ejusdem provinciæ, etſi
te prioribus, dignitate tamen & ordine
ribus, merito præferuntur. adde not. *a*
infra.

4. *Moguntia*) Hinc Antiſtes M
Metropolitanus eſt; cui alii quidam
cauſis eccleſiaſticis ſubſunt. *infra cap.*
Sunt tamen perplures, qui eccleſiam M

ante Bonifacium, primum ejus Archiepiſcopum, Wormatienſi eccleſiæ ſubjectam fuiſſe dicunt. de quo Lehmann. *d. l. in fine* & Sagittarius *de Antiquit. Gentiliſmi & Chriſtianiſmi Thuringici lib. 3. cap. 22. §. 8.*

5. *Colonia*) qua de cauſa non minus Antiſtes Colonienſis Metropolitanus eſt. *infra d. l.*

6. *Belgicam primam*) ubi Metropolis ſeu caput Auguſtà Trevirorum eſt. *vid. Index Schonbornianus ante laudatus pag. 76.* Unde & hujus Pontifex Metropolitanus eſt, Archicancellarii per Galliam & regnum Arelatenſe titulo inſuper ſuperbiens. Quin etiam Eccleſiam Trevirenſem matrem fuiſſe omnium Galliæ eccleſiarum, ac antiquitate præſtare Eccleſiis Germaniæ primæ & ſecundæ, id eſt, Moguntinæ & Colonienſi, nec abſurde dici, Trevirorum Archiepiſcopos velut Galliæ Patriarchas extitiſſe, Schurzfl. probat *differt. 11. de reb. Burgund. cap. 2. §. 2. in not. lit. b p. m 182.* Quod ad honorem Præſulis Trevirenſis ſpectat.

§. 13. *fere vacua tenuerunt*) Vandaliam ſcilicet & Marcomanniam, quarum illam Venedi ſeu Slavi Boreales; hanc Orientales occuparunt, ut traditur *infra cap. 3. ſect. 4 & 5.*

§. 14. *victos eſſe*) add. idem Tacitus *lib. 4. Hiſt. cap. 73.*

§. 15 *a Gallis diſcretos*) nos vero contrarium adſtruximus ſupra ad §. *16. Prolegom.*

§. 21. *terminus eſſe cœpit*) quod clarius exponit Tacitus *de Mor. Germ. cap. 28. & 29.* ubi populos Germanos cis Rhenum habitantes ex pro-

C 2 feſſo

feſſo enarrans, tandem addit: *omnium* *tium virtute præcipui ſunt Batavi.* Hi i neqnidem Germani, habitatione auten runt.

§. 22. *& Friſios*) Hi vero non orig verum habitatione quoque Germani ſu trans Rhenum usque ad Iſalam & ultra Magis enim illius termini naturalis, manufacti rationem habendam eſſe i eſt. add. §. *28. cum ſeqq. c. 3.*

§. 24 *ſub qua Burgundi*) qui oli Vandalorum, Vandalia comprehenſi ſu grationem eorum in Galliam ſcilicet; pars Galliæ facti, illa contineri deſierin *infra cap. 3.* §. *52.* & Schurzfleiſch *diſſer* *Burgund.*

2. *ſub qua Thuringi*) quod quate diſpiciemus *infra cap. 3.* § *28. & 31.*

3. *ſub qua Helvetii*) quod etſi c de Helvetia Alemannica, Orienti obv men, quod de Helvetia Burgundica ſeu in Occidentem ad Juram montem verge no negemus. *adde infra cap. 3.* §. *27. ex* §. *30. 35. & 40. it. c. 19.* §. *12.*

§. 25. *comprehenſas eſſe*) hoc vero eſt, in quo Autorem noſtrum a plerisq reprehendi audias. Quanquam enim quit, has ſeptem provincias Germaniæ eſſe, ut is ante §. *23. & 24.* recte dixerat; men utique alienum eſt, iis univerſam C omnesque ejus partes ac terras compre

ullam Germaniæ partem vel terram iis exemtam oſtendi poſſe, ut quidem Idem *hoc & ſequent. §. 26. extrem.* aſſerit. Thuringiam ſane, Miſniam, Haſſiam, Friſiam &c. illis non minus olim quam hodie exemtas, certiſſimis argumentis infra demonſtrabitur *ad §. 28. 31. 45. 46. 66. 71. c. 3. & alias paſſim.* Præterea hic cumprimis notandum venit, olim quinque duntaxat præcipuos Germaniæ populos ſeu provincias extitiſſe, quibus Archiofficia inhæſere, Franciam videlicet, Saxoniam, Bavariam, Sueviam & Lotharingiam, *infra §. 1. -7. c. 12.* Reliquæ enim duæ, Marchia Brandenb. & Bohemia nimirum, prioribus illis quinque ſeculo XII. demum velut æque præcipuæ acceſſere, ex quo iis Archipincernatus & Archicamerariatus dignitas cum eligendi jure, extinctis Franciæ & Sueviæ Ducibus, innecti cœpit, infra *§. 7. & 8. cit. c. 12.*

§. 26. accurate ducitur) quod quatenus verum ſit infra in loco videbimus.

Ad Cap. III. Sect. I.
De Bavaria.

§. 2.

O*Rigine Germani*) imo Galli, ut oſtendimus *ſupra in Prolegom. §. 16. 17. & 19.*

2. *primas ſedes*) ſcilicet poſt migrationem eorum e Gallia in Germaniam, Tarquinii Priſci ævo ſuſceptam.

3. *inde a Marcomannis pulſi*) quod Auguſto Romæ imperitante factum colligitur ex Vell. Paterc. *cap. 109.*

4. *Italiam invaſiſſe*) At Boios, T
nio Priſco regnante e Gallia Celtica i
am migrarunt, in Italiam unquam tra
nusquam apud veteres Scriptores legit
drianus Valleſius *ſupra in Proleg. ad* §.

5. *conflixere*) non Boii German
rum populares, qui Tarquinii Priſci æ
in Italiam profecti ibi novas ſedes q
expreſſe *Liv. cit. loc.* tradit.

§. 3. *ex Italia reduces*) Qui vere
Herciniæ accolæ, in Italiam nunquam
ſi, inde reduces fieri potuerunt?

§. 4. *relicti*) a ceteris Boiis ſci
Helvetiis, Galliam Celticam invadere
junxerunt, &, inde a Cæſare repulſi, in
duorum collocati ſunt.

§. 6. *autoribus*) h. e. approbator
confirmandi Ducem a Boiis electum
Id enim eſt auctorem fieri. Livius *l. 1.*
ff. de auctoritate & conſenſu tutorum
rum.

2. *Principem legerent*) non qui deſi
xima conſanguinitate contingeret, ſe
dentia præſtantem. Velſerus *lib. 4. rer.*

3. *de genere Agilolfingorum*) ne
ne libera erat Boiorum electio, de qua
neri Agilolfingorum Ducali alligata, i
Ducatus Bavariæ ſtetit usque ad Thaſſ
timum ejus generis Ducem.

§. 7. *prima omnium Bavaria*)
hæc ſola, ſed Suevia quoque eodem te

Bavaria, Ducatus facta eſt. *vid. not. infra* §. 21. Antiquiſſimi itaque in Germania Ducatus ſunt Bavaria & Suevia, utpote jam ſeculo quinto conſtituti, *ſupra* §. 5. *&* 6. *& infra* §. 20. *&* 21. quibus deinde Ducatus Saxoniæ, Franciæ & Lotharingiæ acceſſerunt. *Animadv. ad* §. 36. *ſeqq. it.* §. 85. *ſeqq. h. t. &* 22. *c.* 5. Reliqui vero Ducatus Germaniæ omnes recentiores ſunt. Wurtembergiæ enim Ducatus originem ſuam refert ad Maximilianum I. *infra* §. 27. Holſatiæ ad Fridericum III. *infra* §. 44. Brunſuici & Luneburgi ad Fridericum II. *infra* §. 46. Mecklenburg. ad Carolum IV. *infra* §. 77. Pomeraniæ ad Fridericum I. *infra* §. 78. Lucemburgi ad eundem Carolum IV. Juliaci & Bergæ ad Ludovicum IV. Cliviæ ad Sigismundum *infra cap.* 5. §. 29. quibus junge alios ex §. 14. *c.* 15. Ubi §. 14. *ſeqq.* antiquorum & recentiorum Ducum diſpar conditio breviter exponitur. Illi enim ceu Archiofficiales, Palatinos Comites præcedunt; hi ſequuntur.

2. *in eum inſurgeret*) armis ſcil. quæ auxiliantibus Hunnis in Regis Longobardorum Deſiderii, ſoceri ſui, & Caroli M. hoſtis, ſumſerat. *infra c.* 5. §. 6. *& cap.* 6. §. 1.

3. *ceu curia Parium*) aliam vero cauſam modi hujus proſcribendi, formam ſcilicet reipublicæ Germanicæ mixtam, ſtatuit Autor *infra cap.* 23. §. 15. ubi Animadv. noſtra.

4. *damnatus*) tonſusque in monaſterium detruſus eſt. Lehm. *Chron. Spir. lib.* 2. *cap.* 39. *p. m.* 132. *b.* Ceterum hic obſervemus, non alios Ducatus Germaniæ tam crebro fulmine proſcriptionis

percuſſos eſſe, ut Bavariæ Duces, Ex
Thaſſilo a Carolo M, *h.* §. Arnulphus
I. Ejus filii ab Ottone I §. *9.* Otto ab H
§. *10.* Guelpho ab eodem Henrico IV
Superbus a Conrado III, Henricus Leo
I. §. *11.* & modernus Dux Bavariæ eju
Eccleſiæ Metropolitanæ Colonienſis
Divo Leopoldo, proſcripti,

§. 8. *tres Marchiones*) de quibus in
§. *39.*

§. 9. *Arnulphus*) ſunt tamen, qu
ſcendunt, primumque, poſt Thaſſilonem
Ducem Arnulphum, deinde ejus filiu
dum, hujus Arnulphi, de quo Autor, pa
morant. Imhof. *in Not. Proc. Imp. l. 4. c*
Verpoorten, *de Ducat. antiquis in Germ*
14. not. 3.

2. *prædictis populis*) ut & jure reg
endi Epiſcopos in Bavaria, *infra cap*
extr.

3. *& ducatum*) interjecto tamen Ber
dicti Arnulphi fratre, Luitpr. *lib. 4. cap.*
6. l.

4. *fratri ſuo Henrico*) cui uxor
juſdem Arnulphi filia, aditum ad p
hunc Ducatum fecit, Witich. *l. 2. p.*
tum enim Ducatus aliique Principatus
ditarii erant, ut, deficiente maſcula pro
ſuperſtitum etiam ratio haberetur. *infra*
& §. 98. it. cap. 7. §. ult. & ibi not.

§. 10. *quo proſcripto*) quam proſ

ſiusque cauſam habes apud Lehm. *Chron. Spir. lib. 5. cap. 27.*

a. *Guelphica familia*) unde Guelphica factio, Bavaros Saxonesque olim complectens & Pontificibus Romanis fidiſſima; cui oppoſita Gibellina, quæ contra, Francis Sueviſque autoribus, a partibus Cæſarum adverſus Papas ſtetit. Quæ duæ factiones per multa tempora non minus in Germania quam Italia maximas aliquando turbas excitarunt, ut in vulgus notum. infra *§. 22. c. 6.* add. Lehm. *Chron. Spir. l. 5. c. 50. & l. 7. c. 11.*

§. 11. Azoni Marchioni Eſtenſi) cui duæ uxores fuere, prima, Chunigundis, *b. §.* memorata, e qua natus Guelphus, qui familiam Guelphicam, hodie Brunſuicenſem, proſevit, *infra §. 46.* quæ adeo originem paternam a Marchionibus Eſtenſibus ſeu Ateſtinis in Longobardia Liguriaque; maternam autem a Comitibus Altdorfii in Suevia ducit; ſecunda, Comitis Meduanenſis in Gallia filia, Fulconem enixa, alterum Azonis filium, & familiæ Ateſtinæ ſeu Eſtenſis in Italia propagatorem. Imhof. *in Notit. Procerum Imperii lib. 4. cap. 4. §. 1.*

2. *ex ſententia Principum*) qui modus pariter in proſcriptione Thaſſilonis ſervatus eſt. *ſupra §. 7. add. not. infra ad §. 15. cap. 23.*

3. *proſcripti*) cujus proſcriptioois cauſas, ſuaſorias inprimis, late exponit Schurzfleiſch. *diſſert. 45. de Henrico Leone.*

§. 12. Ottoni Illuſtri) Hic quidem, ducta

 Henrici

Henrici Comitis Palatini Rheni filia, Palatinum Rheni cum Ducatu Bavariæ *infra §. 98. h. c.* Ipſe hic Ducatus aute pto Henrico Leone, a Friderico I. Otto miti Palatino Wittelsbachio in Bavar Schirenſi, datus, per patrem Ludovicum nis jure, ad Ottonem Illuſtrem, dicti nepotem, delatus eſt. Imhof. *in Notit. F libr 4. cap. 1. §. 11. & 21.*

2. *prædictus Henricus*) Cui in ce nem ceſſi Henrico Leoni Bavariæ Duca rico I. adſentientibus Imperii Ordinibu um datum, ut Auſtria eſſet feudum quod ei & uxori ejusdem ſine liberis d in quemcunque transferre liceret; nec invito Auſtriæ Duce, in eadem jus dice utque idem ab omnibus Imperii ſervi ſet; præterquam ſi ſolennes Regni Cur ria haberentur, aut expeditio in provi gna Auſtriæ vicina indiceretur &c. G quod privilegium ab inſecutis quoque bus confirmatum ampliatumque eſt Auſtriæ Ducatus ad Rudolphi I. poſte retur. A Carolo V. vero magis decla auctum eſt. Quare non eſt, quod q vilegium, utpote maximo ceſſi Bava pretio redemtum, eidem invideat. ad *Exercit. Academ. ad Monzamb. cap. 2.*

3. *victo Ottocaro*) quam rem ex mann. *Chron. Spir. l. 5. cap. 105.*

§. 15. *Ottoni Illuſtri*) vid. tamen *præced. 12.*

AD CAP. III. SECT. 2.

De Suevia.

§. 16.

A*Lii Longobardi, alii Semnones*) quorum hi in Saxonia ſuperiori & Miſnia Tranſalbina; illi vero in Marchia antiqua habitaſſe dicuntur. qua de re conſule Cellarii Geographiam.

§. 18. *in Italiam delati*) aſt hi non fuere Suevi Semnones, ſed Senones, verus Galliæ cisrhenanæ populus, ut diſerte ait Livius *lib. 5. cap. 34.* Nec Autores ex diverſo allegati, utpote recentiores, quicquam probant.

§. 21. *proprio jure*) Suevos vero ſeu Alemannos non minus quam Bavaros poſt prælium Tolbiacenſe proprio jure, contra quam Autor noſter ſentit, uſos eſſe, leges eorum, Alemannicæ dictæ, ſatis ſuperque teſtantur. Conring. *de Orig. Jur. Germ. cap. 9. adde not. ſequ.*

2. *magiſtratuque*) E contrario Suevis etiam, haud diſſimili a Boiis jure, poſt prælium Tolbiacenſe usque ad Pipinum, Caroli M. patrem, Duces ſuos fuiſſe, ſatis evincit doctiſſimus Verpoortennius *in laudata ſupra Oratione de Ducatibus in veter. Germaniæ regn. hereditariis* §. 8. *not.* 2. Cujus non piget verba huc tranſcribere. Ita vero ille, cit. loco, *Veruntamen & his* (Suevis) inquit, *haud diſſimili a Boiis jure, ſuas leges eſſe redditas, ſuumque Principem, qui Ducis nomine regnum Alemannorum teneret, colligitur ex Lege Alemannorum, ma-*

xime

xime cap.35. ubi: Si quis Dux habet
filius ejus vult eum diſhonorare, aut
regnum ejus poſſidere &c. *omniaque f*
quæ de Boioarico Duce in illius gentis L
tuuntur ab eodem Franciæ Rege Theode
ceſſoribus. Jamque temporibus Child
ſtriæ, ac Theodeberti, qui huic Theoderic
tori ſucceſſit, Auſtraſiæ Regis, circa ann.
ſit Leudefredi, *Alemannorum Ducis, &*
ordinatus loco ipſius dicitur, Uncileni, *ap*
Chron. c. 8. Hos fratres vocat Rhenan
ctore Agathia, ſed Leutharium & Buccel
nat. Buccilenum vocat, & res ab eo in
ſpere geſtas laudat Gregor. Tur. lib. 3.
quentis ſæculi initio a. 614. loco ipſorum
memoratur, cujus haud exiguam poteſt
indicio eſt, quod S. Gallo promittit Pontifi
ſtantienſis Eccleſiæ ſe daturum, & electior
a qua tamen Gallus ſe excuſavit, interfuiſ
cipibus & Comitibus ſuis dicitur. Vid.
Strabo in vita S. Galli. c. 8. 16. 19. 24.
unica, Frideburga, *Sigeberto, Theoderic*
Aurel. & Burgund. filio deſponſata fuit :
ceſſione regni paterni per Clotharium II.
lemanniæ Ducatum tenuit, cujus ſtirpe
Henningius. Ex quibus intelligitur, A
quoque, ut Boioariam, proprio jure & Du
recteque intelligendum eſſe Ekkehardum, d
S. Galli c. 1. p. 15. edit. Goldaſt. ſcribent
dum adhuc illo tempore, Ludovici Regis, A
li, Suevia in Ducatum erat redacta, ſed

Google

peculiariter parebat. Ex quibus non eſt inferendum, Sveviam nunquam antea, ne ſub Merovingis quidem Regibus, Duces habuiſſe: ſed hoc tantum, interruptum fuiſſe, non perpetuum, Sveviæ Ducatum, & novum illum, qui a Conrado I. Rege an. 917. inſtauratus, Ekkehardi ætate durabat, nondum Ludovici Regis tempore exſtitiſſe. Sic diſtinctis temporibus concordabunt Scriptores. Hactenus Verpoortennius, cui addatur Hertius *de veteris Germaniæ populis part. 3. c. 1. §. 7. Vol. 2. Opuſcul. tom. 1.*

3. *eo tempore*) ſcilicet Ludovici infantis, qui & quartus audit. Tum enim Sueviæ Ducatus, a Pipino ſublatus, vacabat adhuc & reſtitutus demum a Conrado I. jam dicti Ludovici ſucceſſore. infra §. 23. *h. t. it. §. 7. c. 22. Auton. jur. gent.* add. Verpoortennius & Hertius *c. l.* Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 16.*

4. *leges etiam graves*) id eſt, pacis conditiones, de quibus *infra cap. 9. §. 11.*

5. *magiſtratusque*) quos non incommode Duces interpretamur, Suevis a Clodovæo victore ejusque poſteris usque ad Pipinum datos, cum ii antea Reges haberent, ab imperio jureque beneficiario Francorum liberos. *ſupra §. 20. h. c.*

§. 22. Lutfrido Duce) non belli tantum, ſed provinciæ quoque. Cujus filius & ſucceſſor Theobaldus ob crimen perduellionis, quod jugum Francorum Regum excutere conaretur, a Pipino hujusque fratre Carolomanno, proſcriptus Ducatuque Sueviæ exutus eſt. Verpoortennius *d. l. not. 3.*

§. 23.

Google

§. 23. *ſupplicio luiſſent*) de quo
Chron. Spir. lib. 2. c. 16. & 39.

2. *Burchardum*) cujus ſucceſſor
dine enumeratos habes apud Lehm.
lib. 4. cap. 1. & Fuchſium *ibi in Addit.*

§ 26 *occiſo nefarie*) de quo infra *ca*

4. *filium Johannem*) apertus erro
conſtat, Ducatum Sueviæ Rudolphi I.
mini datum, ab hoc demum ad nepo
hannem, Rudolphi Sueviæ Ducis filiu
nis jure transmiſſum eſſe, quo hic poſte
cidium in patruum Albertum Auſtriæ
cidit, isque ad hujus liberos devolutus
Chron. Spir. lib. 4. cap. 1. ubi Fuchſius
lib. 7. cap. 1. Unde Archi-Ducibus
jamnum titulus Ducum Sueviæ hæret,
utpote cum Præfectura provinciali Su
quibusdam juribus eximiis conjunctus
Sprenger *Inſtit. Jur publ. lib. 1. cap. 13.*
lib. 3. cap. 19. Illuſtris Dnus de Ludolph
tat. de Jure Camerali append. 5. p. m. 22

§ 27. *extat*) cum tamen jam Conr
certis atque indubitatis monumentis c
dit Schurtzfleiſch *diſſert 13. de reb. Bad.*
lit. b. add. Goldaſt. *Conſtit. tom. 1. ad a*

AD CAP. III. SECT. 3
De Saxonia.

§. 28.

T*Huringis ſucceſſit*) quod de Tran

Digitized by Google

ſeptentrioni obverſis, interpretor. Ciſunſtrutani enim in Auſtrum ſpectantes, everſo Thuringorum regno, pars Franciæ Orientalis effecti ſunt. *infra* § 31.

2. *Friſiam*) quod quomodo capiendum, ad exegeſin h. §. videbimus.

3. *VVeſtphaliamque*) ſtricte dictam, qua ſcilicet Ducatum Weſtphaliæ Angriæque continet. Late enim intellecta integrum circulum Weſtphalicum longe ultra Saxoniæ limites, verſus Occaſum præſertim, protenſum, complectitur. *infra cap.* 9. §. 14.

4. *ejusdem gentis*) ſcilicet quoad originem communem. Tam enim Friſii quam Saxones Germani ſunt. *ſupra cap.* 2. §. 22. aſt quoad originem propriam utique diverſæ gentes fuere. Nec obſtat, Friſios & Saxones aliquando apud veteres promiſcue nuncupari. Hujus enim rei cauſa fuit cum arctiſſima eorum amicitia junctumque ſubinde fœdus; tum vero, quod Friſii Saxonicas terras, migrationibus Saxonum exhauſtas, aliquando occuparunt. infra §. 33. & 34. Hert. *de vet. Germ. populis part.* 3. *c.* 5. *vol.* 2. *Opuſc. tom.* 1.

5. *dicti ſint*) quod quidem ex citato Procopii loco minime probatur. Etſi enim is Friſios Saxonibus jungit, ita tamen utrosque juxta diſcernit, ut inde diverſitatem gentis utriusque facile intelligas.

6. *Saxoniam illam antiquam*) h. e. Weſtphaliam, tertiam Saxoniæ inferioris partem, de qua No-

Noſter ex profeſſo agit *infr.* §. *12. ſeqq*
tonom. jur. gent. Append. 1. c. 8.

§. 31. *tenuere Thuringi*) Tantum
ut Thuringi olim Saxoniam late tenue
tra huic ſeculo ſexto ingens Thuringi
tentrionalis nimirum, inter Unſtrutu
ſita, acceſſerit, ut ipſe Auctor *infra*
Quate rectius Idem dixit *ſupra* §. 2
Thuringis ſucceſſiſſe.

2. *ad Oceanum*) Id vero eſt, in
Presb. cit. dudum aliis notatus eſt, qu
tius quoque *de veteris Germaniæ popul.*
4. §. *2. not. ult. Vol. 2. Opuſc. tom. 1.*
dem fines Thuringiæ antiquæ Septe
Oceano longo intervallo diſtant, utpo
tum ultra Albim porrecti, quos exhi
fleiſch, *diſſert. 26. ad vet. Thuring. hiſt*
Sagittarius *de antiquit. regni Thuringi*
12. §. *27. ſeqq.* ubi Conring. *de antiqu*
ſtatu.

3. *idem docet*) E contrario vero Sp
xonicum nobis ſuffragatur, dum *cit.*
traditur, Thuringos ſedibus ſuis a Sax
ſos eſſe.

4. *tria Regna*) Quod minus accu
Thuringiæ namque Regnum unum fu
fratres in totidem partes aliquando d
de re adeas Sagittar. *d. l. cap. 10.*

5. *in bello*) Quod deſcriptum
Sagittarium *d. l. cap. 11. & 12.* Schurtz
diſſert. 26. Lehmann. *Chron. Spir. l. 3. c*

Google

6. illas partes Thuringiæ) Nordthuringia dictas, quibus tractus Magdeburgicus & Comitatus Reinſteinenſis una cum oppidis Magdeburgo, Helmſtadio &c. comprehenduntur. Sagittarius *d. l. cap. 12. §. 27.* Schurtzfleiſch. *d. l. §. 3.*

7. Hac itaque) Auſtralis nimirum, hodiernam Thuringiam complectens, quam Autor noſter paulo ante *h. §.* partem modicam Thuringis a Saxonibus relictam dixit. Cui deinde Duces, poſtea vero Landgravii præfecti ſunt. Sagittarius *de antiquo Duc. Thuringiæ;* & Lehm. *lib. 2. Chron. Spir. cap. 16.*

§. 32. *Angli*) Qui non tantum nomine ſed re quoque Saxones fuere, maritimi ſcilicet, Anglo-Saxones dicti, atque ſeculo poſt Chriſtum natum quinto in Britanniam transgreſſi nomen ſuum huic inſulæ indiderunt; aſſumtis in ſocietatem hujus migrationis Friſiis & Juthis ſeu Vitis. *ſupra §. 28 & infra §. 49.* add. Schurtzfleiſch. *Not. 1. ad vitam Albert. III. Sax. Duc. p. m. 651. ſeqq. & diſſert. 24. de antiqua Sax. Dignit. §. 6.*

2. Vitæ ſeu Juthæ) etſi vero Juthæ aliquando nomine Saxonum comprehenſi ſunt, vel quod migrationis in Britanniam ſuſceptæ ſocii fuerunt, vel quod ſequiori ævo Saxones mediterranei in Juthiam penetrarunt eamque armis ſubegerunt; a Saxonibus tamen reapſe differunt, dum Juthia ab omni ævo a Saxonia Holſatiæ finibus diſterminata fuit add. Animadv. ad §. *2. c. 2. it. §. 49. & 50. h. c.* item Schurtzfl. *diſſert. 46. ad vitam Alberti III. Sax. Duc. not. 1.*

§. 35. *diviſa fuit Saxonia*) Ciſalbina nimirum,

D

rum, ſeculo poſt Chriſtum oatum ſexte
Nordthuringiæ aucta, *ſupra* §. *31.* a q
tranſalbioa, illius quippe matrix, diſcer
ſatiam, Vagriam, Stormariam, Dithmar
cam, Hamburgum, Lauenburgum &
ctens. *infra* §. *45.* add. Herr. *de veter.*
pul. parte 3. c. 3. §. 5. volum. 2. opu
Schurtzfl *diſſert. 24. de antiq. Sax. D*
9. & ibi in not. item diſſert. 46. ad vi
Sax, Duc. p. m. 662. & 663. quæ utraque
quioribus temporibus conjunctim infe
pata eſt, reſpectu ſuperioris ſcil. quæ ſe
cimo potiſſimum in terra Slavo-Sorabi
die tractus Wittebergenſis eſt, effloreſ
add. not. infra ad §. *43. & 47.* Cui deind
cimo quinto Thuringia Miſniaque in
tur. *infr.* §. *46. extr.* atque hæc poſtea,
Circulo Saxoniæ ſuperiori, per Vandali
extenſa eſt. *infr.* §. *3. c. 4.*

2. *Oſt-& Weſtphaliam*) quarun
Viſurgim, hæc vero cum Angria cis Viſ
ſus occaſum, ſita eſt. Ceterum ut
Angris & Oſtphalis diverſa nomina a
ita quoque non minus diverſæ reſpubl.
inde tamen arctiſſima amicitia atque fo
rumque ac jurium ſimilitudine junctæ,
Schurtzfl. *diſſert. 44. de Wittek. M.*
lit. e.

3. *alii aliunde*) inter quos & Herti
tuſta voce: *Walen*, qua peregrini ſeu
notantur, Saxones occiduos ſeu ci

Weſtphalos; orientales autem ſeu transveſeranos Oſtphalos dictos eſſe exiſtimat, ex quo Franci in locum Saxonum a Carol. M. in Franciam transductorum ſuffecti atque hac ratione Saxonibus immixti ſunt. *de veteris Germaniæ populis part 3. c. 3. §. 12. & 16. in not.* cui adde *§. 13. c. 9.* Sed magis placet derivatio, quam habet Noſter.

§. 36. *Satrapas plurimos*) quorum tres ſingulis ante memoratis Saxoniæ ciſalbinæ gentibus alii aſſignant, inter quos & Schurtzfl. *c. l.* alii vero ab eodem excitati, ſingulis earum quatuor Satrapas attribuunt; ut adeo ſecundum illorum opinionem, novem; ex horum ſententia autem duodecim Primores hujus Saxoniæ in univerſum fuerint.

2. *finito autem bello*) cujus utrinque ſuſcepti & poſt tres & triginta annos demum finiti cauſa a Francis prætexebatur cum conturbatio finium, tum vero religio, injuſta ſane, ut probat Schurtzfl. *d. differt. 44. §. 20. & ibi in not. lit. f. &* add. Grot. *l. 2. de Jur. bell. & pac. c. 20. §. 48.* & Autor infra *§. 29. c. 18.*

3. *non autem*) contrariam vero Meibomii ſententiam amplectitur Verpoortenn. *de Ducatibus in veteri Germaniæ regno heredit. §. 9. & 10.* nec ſine ratione. Certum enim eſt atque ab Autore noſtro aſſertum *infra §. 38. & 42.* Henricum Aucupem hujusque filium Ottonem, Wittekindi M. indubios poſteros, Ducatum Saxoniæ obtinuiſſe. Adhæc Schutrzfl. *differt. 46. ad vit. Albert. III. Sax. Duc. p. 664.* probat, Ludolphum, jam dicti Henrici Aucupis avum, Saxoniam pote-

ſtate atque dignitate Ducali rexiſſe.
mum aut ejus poſteros Ducatum Saxo
acquiſiviſſe nemo veterum Scriptorum
prodidit, quos tamen id, ſi contigiſſet,
gni momenti, minime omiſſuros fuiſſe
dimus. Unde Ducatum Saxoniæ, au
tem ejus, Wittekindo ipſi a Carolo M
que ad poſteros ejus jure ſucceſſionis
eſſe, juſta ratione colligitur, præſerti
minus pace cum Carolo Magno jam f
ante, durante bello, ille a plerisque v
Saxoniæ, & quandoque ſpeciatim An
letur. Et Carolum M. Ducali digni
kindo collata, fidem ejus, utpote fort
num bellatoris, ſibi obſtrinxiſſe, atqu
Francis cum Saxonibus ſtabilem pe
pacem conciliaſſe, vero perquam ſin
Neque in contrarium nos movet, q
objiciunt, in capitul. Carol. M. *de pa*
nia infra *ad §. 12. & 13. c. 9.* allegata,
tionem non fieri, ſed Comitum tantum
quam enim quod hoc nomine olim Du
liquando venerunt, ut demonſtrat Auto
Append. 2. Autonom. jur. gent. lipp
tonſoribus notum, unius rei affirmati
us negationem haud inferre. Quid?
plom. Carol. M. Eccleſiæ Oſnabrug
dato apud Autor. Monum. Paderborn
Dux inter judices publicos memoratur
lato jam ante Bavariæ Sveviæque Duc
quam Wittekindo Saxon. Duce intelli

§. 37. *uti Bavariam*) adde: & Sueviam Clodovæus Magnus. *ſupra §. 6. & 21. in not.*

2. *ex populari libertate &*) idem hoc repetit Autor noſter paulo infra §. *39. h. c.* verum valde ei refragatur, quod Saxones pace cum Carolo Magno facta, ſummum & independens imperium, quod ante hebuerunt, amiſere, eisque a Regibus Francorum judices dati & Saxonia provinciaſeu pars regni Francici effecta eſt, ut ipſe probat Noſter *d. §. 39. h. c.* Quæ omnia ſtatui Saxonum priſtino ſupre *§. 36. h. c.* deſcripto, adverſantur. Reliquum ergo eſt, ut per ſtatum priſtinum Saxonibus a Carolo M. reſtitutum Autonomiam deſignari exiſtimemus. vid. Autor *in Autonomia jur. gent. c. 22. §. 28. & Append. 1.* quæ Saxonibus ut aliis Germaniæ populis a Francis ſerveta, infra *§. 2. & ſeqq. c. 9.* ubi Animadv.

§. 38. *neque in Ducatum erecta*) quod tamen e contrario nobis vero non diſſimile videtur.

2. *priſtinæ libertati*) quod quomodo capiendum, explicatum Animadv. *2. ad §. 37. h. c.*

3. *mediateque adeo regno paruit*) quod tamen Noſter infra *§. 41. h. c. & §. 1. c. 4. it. §. 12. & 13. c. 9.* ad partem Oſtphaliæ reſtringit, etque Weſtphaliam cum reliqua parte Oſtphaliæ, a Carol. M. immediatam redditam eſſe contendit. Sed effictum hoc Saxoniæ medietæ & immediatæ diſcrimen videtur, eique reclamat cepitulatio Ceroli M. *de partibus Saxoniæ infr. ad. §. 12. & 13. c. 9.* a nobis excitata, quæ Weſtphalis & Oſtphalis unam

 eandem-

Google

eandemque formulam a Carolo M.
abundeque teſtatur.

4. *oſtendendum ſimul*) Nos vero
rio ad ſingula veterum Germaniæ Scrip
ab Autore §§. *ſeqq.* producta oſtendem
poortennii Meibomiique ſententiæ
verſari, imo hanc, quam Autoris noſtri, v
rem eſſe. Nam certum quid & nulli
bitationi obnoxium hac in re definire, di

§. 39. *priſtinæ libertati*) a tribu
ſeu cenſu, quo Saxones a temporibus C
telli Francis obnoxii erant, Schurtzfleiſc
44. *de Wittekind. M.* §. 20. *in not. lit. r.*
Carolum M. liberos pronunciaſſe refe
Bremenſ. *c. l.* quod & ſequentia ejus
omni debito cenſu, quæ cum præcedentib
genda ſunt, ſatis innuunt. Quæ interp
Adamo magis quam Autoris de reſtituta
phaliæ libertate populari accommoda vi
Animadv. 2. *ad* §. 20. *c. 9.*

2. *quod verum non eſſet*) Quidni?
Saxones quam Franci uni eidemque ſum
rio Franciæ Regum paruerunt. Nec
quam ex prudentia civili ignotum eſſe pu
los diverſos nulla re arctius uniri, quam
demque imperio ſubjiciantur, ſive ea ſub
mediata ſit, ſive mediata, interjecto Duc
cum hic quoque tali ſummo imperio civ

3 *ſub judicibus*) Per hos vero
Comites Weſtphaliæ, de quibus infra *cap*
quam Duces Wittekindei intelligi queu

Google

doquidem non ſolum cura rei militaris, ſed juſtitiæ adminiſtratio etiam Ducis provinciæ muneri convenit. Neque huic interpretationi ſequentia Poetæ verba: *quos Rex imponeret ipſis*, obſiſtunt, cum non minus Duces quam Comites, hereditario licet jure, provinciis devictis a Rege imponantur, qui antehac a populi arbitrio pependerunt. Hancque ſtatus priſtini mutationem cit. Poetæ loco inniti quis non videt?

4. *libertatis honore)* Quæ cum immunitate cenſus, ante pacem cum Carolo M. initam Francorum Regibus ſoluti, tum vero uſu legum patriarum, qui ante Bavaris etiam & Suevis victis conceſſus, conſtitit. Nam priſtinus Saxoniæ Status §. 36. *h. c.* deſcriptus per Carolum M. ſublatus prorſus & immutatus eſt, de quo adeo cit. Poeta anonymus intelligi nequit. vid. not. ad §. 37. *h. c.*

5. *cum libera poteſtate)* Aſt huic ex adverſo non reſpondet temporaria honorariaque, qualem Autor noſter Ducibus Saxoniæ Wittekindeis ante Hermannum Billingium fuiſſe contendit; verum ſubalterna atque ſummo Regum Francorum imperio ſubordinata horum Ducum poteſtas, quæ deinde, iisdem ad regium faſtigium evectis, ſumma atque a regio imperio libera prorſus evaſit, dum idem Dux Saxoniæ erat, qui Rex. Ceterum quid ſit, quod Witechindus Corbeienſis *l. 1. p. 685. edit. Meibom.* de prædicto Henrico Aucupe ſcribit: *Igitur patre patriæ & magno Duce Ottone defuncto, illuſtri & magnifico filio Henrico totius Saxoniæ reliquit ipſe Ducatum, Rex autem Conradus cum ſæpe*

 exper-

expertus eſſet virtutem novi Ducis, verit
dere omnem poteſtatem patris; omni
expoſuit Verpoortennius ſupra aliqu
tus *d. l. §. 3. not. 2* cujus verba, quæ h
mus, utique digna ſunt, ita vero ille rep
chindi loco addit: *Prima verba Henr*
riam ſucceſſionem ſatis aperte declarant
VUM dicunt DUCEM, nondum re
conſenſu, ſed ſuo jure, & hereditario.
clarari ſequentia debent, ut per omnem
patris, non intelligatur dignitas Saxoni
ea poteſtas, quam Otto, tanquam tutor
te, a temporibus Ludovici pueri Regis,
ut Regi quodammodo adjutor, & , p
conſors imperii haberetur. Quam auc
toto Imperio etiam ſub Conrado retinui
demque paullo ante deſcripſit Witechind
Conradus quondam Dux Francorum
Regem: penes Ottonem tamen ſumr
& ubique vigebat imperium. *Ab ea*
tate Otto, Dux Saxoniæ, hoc conſecutus
iis, qui Saxoniam incolebant exempti D
& Regi ſoli, nullo interjecto, parebant,
vice eſſet, eosque haberet devinctos &
qualem in Epiſcopos Boioariæ poteſtatem
Arnulpho Duci Henricus Rex conceſſit,
lib. 2. c. 8. Hanc ergo poteſtatem pa
tradere veritus eſt Conradus, etiamſi de
Saxoniæ dubitatio nulla fuit: eamque
invito Conrado obtinere conatus eſt, occ
iis, quæ Hattonis Moguntini erant in o

Digitized by Google

vel Thuringorum terra, ut, ſicut ſub Ottone Duce, ita ſub filio Henrico, quod factus paullo poſt ſcribitur Conradus, jam morti vicinus, rerum publicarum ſecus (i. e. penes) Saxones ſumma eſſet. Ita Witechindus ſui ipſius eſt optimus interpres. Ex his etiam declarari poſſunt, quæ de eodem Henrico Ditmarus Merſeburgenſis habet: Ottone 2. Kal. Dec. carnis univerſæ viam intrante, ſæpius memoratus juvenis in vacuam ſuccedens hereditatem jure, & maximam beneficii partem gratuito Regis ſuſcepit ex munere, & quod ei defuit, cum ſuis omnibus ægre tulit. *Quem locum paullo aliter interpungit Maderus, legitque: in vacuum ſuccedens, hereditatem &c. duriuſcule, ut mihi videtur. Utcunque ſcripſerit Ditmarus, ſaltem beneficii pars dignitatem Ducis feudalem, non adminiſtri tantum regii aut Præfecti arbitrariam, indicat. Ut ne ex hoc quidem id efficiatur, omnem Ducum Saxoniæ poteſtatem illo tempore a Regibus Fracicis dependiſſe, eoque jugo ſe primum Henricum exemiſſe. Id enim quam ſit infirmum, oſtendetur ad §. VII.*

6. *omnes iisdem verbis*) Non aliam ob cauſam, quam quia Helmoldus, Albertus Stadenſis & Crantzius Adamum Bremenſem, hominem peregrinum & in Saxonia hoſpitem, incaute ſecuti ſunt. add. Verpoortennius *d. l.* §. *10. not. 1.* & Meibomius *in vindic. Billing. & demonſtr. de Ducibus Saxon. ante Hermann. Billing.*

7. *in provinciam*) late ſcilicet & improprie dictam, cui magiſtratus propria atque hereditaria poteſtate præeſt, quali Duces in Germania non mi-

nus olim quam etiamnum prædıti,
vocem: *provinciam*, cit. Helmoldi
& Romanis olim uſitata ſignification
ea ſtatui Saxonum priſtino, quem eis
reſtitutum Noſter dixit §. *37.* & *39. h. c*
gnat. *add. not. ſupra ad §. 10. cap. 1.*

8. *dici non poteſt*) In ſignificat
qua Romani uſi ſunt; poteſt vero, ſi
ſecundum morem Germanis uſitatu
mur. Non minus enim regio, qua
Principem hereditarium habet, quam
atque adeo immediata eſt, ſtilo C
pragmatico provinciæ nomine inſignit

9. *uterque immediate*) Id vero e
que Autor neque alii eidem aſſentiente
batum dederunt. Unde nihil eſt, que
bomii Verpoortenniique veriſimiliori
ſtrahat, aut argumenta ſupra *ad §. 36.*
deſignata infringat.

10. *neque unquam*) Ex hoc mini
Saxoniam ante Hermannum Billingi
caruiſſe, ſed hoc tantum, eos, quam Ba
Regi ſuo conſtantius fidem ſervaſſe.

11. *mirum eſſe de eo ſilentium*) Imc
rum, plus tribui autoribus ſilentibus,
tibus, a Meibomio aliisque excitatis;
teſtis aiens plus probet, quam mille teſt
aut neſcientes.

§. 40. *mentio fit*) Hæc vero ſatis
ſteros Wittekindi M. bellis non ſolum,
neceſſitas ſalusque publica popoſcit, ſed

ciæ Saxoniæ præfuiſſe, dum magis ab hac quam a bello illis nomen impoſitum ipſe fatetur Autor.

2. *Duces belli*) Quorum permulti apud veteres memorantur, pauciores, qui provincias rexerint. Lehmann. *Chron. Spir. lib. 2. c. 16.* & infr. *c. 12.* Non eo minus tamen hi quoque exercitus adverſus hoſtes, belli aut inferendi aut defendendi cauſa, eduxerunt, nuncupati magis a ſtudio rei militaris, quam pacis, propterea, quod Germani veteres hanc illi poſtbabebant.

3. *mero officio*) Sequitur Autor hic & infra paſſim vulgarem opinionem, cui pridem dicam ſcripſit Furſtenerius *de jure ſuprematus cap. 14 ſeqq.* quamque poſt eum argumentis multum validis confutavit Verpoortennius *in Oratione ante ſæpius laudata.* Quibus nos plura adtexemus infra *cap. 7. §. ult.*

4. *in Saxonia*) Non ſoli Saxones, ut quos Tacitus ſilentio omittit, ſed ceteri Germani quoque, quin etiam omnes alii populi ab omni ævo Duces belli habuerunt.

5. *Brunonis*) a quo & condita & nuncupata eſt civitas Brunſuicum, clariſſimo argumento, Witekindi poſteris non minus in Oſtphalia quam Weſtphalia Angriaque inſignes terras fuiſſe.

6. *electi erant belli Duces*) Inde vero non ſequitur, eos provinciam Saxonicam non rexiſſe. ajunt enim Philoſophi, unius rei affirmationem, non illico eſſe alterius negationem. Et propulſare hoſtem, Ducis provinciæ munus vel maxime poſtulat.

§. 41.

§. 41. *veteri libertati*) Populari ſc
bet Autor ſupra § *37. 38. & 39.* nusqu
bat, quin id ipſum ad partem Oſtpha
ſtringit, ſed quam nec dicit, nec dicer

2. *exceptam fuiſſe*) Neque hoc
tor *infra cap. 9. §. 12. & 13.* quin Comi
natos Ducibus Saxoniæ ſubfuiſſe ipſe
42. h. c. dum ibi, Ducatum Saxoniæ
cupis Angriam Weſtphaliamque com
docet. Id vero ejusmodi eſt, quod fo
ciarum immediatarum, prout has Aut
ſcribit, omnino adverſatur.

§. 42. *de ordine tamen variant*) C
tiarum conflictum exhibet atque ſimu
dei generis ordinem ad liquidum pe
git Schurtzfleiſch. *diſſert. 44. de*
§. *6. & 11.*

2. *reliquis permiſit*) Sequitur hi
garem opinionem, Duces Germaniæ
rici Aucupis demum propriam atque
poteſtatem in ſuis provinciis naſtos
uberius explanat *infr. cap. 7. §. ult.*
43. it. cap. 17. § 11. ubi nos in notis v
poottennii atque Furſtenerii hac de
propugnaturi ſumus.

§. 43. *ceſſit*) Non integer tamen
hac totam Saxoniam inferiorem, cis-
nam, complexus eſt; verum valde in
quidem Angriæ Weſtphaliæque Duca
ſonienſi, quæ eo etiamnum ſuperb
eſt, reliqua autem Saxonia dominos

ſcopum Monaſterienſem, Ducem Juliacenſem, tum Comitem, Archiepiſcopum Bremenſem, Epiſcopos Mindenſem, Oſnabrugenſem atque Paderbornenſem; Comites Lippenſes, Bentheimenſes, Tecklenburgios, Pyromontanos & Pyromontanæ Dynaſtiæ heredes Waldeccios, Dipholdenſes, Hoienſes, Oldenburgicos, atque Delmenhorſtanos, ut docet Schurtzfleiſch. *diſſert. 46. ad vitam Albert. III. Sax. Ducis p. m. 658.* Bernhardo Aſcanio itaque ex veteri Saxoniæ Ducatu nihil obtigit, præter terram Lauenburgicam, modicam Saxoniæ tranſalbinæ partem, atque tractum Wittebergenſem, olim Suevorum Semnonum, poſt vero Slavorum Saraborum, qui & Syrbi audiunt, ſedem *ſupra §. 16. & infra §. 53. & 65. h. c.* Schurtzfleiſch. *diſſert. 47. ſ. Append. ad vit. Albert. III. Sax. Duc. p. m. 687. ſeqq.* quæ ab hoc tempore nomen Saxoniæ ſuperioris, a promoto illuc Saxonico Ducatu, adepta eſt. Schurtzfl. *diſſert. 24. de antiq. Sax. Dign. §. 9.* add. not. *ſupr. ad §. 35. h. c* Etſi vero Angriæ Weſtphaliæque Ducatus, ut paulo ante dictum, ab Henrici Leonis proſcriptione penes ſedem Colonienſem ſtetit, id tamen jam memorati Bernhardi Aſcanii poſteros Lauenburgenſes non impedivit, quo minus Angriæ Weſtphaliæque Ducali titulo perpetuo uterentur. Ceterum de Palatinatu Saxoniæ vid. infra *§. 17. c. 15. & ibi Animadv.*

§. 45. *Haſſia*) Cujus Landgravium olim Ducibus Saxoniæ paruiſſe aſſeritur *infra cap. 15. §. 39. extr* quod tamen a vero perquam alienum, nec ullo documento ejus rei fides fieri poteſt. Quare Haſſia

by Google

Haſſia poſt Henrici Leonis proſcriptionem Ducatu Saxoniæ, a quo nunquam pependit, exemta dici nequit.

2. *terræ Comitum Aſcaniæ*) Quod certum de caſtro Lauenburgo & regione ei innexa, ut quæ ante Henrici Leonis proſcriptionem indubia Saxoniæ Ducatus antiqui pars fuit; at quantum ad Aſcaniæ Comites, eos ante proſcriptionem Henrici Leonis Ducibus Saxoniæ paruiſſe nondum ad liquidum perductum eſt.

3. *Epiſcopi, novis terris tum quæſitis*) Quos enumeravimus *ſupra ad* §. 43.

§. 46. *bona propria)* Quæ Teutonico idiomate Eigen dicuntur in litteris feudalibus ſeu inveſtituræ Friderici II. Auguſti Ottoni de Luneburg ſuper erectione Ducatus Brunſuicenſis datis anno 1235. apud Becmannum *in Syntagmate dignit. Illuſtr. diſſert. 10. §. 11. p. m. 932.* atque patrimonium Guelphicum, nemini, nec Cæſari, obnoxium, complexa ſunt, ad quæ adeo proſcriptio Henrici Leonis non pertinuit, ſed ad ea tantum, quæ hic a Cæſare Imperioque lege beneficiaria habuit, ut quidem ceoſet Schurtzfleiſch. *diſſert. 45. §. 6. in not. litt. o.* Ceterum originem atque amplitudinem jam memorati patrimonii Guelphici deſcriptam habes apud Sagittar. *de Origin. Brunſuic. §. 30.* citatum Imhofio quoque *in Notit. Proc. Imper. lib. 4. cap. 4. §. 2.*

2. *in Ducatum erexit*) Simulque prædictum patrimonium Guelphicum in feudum Imperii commutavit, ut expreſſe habetur in litteris inveſti-

turæ

turæ apud Becmannum paulo ante allegatis. Unde Ducatus Brunſuicenſis & Luneburgenſis feudum oblatum recte dicitur. Neque obſtat, ut quidem exiſtimat Gladovius in Hiſtoria univerſali Germaniæ *lib. 5. cap. 6. §. 9. in not. litt. c.* quod Otto de Luneburg in prædictis inveſtituræ tabulis ante memoratum patrimonium Guelphicum plene & absque reſervatione particulæ dominii in Fridericum II. abdicaſſe legitur; quandoquidem juris feudalis peritis ſatis notum, dominium utile, retento dominio directo, per inveſtituram Vaſallo prius reddi nec ſolere nec poſſe, quam utrumque in dominium directum plene translatum eſt. Ad hæc Ottonem de Luneburg plenum dominium ſuum in Cæſarem Imperiumque ſine pactione de recipiendo dominio utili abdicaſſe quis credat? cum nemo ſuum jactare cenſendus ſit, ut quod communi hominum naturæ repugnat. Quare illud quoque, quod porro apud eundem Gladovium dicto loco objicitur, a vero alienum putamus, dicti patrimonii Guelphici in feudum imperii commutationem jam memoratu Ottoni de Luneburg ejusque poſteris plus damni quam commodi attuliſſe. Præterquam enim quod beneficio Friderici II. Auguſti atque Imperii Procerum feminæ quoque hujus feudi regalis capaces redditæ ſunt, ut luculentus verbis in paulo ante citatis inveſtituræ litteris expreſſum eſt, nemo, puto, rerum Germanicarum peritus, jacturam dominii directi, collato novo Ducali honore atque faſtigio, quo Otto de Luneburg per proſcriptionem avi, Henrici Leonis, exciderat, largi-

Largiter penſatam eſſe, inficias ire pot

3. *Miſnia & Thuringiæ*) Exiſtin Autor *infra cap. 15. §. 39. extr.* Landg ringiæ & Marchiones Miſniæ olim Du niæ paruiſſe; *h. §.* autem illos utroſqu imperio poſt proſcriptionem Henric emtos eſſe aſſerit. Verum cum illud ne probari queat, hoc quoque conſid tur neceſſe eſt.

4. *cohærent*) Videtur Autor eor ſententiam, qui Fridericum Bellicoſu xoniæ Ducatum a Sigiſmundo Cæſar tum, & tum finibus tractus Witteberg xat circumſcriptum, ampliorem red Thuringiam Miſniamque perpetua le tradunt, quod tamen alii cont Utcunque ſit, certum eſt, duo Miſniæ giæ ſuffragia hodie Saxonico contineri Electorem, neque ceteros Saxoniæ D mitus regni ſeorſim uti, ut ex ſeſſionis o exhibet Autor der Grund-Veſte *in Ta* 96. elucaſcit. add. Schurzfl. *differt. 4* *Albert. III. Sax. Duc. p. m. 667. extr.* & *eunte*; & Animadv. *ad §. 66. h. c.* *cap. 15.*

§. 47. *anguſtis adeo finibus*) tra bergenſis nimirum, quo hic Ducatus natur, Friderico Bellicoſo cum Archim & Saxoniæ Palatinatu a Sigismundo tus, terra Lauenburgica, velut parte Aſcanios Duces Lauenburgicæ lineæ

Google

qua anno 1689. extincta, Elector Hannoveranus caſtrum Lauenburgicum cum acceſſionibus ſibi aſſeruit, quo jure, tractat Schilt. *in Supplemento Commentarii ad jus feudale Alemannicum p. m. 520. ſeqq.* quodſi vero Ducatui Saxoniæ a dicti Friderici Bellicoſi ævo Thuringiam cum Miſnia cohærere cum Autore *§. præced. 46. extr.* dicas, is certe ſatis amplus videtur.

2. *tot terris*) quas enumeratas habes ſupra *§. 45. & 46. h. c.* ubi Animadverſiones addantur.

§. 48. *Miſnica ſeu Thuringica*) quæ Aſcaniis Ducibus Electoralis ſtirpis in Alberto III. extinctis Sigismundi Cæſaris beneficio ſucceſſit. *§. 43. extr. h. c.*

2. *duci ſolet*) a plerisque, inter quos & Schurtzfl. *diſſert. 44. de Wittekindo M. §. 5. p. m. 573.*

§. 49. *hujus provinciæ partem fuiſſe*) at Daniam cum Juthia a Saxonia atque adeo Germania etiam, jam Carolingorum ævo Eidora flumine diviſam eſſe demonſtrat Conring. *de fin. imp. ſupra §. 2. c. 2.* allegatus. Quod non minus de temporibus, quæ Carolingos præceſſerunt, probat Schurtzfleiſch. Animadv. *2 ad §. 32. h. c.* citatus. Quare nec hiſtoria Daniæ huc, ubi de provinciis intra Germaniæ fines ſitis agitur, pertinet, ſed ad *cap. 5. & 6.* terras Germanis ultra hos fines quæſitas, complectens, differenda fuit. add. Animadv. *ad rubr. d. c. 5.*

2. *pars Anglo-Saxonum*) id vero minime probat, Daniam olim partem Saxoniæ fuiſſe. Sæpius

E enim

enim diverſæ etiam gentes belli atque
ſocietate junguntur.

§. 50. *Germaniæ portio*) quod
accurate dictum. Quanquam enim
interregnum Germaniæ feudi & fœde
lege illigatam fuiſſe certum, propterea
tio hujus ſtricte intellecta nuncupa
quo nomine eæ ſolum terræ veniunt,
niæ præter feudi & fœderis inæqualis
ſubjectionis inſuper nexu cohærent,
nia, extra Germaniam quippe ſita &
moria proprias ſeparatasque regimini
tita, vix probari poterit. Ceterum
aut fœderis inæqualis vinculum veram
dictam ſubjectionem, vel, quod hui
reſpondet, imperium, non inferre, i
tum eſt, vid. infra §. *41. c. 15.* Grotius *l.*
& pac. c. 3. §. *21. & 23.* Struv. *Syntag*
c. 8. aph. 6. n. 9. & c. 11. aph. 2.

2. *ſub corona*) Hoc ad imminut
dignitatis ſpectare inde liquet, quod h
miæ Regis ceu Imperii Archipincerna
ne Germanorum Regi in Curiis ſolenn
rona ſervire teneatur, per *tit. 4. extr.*

3. *pro parte in ſolo Germanico*) ſc
Glückſtadt & Hollſtein Gottdorff, qu
tiæ partibus jus Comitiorum datum. v
beſte *part. 2. c. 5. p. m. 96. in Tabula.*
nim Holſatia ad Juthiam Spectat.

AD CAP. III. SECT. 4.

De Moravia & in genere de Slavis.

§. 41.

MOravi ſeu Marcomanni) qui duo populi ratione Geographica quidem conveniunt, poſtquam Moravi Marcomannorum ſedes occuparunt, de quibus ſupra §. *2. h. c.* ubi Animadverſ. differunt vero origine rebusque geſtis. Hi enim Germani ſunt ſecundum §. *23. c. 2*, illi autem Slavi ſeu Venedi. *infra* §. *61. h. c.*

2. Moravi) quæ hic laudantur de Moravis, ab allegatis Scriptoribus Marcomannis tribuuntur, qui apud veteres nunquam Moravorum nomine veniunt.

§. *54. agnoverunt*) non tamen perpetuo, ſed aliquando duntaxat, prout res Germanorum alio atque alio tempore bene vel male ſe habuit. Sæpius enim in priſtinam libertatem vindicarunt ſe Slavi, fortiſſimi quippe viri & Germanorum infenſi hoſtes, ut traditur infra §. *60. h. c.* & §. *7. c. 7. it.* §. *7. c. 9.* Deinde Imperium agnoſcitur ſubjectionis vel propriæ vel impropriæ, feudi ſcil. vel tributi ſeu cenſus vel fœderis inæqualis nexu. Grotius *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3.* §. *21. 22. & 23.* Quantumvis autem Slavos ſeu Venedos imperium Germanorum illico a Caroli M. ævo ſubjectionis propriæ lege agnoviſſe difficile probatu, de altera tamen ſubjectionis ſpecie vix eſt, quod dubitemus,

per ea, quæ § 55. 58. & 62. *h. c.* de cer
buto habentur. Qua conditione
Bohemia Germaniæ etiamnum juncta
madv. 2. *ad* §. *ult. c. 1.* oſtenſum; Sl
autem ex multo jam tempore Imperio
jectos eſſe, *ſect. 5. h. c.* demonſtratur,
Poloni Hungarique id hodie neutra
ſpecie agnoſcant, ut ex §. *38. c. 5.* app
5. c. 7.

2. *ne litteras quidem*) unde con
quæ ſupra *ad* §. *1. Prolegom. Anima*
tavi.

§. 55. *in ſolo Germanico*) cui er
men graviter obſtat, quod Noſter pau
§ *n. 2.* & ſupra §. *53. h. c.* dicit, Ma
atque Vandaliam a priſtinis ſuis
prope deſertas eſſe. *add.* §. *13. c. 2.*
non immerito inferas, eas occupatio
jus Slavorum independens ac ſumm
ſiſſe. Et quomodo, quæſo, Slavos
ad imperium Germanorum propterea
lo Germanico conſedere, pertinere
Vendalia atque Marcomannia eo tem
habitatoribus utriusque priſtinis ind
bus, ſe Slavi in eas prope derelictas in
perunt, extra Franciæ & reliquæ Ger
nem fuerint ? Quamobrem hujus in
Vendiam jus a belli & pacti titulo
citur.

2. *fundata eſt intentio*) ex quo
manorum armis ſubacti ſunt Slavi, p

1. ad §. 27. c. 5. Nam ſola occupatio ſoli vacui, nec tum Francorum imperio comprehenſi, eos ad ſubditorum Germaniæ conditionem detrudere nequit.

3. *aſſerit Tacitus*) Magis tamen ex utilitate Romanorum quam ex vero, ut ipſe Autor noſter innuit *ſupra cap. 2. §. 20.* ibidem, Cattos, Germaniæ populum, Bataviam vacuam occupando ſuam feciſſe, certum eſſe dicens.

4. *Reges a Germanis accepere*) Si non imperii ſummi, attamen feudi jure. Neque enim Poloniæ aut Bohemiæ Ducibus Ducatus ſuos Germaniæ, beneficiario ſaltem jure, obnoxios, injuſſu domini directi in regnum convertere jus fuit, cum qualitas feudi a contractu feudali pendeat, quem Vaſallo, invito Domino directo, immutare minime licet.

§ 57. *audiviſſe*) Quod quidam ad nexum feudi quam veræ ſtrictæque Polonorum ſubjectionis referre malunt, cum & dominus directus controverſias ſuper feudo aut ejus qualitate ortas cognoſcat & ſententia ſua dirimat; & cauſæ inæqualiter fœderatorum aliquando apud eum, qui ſuperior eſt in fœdere, diſceptentur. Ceterum neque feudum neque fœdus inæquale ſubjectionem veram inferte, jam ſupra monuimus *ad §. 50. c. 3. Animadv. 1.*

2. *ſubmiſiſſe*) quod inæqualiter fœderato pariter ac ſubjecto proprie dicto convenire poteſt. Grotius *lib. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 21. & lib. 2. cap. 15. §. 7.*

3. *juraſſe fidelitatem*) Neque hoc ad pro-

baodam ſubjectionem ſtricte intelleċ
quicquam valet. Tam enim inferiori
& ab æquali æquali, quam ſuperiori
fidelitas jurato promittitur. *infr. c. 22.*
23. §. 37.

4. *ſolviſſe cenſum*) Quæ ſolutio i
ſolventis quidem, minime vero ſubjeċ
ċte dictam arguit. Fuit enim tempus
mania Hungaris grave tributum pen
mann. *Chron. Spir. l. 2. c. 47. item l. 3.*
5. c. 1. add. Schurtzfl. *diſſert. 19. de Unga*
& 11. Quis vero ideo affirmare auſit,
tempore ſubjectionis lege obnoxiam f
que vero hæc re ipſa tantum diſtincta
a veteribus quibusdam & recentioribu
dulo ſecernuntur. Ita relatum legas,
a Clodovæo M. & Saxones a Carolo
ante Francis vectigales ſeu tributarios e
ſtea vero illos a Theoderico, dicti Clo
hos autem a Carolo M. Caroli Martelli
mum ſub poteſtatem imperiumque
ſubjectionis lege redactos eſſe. Schurtz
ſert. 10. de antiqu. Franc. §. 15. & diſſer
Burgund. c. 4. §. 2. in not. lit. c. it. diſ
Witek. M. §. 10.

9. *leges datas*) Polonos olim jure S
ſos, certum; aſt hoc ab iis non ſua ſp
ptum, ſed imperio Germanorum datu
que Goldaſtus *h. l. cit.* neque alius
quantum memini, adhuc probatum de
fra *§. 7. cap. 23.* Ceterum ex loco Eg

§. 55. extr. & inf. §. 12. c. 5. plenius deſcripto liquet, Poloniam non univerſam, ſed ciſviſtulanam duntaxat a Carolo M. tributariam effectam eſſe. Et ſunt, qui putant, dictum ante nexum tributarium aut fœderis inæqualis non minus poſtea quoque ad eandem reſtrictum manſiſſe; deſiiſſe autem, neque Reges Poloniæ imperium Germanicum amplius agnoviſſe, poſtquam Sileſia Poloniæ detracta atque Regno Bohemiæ conjuncta eſt, de quo *inf. §. 65. h. c.*

§. 58. *mediati ſunt*) ſubditi ſcil. etſi improprie ita dicti, quales hodieque ſunt Slavi orientales ſeu Moravi. Boreales enim dudum Germanorum imperio ſubjectione propria devincti habentur, per Animadv. *ad §. 54. h. c.*

2. *non tamen jus civitatis*) non velut indigni, ut quidam Autorem perperam interpretantur, ſed tanquam hoſtes Germanorum perpetui, imperio reque publica propria & a Germanico regimine ſeparata gaudentes atque libertatis ſtudioſi, ut vel inde liquet, quod Slavi cum Boreales tum Orientales Germanorum armis tandem ſuperati fatigatique atque horum imperium ſubeuntes juris Teutonici & Comitiorum participes redditi, ut jam ſupra *ad §. 54. h. c.* adnotatum.

§. 59. *Jus Lubecenſe*) quo de inf. *cap. 23. §. 7.*

§. 62. *vindicavit*) Exceptis maritimis civitatibus Dalmatiæ &c. quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit. Eginhardus *inf. cap. 5. §. 12.*

§. 66. *prope Orbi*) Si non imper
te tamen. vid, §. 25. c. 8.

2. *ſita eſt*) obſtare tamen vide
perpetuo diverſam fuiſſe a Saxonia
ſed reſpondetur, illam in hac ſitam n
duplici cauſa dici poſſe, vel quod Miſ
ringia Saxoniæ a Friderico Bellicoſo i
Noſter quidem retur, §. 46. *extr. h.*
Miſnia jam olim jure Saxon. uſa, inde
Saxonico comprehenſa, exemplo alia
Slavicarum, add. Animadv. ad §. 3
cap. 16.

3. *Slavici juris habentur*) Diſced
ab Autoris ſententia, quandoquidem
Bohemia ex eo ſaltem tempore, quo
natus Imperii iſti innexus eſt, juris T
ticeps facta, ut oſtendimus ſupra *in n*
c. 1. Sileſia, Moravia & Luſatia ver
hemiæ cohærentes, ſuffragio Comitia
comprehenduntur, quemadmodum
quæ juxta cum Thuringia a Friderici
Saxoniæ cohæſit, Saxonico; priſtino
rum more, ad noſtra usque tempora,
Principatus paulo antiquiores, perd
eo clarior evadat, notandum (1) oh
rium Principatuum poſſeſſorem, etſi a
bus autoritate ſuperiorem, unum du
gium, & de nobiliori Principatu quide
diſparis ordinis, in Comitiis tuliſſe; (
nius vel plurium Principatuum poſſe
latim, & viritim quidem, ſuffragatos,

numeri vel perſonarum ſuffragaotium, vel Principatuum habita; (3.) diviſo uno inter plures condominos vel cohæredes Principatu, ampliori præſertim, ſingulos ſingularum partium diviſarum poſſeſſores, dehinc, ut ante, durante communione, ſingula eaque integra tuliſſe ſuffragia, non curiata; (4.) Principes in diviſione diverſorum Principatuum terras inferioris conditionis ſortitos, in ſuffragando nihilominus ordinem Principatus eminentioris, antehac juxta cum iſtis communis, retinuiſſe. Unde factum, ut, Miſnia cum Saxoniæ Ducatu per Fridericum Bellicoſum conjuncta, ſuffragium Miſnicum pariter ac Thuringicum exhinc ſuffragio Saxonico etiamnum cohæreat, ita ſcil. ut eo non Elector ſolus, ſed & ceteri Saxoniæ Duces, Thuringici & Coburgenſis Principatus, Hennebergici Comitatus partis, poſſeſſores, in Ducatum Saxoniæ & Marchiam Miſnicam nullo niſi ſuccedendi jure nunc gaudentes, in Comitiis hodieque ostantur, prout adnotavi ſupra *ad §. 46. extr.* Miſniæ namque Marchiones prius, quam Landgraviatu Thuringiæ & Ducatu Saxoniæ aucti, jure Teutonicæ civitatis ſeorſim uſos, vel ſolæ Auguſtæ feudales litteræ, Ottoni, primo Brunſuicenſium & Luneburgenſium Duci, a Friderico II. datæ, teſtatum faciunt apud Meibom ſupra *§. 46. h. c.* citatum, & Becmann. *in Syntagm. Dignit. illuſtr. diſſert. 10. c. 2. §. 11. p. m. 634.* & præterea Burggraviatus Miſnici exemplo comprobatur, quem utut terræ Slavicæ innexum inter Principatus Germanici juris connumerat Noſter infr. *§. 25. c. 15.* Quid? quod,

admiſſa ejus ſententia, illud adhuc inau
tiquis rerum Germanicarum monume
ſum ſequitur, Thuringiæ Landgravio
Marchiones toto eo tempore, quo Sax
tus penes Aſcanios ſtetit, & a Thuri
que ſeparatas adhuc rationes habuit, ju
tiis ſuffragandi caruiſſe; ſiquidem Au
non tantum, ut terram Slavicam, ejus
tem pronunciat; ſed inſuper Henricu
Miſnicum Marchionem Landgraviatu
auctum, ſuffragio Thuringico, in Hen
tini, Haſſiæ Landgravii, gratiam ſeſe ab
rit infra §. 43. c. 15. ubi Animadv. Cete
integra plurium unius Principatus
ſuffragia non amplius admitti, ſed ej
vel indiviſi commune omnibus unum
eſſe ſatis notum, add. Animadv. *ad §.*
h. c. & ad §. 41. c.

AD CAP. III. SECT.
De Vandalia ſeu Marc

§. 65.

P*Aruerant imperio Francorum*) tribu
fœderis inæqualis, cujus & feudali
ctes habetur, lege, infr. *§. 12. c. 5.* deſcrip
næ ſubjectionis conditionem, a Germa
demum, diviſo Francorum regno, redac
§. 68. 77. & 78. h. c. traditur.

2. *etſi vulgo*) quare & Vandaliæ, p
Vandalis, velut priſcis ſuis habitatoribus

& deinde a Venedis ſeu Slavis occupata, non incommode Slavia ſeu Vendia appellari poſſet.

§. 67. *ad Ludovicum I.*) vel ut arbitrum electum, vel ut fœderis inæqualis, de quo ante *ad* §. 65. *h. c.* principem, ut Cranz. *cit. loc.* innuit; quando, Ludovico I. in Slavos Boreales jurisdictionem ordinariam, a ſubjectione plena ſeu propria oriundam, fuiſſe, probatu difficile.

2. *prope ejectis*) ſervatis tamen imbellibus aliisque quampluribus Imperii Germanici jugum ſubire haud renuentibus, quod vel ſolo linguæ Slavicæ uſu evincitur, ut qui diu poſt Germanorum Reges, Slavorum victores, *h.* §. nominatos, in terris Slavicis manſit, adeo quidem, ut Carolus IV. eam linguam, ut maxime neceſſariam, Electorum filiis ediſcendam præceperit *A. B. c. ult.* Neque enim vero ſimile eſt, omnibus Slavis ejectis, tantum tamque diuturnum linguæ Slavicæ uſum ſuperfuturum fuiſſe. Ut jam omittam, Reges Septentrionis non minus, quam ipſos Brandenburgicos Marchiones hodieque titulum a Venedis ſumtum gerere. add. Schurtzfl. *diſſert. 32. de originib. Pomeran. in not. ad* §. 7.

§. 69. *Thuringis, quibus*) ſeptentrionalibus ſcil. Auſtrales enim a Theoderico in Francorum ditionem redactos Noſter docuit ſupra §. 28. & 31. *h. c.* ubi Animadv.

§. 70. *cur Marchia Brandenburgica*) cujus rei ratio unica, vera & adæquata eſt, quod ea pars Vandaliæ ſeu Vendiæ ſive Slaviæ, ubi hodie Marchia Brandenburgica eſt, Henrico I. Rege autore, provin-

provincia ſeu pars regni Germanici fa
Marchiœ inter Imperii Proceres publi
eſt, ut Noſter docet *§. 68. h. c.* quare
Idem ad Miſnicam, Luſaticam & B
cam Marchiam diſcernendam hoc loc
rum adæquatæ, imo pauciſſimæ vero
videntur.

2. *manſerint juris Slavici*) qu
quam abſimile eſt. Miſnia namqu
æque ac Marchia Brandenburgica in
nico ſitæ atque provinciæ ſive partes
nici ab Henrico I. effectæ ſunt.
Regni fingi poteſt, quæ ejus portio
vero ignotum, partem jure corporis,
bis Germanicum eſt, gaudere? Unde
ſniæque hac in re fundata eſt, quod aj
quoad, eas ab Henrico Aucupe inter
Germanici expreſſa retinendæ priſtina
tis lege receptas eſſe, liquidis docume
batur. Quod tantum abeſt ut doc
potius Miſniæ jus Germanicum in ap
tum ſit ſupra *in not ad §. 66. h. c.* N
officit, Luſatiæ Marchiones nuſquam
ſeorſim ſuffragatos legi. Id enim, e
ſet, tribuendum partim priſco ſuffraga
quo *ibid. in not.* partim quod Luſatia
Miſnica & Brandenburgica Marchi
cum Bohemia copulata fuit.

3. *nudi officii nomen*) quod tam
probatum, dedit nec Autor nec al
Quin, Marchionibus Germaniæ omn

hereditarium Ducibus par fuiſſe, facile probatu eſt. Et Marchionum nudum olim officii nomen ſi conceſſeris, idem de Marchione Brandenburgico dicas neceſſe eſt, niſi demonſtretur, hujus ante etiam, quam in Electorem promotus eſt, jus ſingulare nec cum ceteris Marchionibus commune fuiſſe. Quæ tamen demonſtratio adhuc defuit.

4. *quo non mutatur ſtatus*) Nos vero contra aſſerimus, utique mutari ſtatum terræ, quæ ante extra corpus Imperii conſtituta, ut olim ante Henricum I. Miſnia atque Luſatia, deinde Comitatus aut Marchionatus adeoque pars ac membrum ejus efficitur. Nam partem jure corporis communi gaudere certum eſt, quousque incertum, partem illam diverſa conditione receptam eſſe. Id quod principiis prudentiæ civilis oppido conveniens eſt, contrarium autem, quod Autor aſſerit.

5. *nedum origo civitatis*) Aut Slavi in plenam ditionem regni Germaniæ redacti jure ejus publico digni cenſeantur neceſſe eſt, aut idem hoc Autoris argumentum tam Marchioni Brandenburgico quam Miſnico aut Luſatico obſtat, quia omnes pariter tertas Slavicas poſſident. Et ſane Slavos penitus ſubactos a majoribus noſtris jure Germanicæ civitatis haud indignos habitos eſſe, tam Orientales quam Occidentales ad idem admiſſi neminem dubitare ſinunt. adde *not. ſupr. ad* §. 54. & 58. *b c.*

6. *nec origo gentium*) hanc vero, ceteris paribus, juri Germanico aut Comitiorum non obſiſtere, proxime notatum.

7. *vace-*

7. recepta ſint) aſt hoc tamdiu
bendum per notata ante, donec con
betur.

8. juſtus Ducatus eſt) Hoc ver
Autor a multis & tantum non omn
ſiquidem Marchiones Brandenburgici
in litteris inveſtiturarum Auguſtis, vel
perii ſanctionibus aliisve monument
Duces appellati ſunt; neque ipſi h
quam uſi leguntur. Eos tamen, ex
Archicamerariatu aucti ſunt, Ducib
antiquis ſeu Archiofficialibus jure &
æquatos eſſe, nequaquam diffiteor.
reſponſio ad locum Cuſpin. quem No
Append. 2. Auton. jur. gent. objicit,
Brandenburgica Archiofficio jam a
tem.

9. jure proprio) Eodem vero jure
qunque Miſnenſes Luſatique a prima
Imperii ſaltem reſpectu, provinciis
runt.

10. *nova civitatis forma*) Id quod
benter concedimus, ea tamen lege atq
ne, ut idem pariter, prout æquum, Luſa
que Marchiis tribuatur, aut diverſum
cupi in conſtitutione earundem placuiſ
Nec enim efficta Autoris aſſertiones &
nis aut documentorum fide ſuffultæ ſu

11. *expulſis maximam partem*) Id
de Miſnia Luſatiaque dici poteſt, du
minus multi Slavi ab Henrico I. expulſi

Google

cum eorum Germani ſuffecti ſunt, ut Annales paſſim teſtantur.

12. *Germano Duce*) Quem Autor deſignat inf. §. *72. b. c*, quod tamen parum, imo nihil ad rem facit, cum magis jus terræ, Teutonicane ſit, an peregrina, quam poſſeſſoris, jus illius quippe ſequentis, ſive Germanus, ſive peregrinus ſit origine, reſpiciatur. vide ſupra §. *ult. cap. 1. ibique not.*

13. *ſolo Germanico*) Nec minus Miſnia Luſatiaque ſolo Germanico comprehenduntur. Unde nihil prorſus ſupereſt, quod inter Brandenburgicam, qua talem, & Miſnicam Luſaticamque Marchiam interſit.

§. 71. *formula Marchiæ*) tam Miſnenſis atque Luſatiæ, quam Brandenburgicæ.

2. *nomen officii*) Id vero negavimus ante in not. ad. §. præced.

3. *ſub Ducibus*) Quod non magis de Marchionibus Miſniæ ac Luſatiæ, quam Brandenburgico aſſeri poteſt. Illos enim Ducibus Saxoniæ qua talibus, paruiſſe ſine ulla veritatis ſpecie affirmatur, ut animadvertemus *inf. ad* §. *39. cap. 15*. Ceterum notabilem nunc eſſe differentiam Marchionis Brandenburgici, poſtquam hic dignitate Electorali auctus eſt, & aliorum Marchionum, minime diffitemur. Quin etiam agnati ejus ob jus ſucceſſionis Electoralis non tantum alios Marchiones quoscunque, ſed Duces inſuper omnes, qui recentiores ſunt, præcedendi jus habent, exceptis ſolum Saxoniæ atque Bavariæ Ducibus, ceu ſimili ſucceſſionis jure gaudentibus atque cum ordine Archiof-

ficio-

ficiorum, tum Ducatuum antiquit.
adde §. *ult. c. 1. ſupr. ibique & ad §. 66*
notata.

4. *Gero Dux*) belli ſcilicet, vel
Marchiæ Brandenburgenſis, provi
Ducali genere ortus. Hæc enim M
tus nunquam fuit, proindeque nec
qua talis, inde Dux eſſe aut vocari po
quidem Principum dignitas, jus atqu
unde, quam a conditione terrarum, q
arceſſi nequeunt.

5. *ſed Ducatur*) at multiplicat
Marchionatuum in una perſona, ve
ditionis ſola, Ducem conſtitui, nec ra
ſtitutis regni Germanici, convenit.
quidem Imperii dignitates non territ
potentiæ magnitudine, ſed cauſa & ri
tur, ut ipſe Noſter recte docet infra *ca*
ſi plures Marchias poſſidens continu
tur, Marchiones Miſniæ, atque Luſat
utramque hanc junctam tenuere, Du
habendi fuerunt. Quod tamen n
adulationes, ut decet, procul hab
dixit.

6. *imperaſſe*) addit tamen *c. l.*
us, Slavos imperium Alberti Urſi bre
fiſſe.

7. *primarium provinciæ hujus*
neque fuit unquam Marchio Branden
que a Slavorum Principibus agitus
vis iſti aliquando Regi Daniæ, ut & F

Saxoniæ Ducibus paruerunt, ab imperio tamen dicti Marchionis liberi vixerunt. Sed vid. tamen Animadv. *8. ad* § *70. h. c.* ubi etſi non nomen, jura tamen veterum Ducum cum Archiofficio ſec. 12. tum conſecutum eſſe conceditur.

8. *officii cauſa*) Ab officio vero aulico, quod quidam forte Slavorum Principes in aula Brandenb. geſſerunt, ad ſubjectionem terrarum eorundem, velut diverſum quid, nulla valet conſecutio. Amplius locus Cranzii citatus ſatis indicat, dictos Principes ante inter aulicos Electoris Brandenburgici ſatellites fuiſſe, quam ex iſtis Pomerani a Friderico Aenobarbo, & Obotriti a Carolo IV. in dignitatis Ducalis culmen evecti ſunt.

§. 74. *Marchiæ fuit*) Ante vero, quam ad hanc perveniret, Miſniæ, nunc vero quaſi poſtliminii jure iterum Electoris Saxoniæ, ex pacto inter Cæſarem Ferdinandum II. ac Johannem Georgium I. Saxoniæ Electorem anno 1635. inito, quo utraque Luſatia ab illo tanquam Bohemiæ Rege, in hunc beneficiaria lege tranſlata, in compenſationem impenſarum a nominato Electore in bellum Bohemicum factarum, quæ tales ac tantæ fuere, ut non pretio dato aut pecunia numerata, ſed ceſſione earum provinciarum, quas Marchiones Miſniæ, nondum Electoratu aucti, antiquitus poſſederant, rependerentur. Schurtzfleiſch. *diſſert. 25. de March. Miſnenſ.* §. *3* & *diſſert. 27. de Luſatia,* §. *8.* & *10.*

§. 75. *Principatus Franciæ*) Gulmbacenſem nimirum atque Onolsbacenſem. Qui duo Principatus etſi Burggraviatui Norico cohærent, ut ap-

 paret

paret ex Ordinat. Regim. *de anno 1*
Sechs Räthe aus den 6. Kreyſe
Camer. *de anno 1507. §. 4. item de*
Benennung Cammer-Richters u
&c. Marchiones Brandenburgic
lorum poſſeſſores, non ut Burggravi
Marchionatus Brandenburgici titulo
lu: potiore, in Comitiis regni, proxim
niæ atque Bavariæ Duces, more antiq
de quo ſupra *ad §. 66. h. c.* hodieque
ut indicat Tabula *ad pag. 96.* der C
2. c. 5.

§. 77. a Carolo IV.) Cujus vafr
conſilium prodit Schurtzfleiſch. *d*
reb. Mecklenburg. §. 11. ubi etiam tra
Carolum pari ratione rumorem d
quam Waldemarus, de quo ſupra §. 7
dum eſſet mortuus; atque hominem
ſtruxiſſe atque ſubornaſſe, qui diceret
chionem Waldemarum, ut Ludovi
ſummoveret, eamque, ſubmoto hoc,
ferret. Augendæ ſiquidem potentiæ
me calluit atque iniit Carolus IV.

§. 78 *convenit anno 1338.*) Poſt
tentiones ſcilicet inter Duces Pom
Marchiæ Septemviros quandoque, an
ſceptatas, quarum origines cauſasq
Schurtzfleiſch. *diſſert. 33. de origi*
§. 8. ſeqq

2. Orientales non item) Probav
pra *ad §. ult. c. 1. & §. 66. h. cap.*

nus, quam Slavos Boreales in jus Germanicum aſſumtos eſſe.

AD CAP. III. SECT. 6. & 7.
De Francia & Provincia Rhenenſi.

§. 79.

R*Egnum ante conſtitutum*) Rectius tamen alii ſentire videntur, qui Franciæ regnum conſtitutum primumque Regem univerſorum Francorum Pharamundum creatum eſſe exiſtimant, poſtquam hi Rhenum inferiorem tranſierunt, *add. not. ad §. 81. h. cap.*

2. *nomen non eſt gentis*) Francorum ſiquidem appellatione non una gens ſeu natio, ſed plures continentur, ut Salii, Anſibarii, Sicambri, Chattuarii, Chamavi, Bructeri, Tencteri, Vſipetes, Catti, Chauci, Cheruſci, Friſii, Tubantes, Angrivarii &c. qui inter fluvios Rhenum, Viſurgim atque Albim habitantes exemplo Alemannorum aliorumque veterum Germaniæ populorum, primo in fœdus & belli ſocietatem, deinde vero paulatim in unam rem publicam ſeu civilem ſocietatem coaluere. vid. Monum. Paderborn. *p. m. 76. & 77.* Kulpiſius *ad Monzamb. cap. 1. §. 3 & 4.* Hertius *in Not. Regni Francici veteris cap. 1. §. 5. vol. 2. opuſc. Tom. 1.*

3. *ſed ſtudii*) Fuerunt enim, ut cum pluribus aliis explicat Autor *infr. cap. 7. §. 11.* Franci libertatis adeo tenaces, ut, conſpiratione adverſus Ro-

 manos

manos facta, nomen inde aſſumſerin
& Monum. Paderborn. *c. l.* quæ tar
diſplicet Wendelino & Hachenbe
Francorum a Valentiniano Cæſare
priſca voce Atuatica : *Vranghe*, c
bum, aſperum, trux, ferox, deſcendet
bus, quibus Hertius etiam accedit *i*
Franc. vet. c. 1. §. 1. & c. 3. §. 1. ubi fi
hodiernam, qua per Francum liber
immunitate vectigalium & tributoru
aſperitate alioqui ita nuncupatis, p
per Galliam imperio, præ Gallis da
add. Schurtzfl. *diſſert. 11. de reb. Bur*
3. in not. extr.

§. 80. *ad exitum Rheni tenu*
poſtea ad Luppiam, & pene ad Viſ
protulerunt, e quibus ſeculo poſt na
primo a Romanis in Galliam transla
gris Rheno proximis collocati ſunt, p
liqua in antiquis ſedibus relicta, ut
Monum. Paderborn. *pag. 5. ſeqq.* ad
12. Ann. cap. 39. Sicambrorum e
ſcriptoribus Francis qui inſigniuntur
priſcis cis- & transrhenanis Sicambri
vel in locum eorum, qui e Sicambria
in Galliam trajecti dicuntur, ſucc
Schurtzfleiſch. *diſſert. 11. de reb. Burg*
3. in not. duplici ſtella ſignatis; & Au
log. §. 26.

2. *dataque dicuntur*) Alii vero F
regionem, quæ hodie Franconia audi

Alamanniæ antiquæ habetur, migraſſe autumant, vel quando Burgundiones, qui relicta Vandalia ibi aliquamdiu conſediſſe dicuntur, inde trans Rhenum in Germaniam I. Honorii Imperatoris permiſſu diſceſſerunt, vel cum Alemanni in prælio apud Tolbiacum ſuccubuerunt; Schurtzfleiſch. *diſſert. u. de reb. Burgund. c. 1. §. 7. & c. 7. §. 1. item c. 5. §. 3. in not. lit. d.* add. Hertius *de veteris Germaniæ populis part. 3. c. 1. §. 7. in not. nr. 8 Vol. 2. Opuſc. tom. 1.* ubi originem hujus Francorum coloniæ ad tempora Clotharii junioris aut Dagoberti cum Hadriano Valeſio producit. add. Idem *in Notit. regni Franc. veter. cap. 1. §. 4 Vol. 2. Opuſc. Tom. 1.*

3. *Francia Orientalis*) Quo nomine præter Franconiam Sicambria, iſtius matrix, quin etiam Lotharingia utraque, tum ſuperior tum inferior, ſive Auſtraſia, intar Rhenum Moſamque ſita, & quicquid ei præterea e Germania transrhenana, Suevis, Boioariis, Thuringis, Haſſis, Friſiis, Saxonibus &c. victis a Clodovæi M. ævo acceſſit, deſignatur, a qua Francia Occidentalis, alias Franco-Gallia ſeu Neuſtraſia nuncupata, diſtinguitur. add. Schurtzfleiſch. *d. l. cap. 5. §. 3. in not. lit. d.* & Hertius *in Notit. Regni Franc. vet. cap. 1. §. 3. Vol. 2. Opuſc. Tom. 1.*

§. 81. *Ducibus ſeu Proceribus*) Non Regibus. Etſi enim Franci ante Pharamundum jam Reges habuiſſe tam a ſcriptoribus Romanis, quam Francis memorantur; Eutropius *l. 10. cap. 2. nr. 5. & ibi a Cl. Cellario in notis allegati*, Gregor. Turonenſis *l. 2. hiſt. cap. 9.* ii tamen nec juſti Reges, ſed Du-

ces potius, nec Francorum univerſoru
mundus ejusque ſucceſſores, ſed ſingu
lorum, qui eo nomine ſupra *in not. ad*
prehenduntur, fuere. Quod ſatis
vincunt loca veterum Franciæ Scrip
Conring. *de Orig. Jur German. cap.*
Kulpiſ. *ad Monzamb. cap. 1. §. 3. & 4*

2. *Major domus, Præfectus Palati*
lati) Hæc vero nomina officiaque, a
magis ſtatus Francorum regio, de quo
etiam loquitur, quam priſtino ſub Pro
veniunt.

3. *vel extra Germaniam*) Cont
bi perſuaſum habent, Francos jam an
dum Regem creatum cis Rhenum, in
ſaltem, ſedes fixiſſe, vide præter Schu
in not. ſupr. ad §. 27. Prolegom. citat
quoque *in Not. regn. Franc. veter. cap.*
Vol 2. Opuſc. Tom. 1. Nec obſtat
Turonenſis, quem exhibet Autor ſup
d. l. ſed potius pro noſtra ſtat ſenten
nem enim vulgatam, quæ ibi habetur
ri, Schurtzfl. quidem *d. l.* exiſtimat
d. l. & Aut. Monum. Paderborn. *p.*
Sagittarius *in Antiquitat. Regni Thur*
§ 18. Et dato, eam veram, ac proin
am, non Tongriam vel Thoringiam
nenſem legendum eſſe; id tamen p
tus eos ſaltem, qui Tongriam Braban
rum coloniam, hincque utriusque
ſum promiſcuum eſſe, contendunt

laudatus Schurtzfl. *c. l.* Quod jam memoratæ vulgari lectioni apprime convenit. Adhæc Turonenſis *d. l.* diſerte ait, Francos, indubiæ originis transrhenanæ populum, *tranſito Rheno*, Reges ſibi conſtituiſſe. At tranſire Rhenum cogitur, non qui e Sicambria in Franconiam hodiernam, ſed qui e Germania in Galliam migrat. Ut jam omittam, quod jam ſupra ad d. §. 27. *Proleg.* notatum, civitates, quarum ibi Turonenſis meminit, in Thuringia transrhenana eo tempore nondum extitiſſe; unde Thuringiam cisrhenanam *c. l.* innui perquam vero ſimile redditur.

4. *prohibitus fuit*) Verum ſalva res eſt, nec cit. P. Aemilii locus nobis adverſatur, dummodo, ut par eſt, Galliam a Germania II. in qua primæ Francorum ſedes cisrhenanæ fuerunt, diſtinguas. Hac enim Francos ab Aetio Patritio vel depulſos vel prohibitos eſſe, nos ſocietas belli inter hunc atque illos adverſus Attilæ furorem inita credere non ſinit. Lehmann. *Chron. Spir. lib. 1. cap. ult.* & *Hertius c. l.*

5. *unde orti*) adde infra *cap. 5. §. 1.* & *ibi not.*

6. *Duisburgum*) Sed diſquirunt eruditi, Cliviorumve an Belgarum Duisburgum cit. Aemonin. & Turonenſis loc. deſignetur? vid. Sagittar. *§. 29 c. l.* Hertius & Autor Monum. Paderborn. *d. l.* Nos Duisburgum Belgicum deſignari vero ſimilius eſſe putamus. Concedamus vero, memoratos Autores de Duisburgo Cliviæ ſentire, inde tamen minime efficietur, Francis in Germania II. & vici-

 na

na Belgica Clodionis ævo nullas ſede
nt. §. 82. *ut ſemper*) poſt diviſion
Ludovici Pii videlicet, de qua inf. *cap*
te enim Belgica utraque cum German
non magis Germaniæ transrhenanæ
accenſita eſt. Tantum enim abeſt, ut
aut Germanis eas terras acquiſiverint.
trumque hunc populum pedetentim
in poteſtatem ſuam redegerint, ut
docetur, adde not. *ult. ad §. ult. Pr*
ad §. 14. c. 5. infr.

§. 83. *duabus provinciis unitis*
Autor ſibi contradicere, dum unitum
ſe fere pugnant. Verum ſalva res eſ
diverſa tempora diverſumque provin
& Franciæ ſtatum diſtinguas. Utra
provinciæ unitæ fuerunt, Merovei &
vo, de quo Noſter hic loquitur; d
inde duæ factæ ſeculo nono vel decim
terra Rhenenſis & Francia diverſi D
ſunt, per *§. 85. 86. 87. 96. & 97. h. c.*
Quarum illa hodie in varia Dominia
ex hac vero hodierna terra Palatin
Franciæ Ducibus, excreviſſe videtur,
ad *§. 97. 98. & 99. h. c.* add. Lehm.
Spir. c. 7. Ceterum per terram Rh
ſtraſiam ſeu Lotharingiam antiquam
periorem & inferiorem diviſam, innu
Autor *c. 2. Append. 2. Autonom. ju*
Schurtzfl. *diſſert. 67. de diviſ. im*
§. 69. ſeqq.

2. *regni Teutonici)* Etenim regni Gallici ſeu Franciæ Occidentalis ſedes & palatium a Clodovæi M. ævo Lutetia eſt, ut obſervavi infra ad §. 4. *cap. 5.*

§. 84. *utraque Germania)* ciſrhenana videlicet, in primam & ſecundam diviſa, *§. 10. & 12. c. 2.* & ſub Merovingis & Carolingis Auſtraſia & Lotharingia nuncupata, confer. Animadv. ad §. *præced. 83. h. c.*

2. *iterum ſeparata)* tum quidem ut diverſæ partes diverſorum regnorum, Lotharingici & Germanici; poſtea vero ut diverſi Ducatus ejusdem regni Germanici, qua de re vid. Animadv. ad §. *præced. 83. h. c.*

§88. 3. *Ea curia in hac terra Rhenenſi)* cum ſcilicet regnum Franciæ ſola Françonia atque Rhenenſi terra adhuc conſtaret. Hoc enim tempus ab Autore hic deſignari ex cit. § *83.* colligitur. Neque tum regni Francici, utpote dictis jam finibus adhuc circumſcripti, Curiæ alibi haberi potuere. Poſtea vero quam illi longius per Galliam Germaniamque prolati ſunt, hæ quoque extra Franciam terramque Rhenenſem haberi coeperunt, ut annales hiſtoriæque ſatis abundeque teſtantur, & vel ſolo Speculo Saxonico comprobatur, ubi *lib. 3. art. 62.* quinque palatia regia in Saxonia memorantur, ut jam Sueviæ Bavariæque palatia regia ſilentio omittam, de quibus inf. §. *17. c. 15.* Et horum quidem in univerſum uſus maximus isque neceſſarius fuit, quoad Reges Germaniæ ſingulas provincias, adminiſtrandæ juſtitiæ & corrigendorum næ-

 votum

vorum cauſa, pererrarunt, nec in uno
die, perpetuo hæſerunt; deſiit vero,
reipublicæ noſtræ damno, conſtituta
gnum certa perpetuaque eorum ſede.

4. *Moguntiæ*) & Francofurti a
ubi Carolo Magno ejusque poſteris
des, magnificentiſſimo Palatio reg
adeo, ut principalis ſedes Orientalis
regni dicatur in Annalibus Fuldenſ. *a*
Hertius *de veteris Germaniæ populis. pa*
§.7 & ibi in not. nr. 10. Vol. 2. Opuſc. To
l. 4. Chron. Spir. c. 2, p. m. 231. & 23
forte eſt, quod Electores Germaniæ, e
cauſa, ab antiquo usque in hodiernum
cofurti convenire ſoleant. *inf. c. 3. §. 5*

§. 90 *leges Salicæ*) Licet vero
palatinæ nuncupatæ ſint, nomen tam
gis a Saliis, præcipuis ac nobiliſſimis
quam a ſala ſeu palatio, trahere vide
rum has leges conditas eſſe, quo tem
mundus Rex Francorum communis
certum; ubi vero, cisne an trans Rh
mania magna? diſquiritur. Prius aſ
delinus *libro ſingulari*; Jacobus iten
Lumine Salico primo; poſterius ve
trumque propugnat Conringius *de Or*
man. c 7. ſed minus feliciter, dum au
pro ſe adducit, omnes de Germania II.
in quo Franci jam ante Pharamundu
des poſuerunt, loquuntur, id quod
gius poſt faſſus eſt & propterea a pri

abiit, ut teſtatur additio ibid. unco incluſa *p. m. 27. edit. noviſſ.*

§ 91. *Salici iidem, qui Franci*) Sequitur hic Autor eorum ſententiam, qui nomen Salicum non proprium, ſed appellativum Francorum eſſe, a ſala ſeu palatio ipſis inditum, exiſtimant; ſed minus recte, cum potius Salios nationem, ſeu partem Francorum fuiſſe, ex antiquis Scriptoribus in demonſtratione *h. §.* allegatis liqueat, & nomen forte a flumine, quod veteres Salam dixere, nacti ſint, ut obſervat Hertius *in Not. Regni Francic. cap. 1, §. 10. Vol. 2. Opuſc. tom. 1.* Salii itaque & Franci, ſive Salicum & Francicum, ut pars & totum, differunt. Aliquando tamen hæc nomina veteribus promiſcue uſurpata reperimus. vid. infra. *§. 9. c. 15.* & add. Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Selecti. feud. §. 31. not. lit. z*

2. *Salica dicatur*) ſed vide Animadverſ. præcedent.

3. *repræſentat*) hincque Palatinum Rheni Comitatum univerſalem eſſe Noſter contendit infra *§. 19. c. 15.* ubi tamen huic ejus ſententiæ velut minus probabili dicam ſcripſimus in Animadv.

4. *Salici iidem qui palatini*) quod nego per Animadv. *1. ad h. §.* quanquam enim palatini & aulici idem ſignificant, Salici tamen a palatinis omnino diverſi ſunt.

5. *Salici pro Francis*) Qua ſcil. ii a Saliis, nobiliſſima Francorum parte, derivantur, minime vero, qua a ſala ſeu palatio, ut quidem Autor *h. l.* vult.

§. 92.

§. 92. *Dux provinciæ Rhenenſis*
Autorem potiſſimum notandum, (1.) C
latium Rheni perperam Ducem appe
veterum tamen jura conſecutum, ex qu
cio auctus; (2.) eum quidem, ut Saxo
riæ & Sueviæ Palatinos, regni Comita
at particularem, Ducatu Franciæ con
universalem, & proinde qua talem (3.
Sueviæ Ducibus ordine inferiorem
Comitatum Palatinum Rheni a provin
qua hæc per Auſtraſiam ſeu Lotharing
que, ſuperiorem & inferiorem, exte
§. 84. & c. 2. Append 2. Autonom. jur
ſum eſſe, & finibus antiqui Ducatus F
& transrhenanis fere circumſcriptum,
c. 33. (5.) Aquisgranum nunquam in ej
poteſtate fuiſſe, per Animadv *2. ad §.*
(6.) huic Comitatum Palatinum innex
argumentis probare poſſe; (7.) præ
Aquisgranenſe alia & in Ducatu Fra
dem extitiſſe palatia, quibus iſte coh
h. c. (8.) Vicariatu Palatino, nunc B
tharingiam utramque, tam ſuperiorem
riorem exemtam eſſe, per Animadv. 7
16. (9.) Comitem Palatinum Rheni in
Franconici ſeu Suevici Vicarii munus I
ge vel mortuo, vel depoſito, vel abſen
re, gerere, non qua talem, ſed ut prin
Principem, per Animadv. *3. ad §. 3.*
eum nec cum Franciæ, nec Lotharin
confundendum, ſed ab utriſque ſedu

dum, (11.) Comitatum Palatinum Rheni primum anguſtiſſimis terminis concluſum deinde ex Ducatu Franciæ, extinctis Ducibus ejus, incrementa ſua potiora ſumſiſſe. quibus adde Animadverſ. *ad ſeqq. §§. hujus ſect. 6. item ad §. 19. & 20. c. 15. & ad c. 16.* Nec omitto, (12.) terram Palatinam Rhenenſem hodiernam ante ſeculum 12. incognitam fuiſſe, ſecundum Lehm. *l. 4. Chron. Spir. c. 7.* Sed & (13.) Comitem Palatinum Rheni a Comite Palatino ſimpliciter & ſine adjectione Rheni dicto permultum differe, per *§. 96. h. c. & c. 33. infra.* Hic ſiquidem temporarius eſt; ille hereditarius; hic ſemper in aula Imperiali jus dicit; ille in ſua provincia, Rege vel præſente, vel abſente; hujus uſus ſemper fuit a prima regni Francici & Germanici origine; illius vero a ſeculo undecimo demum; hic univerſalis eſt, judex Curiæ Imperialis quippe, de quo Aur. Bull. *tit. 11.* & Lehm. *l. 5. Chron. Spir c. 108. & l. 7. c. 2.* ille particularis, Ducatui Franciæ videlicet illigatus; hic etiamnum in Auguſto judicio aulico ſupereſt; ille, qua talis, dudum evanuit, ceterum Regni Archiprinceps & territorii Dominus. add. Animadv. *2. ad §. 17. c. 15.* it. *§. 9. c. 3. Append. 2. Autonom jur. gent.*

2. *in ipſius provincia Rhenenſi*) palatium Aquisgranenſe Belgica II. provinciæ Rhenenſis, h. e. Lotharingiæ ſeu Auſtraſiæ, parte contineri, prout Noſter *§. 84. h. c.* eam deſcribit, in vulgus notum; eandem vero cum dicto palatio in Comitis Palatini Rheni, qua talis, poteſtate unquam fuiſſe, adhuc inauditum, nec adeo tam facile admittendum.

dum. vid. Animadv. *2. ad* §. *9. c. 12.*

3. *ipſum provinciæ Ducem*) t
habuit Lotharingia & Francia, nequ
terra Palatina, qua talis, in hac tam
Francicis Ducibus, potiſſimum enata.

4. *in iſta provincia fuiſſet*) qu
fuit, quam diu Franciæ Sueviæque D
runt. vid. §. *99. h. c.*

5. *Major Domus*) quem aliquanc
Palatino diverſum fuiſſe, Hertius pro
Regn. Franc. veter. c. 3. §. *10. tom. 1.*
Idem vero fuerit licet, id tamen de Co
no ſimpliciter dicto intelligendum, a
Palatinus Rheni toto, quod ajunt, c
repete Animadv. *1. ad h,* §. Quin
Francorum in ſtatu populari cum M
mus ſub Regibus poſt creatis omnu
notatum ſupra ad cit. §. *81.*

§. 93. *Hæc provincia*) confunditu
ut §. *præced. 92.* provincia Rhenenſis c
tu ad Rhenum, qui ut in Ducatu Fra
mum enatus, eique innexus eſt, *infr.*
c. 15. ita cum hoc a provincia Rhener
tharingiam utramque, ſuperiorem &
ſeu Auſtraſiam, complexa, ſecundum
b. c. it. *15. ſeqq. c. 5.* & *c. 2. Append. 2*
gent. ſedulo ſecerni debet. Et quanq
nus Palatinatus Francicus per utramq
pam pariter ac antiquus Franciæ Duc
tur, *infra* §. *96. h. c.* & §. *15. c. 33.* no
men Ducatus Brabantiæ, quam vaſtus

Digitized by Google

næ ſilvæ tractus ab iſto utroque nimium quaotum differt, Lotharingia ſeu Auſtraſia quippe comprehenſus. Unde nec antiquus ſilvæ Arduennæ Palatinatus cum Francico confundendus eſt, ut qui ultra Leodienſem terram & Comitatum Namurc, in parte ejus ſilvæ occidentali ſitus idem ac Hanooniæ Palatinatus videtur, cum provinciis Belgicis ad Auſtrios ſpectans, ut ex Auſtriorum Cæſarum titulis apparet. vid. Ordinat. Camer. *de anno 1495.* & Conſtit. Pac. publ. *de eod. anno*; it. Conſtit. *de blaſphem. ejusd. anni*, aliosque perplures inſecutos Imperii Rec. & §. *31. extr. c. 5. infra.* ſed & feudorum Palatinorum per vicinas terras quæſitorum argumentum ad probationem protenſi eo Francici Comitatus invalidum eſſe ex §. *41. c. 15.* & Animadv. *2. ad* §. *14. c. 14.* conſtat.

§. 94. *ut reliquarum*) vid. tamen Animadv. *1. ad* §. *15. c. 15.*

2. *hujus quoque provinciæ Ducem*) quomodo vero Comes Palatinus Rheni, qui nunquam Dux audivit, nec ante Carolum M. extitit, ab hoc tolli potuit? Quodſi vero *h. l.* Lotharingiæ aut Franciæ Dux innuitur, probandum prius fuit, has provincias ante Carolum M. ad Germaniæ Ducatuum formulam redactas eſſe; quo probato Comes Palatinus Rheni nihilominus ab iſto utroque diſtinguendus erit.

§. 95. *aliquatenus ſuſtineret*) non qua Palatinus Comes, qualis Giſelbertus nunquam fuit, ſed qua Lotharingiæ Dux, indeque Archiofficialis. vid. Animadv. *1. ad* §. *1. & 2. ad* §. *9. c. 12.* Unde non video,

video, quamobrem is hoc loco, ubi
Palatino Rheni agitur, memoretur.

§. 96. *deſiit fere utriusque mem*
men infra §. *22, c. 5. it.* §. *5. c. 12.* &
§. *6. eod. c.*

§. 97. *efforuit iterum*) quod de
dem Ducatu admitto, ut qui ante C
cum extitit, ſecundum §. *85. 86.* & *87*
hoc ad regium faſtigium evecto,
ſcere potuit; ſed quantum ad mod
Palatinatum ſubſiſto, quem ante C
cum extitiſſe nusquam adhuc pro
Quod autem ante non fuit, poſtea *ite*
ſe dici nequit. add. Animadv. ad §. *9*

2. *quæ alius nondum Dominus*
quo ſcil. familiæ Francicæ & Palat
fere deſiit, terraque Rhenana in va
divulſa eſt, ut §. *96. h. c.* dicitur. S
radum Salicum Comitatum Palatinu
modernum terra Rhenana, Lothari
ſtraſiæ nomine paſſim alias deſignata,
ſum eſſe nego & pernego, quoad co
tia firmioribus argumentis, quam qua
feruntur, non demonſtratur; inte
tum hunc Ducatui Franciæ illigatum &
giæ Ducatu non minus quam a Palati
væ Arduennæ parti occiduæ fortaſſis
verſum eſſe perſuaſus, per Animadv.

§. 98. *Henricus Dominus de Lacu*
Fridericus) hos Comitatum Palatinu
jure, prout ſupra §. *96. h. c. in Addit.* d

Google

Hermanno, Ezone & Wittelsbachio dicitur, geſ-
ſiſſe, ultro concedo; at eos inſuper Principes ter-
ræ Rhenenſis fuiſſe, adhuc dubito, ab aliis, præter-
quam Thom. Leod. & Freher. Palatinis Conſiliariis
indeque ſuſpectis, ſimpliciter quippe & ſine adje-
ctione terræ Rhenenſis nuncupatos. vid. Albert.
Staden. & Gold. *c. l. in margine*; it. Schilt. *tom.*
2 Inſtit. jur. publ. tit. 13. p. m. 105. Solus itaque
Hermannus apud Gunth. in Ligur. ſupereſt, qui
Comes Palatinus Rheni certo dici poteſt, ut Imhof.
quidem retur, *in Not. Proc. Imp. l. 4. c. 1. §. 3. ſeqq.*

2. *de quo*) integrum locum exhibet Noſter
infra *§. 3. c. 16.*

3 *fratrem ſuum*) quæ ſanguinis inter hunc
illumque conjunctio terræ Palatinæ Rhenenſi pri-
ma forte incrementa dedit, Fridericum I. enim
aliquas ſaltem Ducatus Franciæ, poſt Henrici V. ex-
ceſſum ad Sueviæ Duces delati, partes, fratri Con-
rado ceſſiſſe, Clariſſ. Leibnizio videtur apud Im-
hof. *in Not. Procer. Imp. l. 4. c. 1. §. 3.* quibus dein-
de, maxime vero inclinantibus Hohenſtauffiorum
rebus, & invaleſcente magni illius interregni li-
centia, reliqua fere ejusdem Ducatus paulatim ac-
ceſſere, quod vel inde veroſimile evadit, quia Co-
mitatus Palatinus Rheni hodie iisdem fere finibus
continetur, quibus olim Franciæ Ducatus. vid. §.
14. ſeqq. inf. c. 33. Cetera namque Francia, quæ
propius ad Orientem vergit, pridem in Epiſco-
porum & civitatum ejusdem liberarum aliorumque
Dominorum ditione fuit. Sed & crebram Palati-
natus Rheni Comitum cum familiis Auguſtis, Ru-
G dolphi

dolphi I. Ludovici Bavari, Caroli I
copulationem, incrementa ejuſdem
viſſe aliis dudum obſervatum eſt.

§. 99. *Suevorum Ducibus*) fuit
cum Francia, præter Comites Palatino
habuit. Illorum enim poteſtatem
ciæ terminatam nec ultra protenſam
milius videtur.

2. *in varia dominia*) maxima
catus Franciæ partem Comitibus P
ceſſiſſe probabile eſt, ut notat. pa
præced. 98.

AD CAP. IV.

De Jurib. Provinc. German
Circulis hodiernis

§. 1.

I*llris Slavici*) vide tamen not. ad
2. *a temporibus Carol. Mag*
dem aſſerit Autor ſupra §. *41 c. 3.* &
13. c. 9. quoque, ſed nullo idoneo ar
not. inf. d. l. c. 9. Rectius itaque
reliqua Saxonia ſeparatio ad proſcri
rici Leonis producitur. Ab hoc
illa ſedis Metropolitanæ Colonienſis
vero partim Guelphos, partim Sax
& Holſatiæ Comites aliosque domi

3. *ſpuria diviſione*) quam ex
& Dattius, ille *tom. 2. Inſtit. jur. pu*

Google

339. ſeqq. hic vero *l. 1. de pac. publ. c. 26. nr. 14. ſeqq.* cujus diviſionis Autor numerum quaternarium vel antiquorum in Germania regnorum, de quibus inf. *§. 17. & 25.* vel quatuor provinciarum poſt enatarum, quas inf. *§. 1. 2. & 3. c. 12.* nominatas habes, ſecutus videtur. Spuria vero dici poteſt ea diviſio, quia vim & efficaciam ſanctionis publicæ propter omiſſam promulgationem nunquam nacta eſt, ſed intra terminos conſultationis ſubſtitit, ut quidem Autor noſter retur inf. *c. 33. appendic 3* Ceterum adde Datt. *d. l. c. 27.*

§. 2. *dudum receptam*) ſcil. quoad numerum. Formam enim & jura Circulorum, quæ infra *§. 11. ſeqq. h. c.* exponuntur, non alius quam Maximilianus I. cum Procerum aſſenſu conſtituit, ut Noſter explicat *in Autonom. jur. gent. c. 18. §. ult.*

2. *recenſuit*) immutatis tamen aliquantum finibus, ut limitat Noſter ipſe inf. *§. 9. h. c.*

3. *ſeptem fuerint*) præcipui videlicet. Nam præter hos omni ævo alios plures in Germania populos & provincias extitiſſe, illorum ſeptem ditione atque imperio neutiquam comprehenſos, demonſtratum ſupra *ad §. 25. c. 2. & §. 28. 31. 45. 46. 66. 71. c. 3.*

4. *qui Slavici juris ſunt*) at vide not. ad *§. ſeq. 3.*

5. *in duos diviſo*) magis tamen ab ævo Friderici Aenobarbi & Maximiliani I. quam Caroli M. ut notatum ante *ad §. 1. h. c.*

§. 3. *forma adminiſtrationis*) etſi concedimus Autori, numerum 6. Circulorum, regnante Maximiliano

miliano I. conſtitutorum, ab antiq
populis & provinciis ſeptem præcip
inde Bohemia ſeu Moravia, & Van
hactenus innexa, hacque a ſeculo 12.
ſciſſa, arceſſitum eſſe; formam tame
ra hodierna ipſorum non cum Henr
Maximiliano I. demum cœpiſſe certu

2. *cœpit cum Henrico I.*) hoc v
quoad numerum, nedum quoad jur
admittimus, ideo, quod Henrici A
diu poſt ad ſeculum duodecimum u
tantum præcipuæ Germaniæ provinc
bus dicto jam ſeculo duodecimo
Marchia Brandenburgica additæ, ſe
madv, ad *§. 25. c. 2.* Saxonia vero a
nobarbo, proſcripto Heorico Leone,
as partes diviſa, ut Animadv. *2. ad §.1*

§ 3. *more antiquo*) hunc vero
ipſe Autor, dum infr. §. *10. h. c.* & A
gent. *c. 18.* §. *ult.* jura moderna form
lorum ad Maximilianum I. refert
inf. *§. 39. c. 15.* Marchiam Brandenbu
Vandaliæ Ducatum, Saxonia exemtar
nobis vero ſimilius videtur, Vandalia
liano I. Saxoniæ Circulo ideo ad
quia illa diu ante hujus juri. moribus
cantis Imperii poteſtati obſecuta eſt,
Weichbild. Sax. *art. 10.* teſtatur, i
riatu Saxonico comprehenſa. Om
ctorem Saxooiæ Brandenburgico t
cum Imperium a Maximil, I. in ſex

ſcriberetur, viribus longe ſuperiorem fuiſſe.

2. *cum juris Slavici ſit*) quam rationem jam ſupra aliquoties exploſimus; &, Bohemos olim juris Germanici non expertes habitos eſſe, vel hoc ſolum ſatis arguit, quod de Bohemia atque Boruſſia in Circulum Imperii redigenda in Comitiis Imperii anno 1512. actum, ſed non peractum, propterea, quod utriusque Proceres huic conſilio repugnarent. Schuz. *de Jur. publ. l. 1. tit. 1. poſ. 12. §. 1.* Schurtzfl. *diſſert. 35. ad res Pruſſorum §. 8. in not. lit. l. extr.* Cujus rei cauſa, quantum ad Bohemiam, ea nobis fuiſſe videtur, quod Rex ejus, ex cauſis ſupra *ad §. ult. c. 1.* memoratis, jam ante Maximil. I. a Comitiis & negotiis Regni amotus, & præterea juriſdictione ejus ordinaria exemtus eſt, proindeque cauſa conſtituendi Bohemiæ Circuli deficere putaretur. add. §. *6. c. 7.* Nec obſtat, Regem Bohemiæ, etſi conſultationibus Imperii depulſum, hujusque juriſdictionis ordinariæ immunem, nihilominus, lege feudi & fidelitatis, oneribus ejus obnoxium, manſiſſe; præterquam enim, quod forma Circulorum juraque primum magis ad faciliorem reddendam præſentationem Regimenti & Cameræ imperialis Aſſeſſorum, quam publicorum onerum cauſa per ſanctiones Imperii inſtituta leguntur; longe alia inſuper eſt ratio onerum, quæ a Vaſallo & inæqualiter fœderato, quam quæ a Regni Proceribus, ceu ſubditis, penduntur, ut Noſter docet infra *§. 10. & ult. c. 30.*

3. *extra Germaniæ limites*) ſed nec hæc cauſa nobis vera videtur. ſunt enim aliæ quoque per-

plures provinciæ, extra antiquos Ge
ad quos hic provocat Autor, ſitæ, c
nus Circulis ejus innexæ ſunt, ut Au
dia, Bavaria &c. Quin hoc Autoris
mentum vel inde ſatis refellitur, quod
Imperii anno 1512. de Boruſſia in Ci
juraque deſcribenda actum ſit, ut p
tum. Quare verior nobis videtur ſen
ſiæ Livoniæque Circulum ideo omiſſ
neutra Juriſdictioni & juribus Imperii
innexa fuit, cum hoc a Maximiliano
deſcriberetur. Id quod aperte teſta
de anno 1500. *tit.* vom Hochmeiſter
it. tit. der Teutſche Orden ſoll auch
griffen werden. *x. R. I. Trevir. & C*
1612. §. den Hochmeiſter aus Preuſ
inf. §. 11. c. 5. & ibi not.

§. 4. *terris quibusdam inde ex*
quidem de Circulo Rhenano & Saxo
Uterque enim in nova deſcriptione
anno 1512. facta, diviſus eſt; aſt, quan
culum Auſtriæ Burgundiæque, ſubſiſt
que novus potius videtur, dum neu
excitatis ſupra *§. 2. extr. h. c.* Imperii
inter Circulos ſex antiquiores memor

2. *Burgundicus*) qui anno 167
ſus. infr. *§. 9. h. c. & §. 4. c. 5.*

§. 5. *ipſi antea eſſent*) quæ ratio
nis Circulorum *§. prec. 4. h. c.* tradita
videtur. Neque enim Elector Palat
denburgicus, qua talis, inde ullum

adeptus eſt; ſed contra uterque etiamnum alis Circulorum Priocipibus ſubeſt, ille quidem Moguntino, hic vero Saxoniæ Electori. iof. §. *17. b c.* & *§. 11. c. 10.* Deinde jura provinciarum & Circulorum diverſiſſima ſuot, dum illa, ceu hereditaria & quodammodo propria, ab omoi ævo cujusque territorio terminata; hæc vero jure delegationis perpetuæ a Cæſaris Ordinumque arbitrio pendentis ultra rerritorium exerceotur. add. Schuz. *c. l. §. 1. extr p. m. 42.* & nor. inf. ad *§. ult. c. 7.*

2. *comprehenſus*) de hoc tamen dubium excitavimus ante in not. ad §. *præced. 4. b. c.*

3. *alias cauſas*) datum nimirum honori Auguſtæ domus Auſtriacæ, ur proprias ſeparatasque Circuli Auſtriaci Burgundicique rationes haberet. Quod quo minus invidioſum foret, Circuli Rhenani atque Saxonici diviſio, de qua §. præced. *4. b. c.* inducta videtur.

§. 6. *ſingulæ duos*) exemplo Electorum, quibus & alias Auſtriæ Burgundiæque Duces fere æquales habentur. *§. 15. c. 15.*

2. *Rhenanus inferior nullum*) hoc vix crediderim, quia Circulus Rhenaous inferior, anrequam anno 1512. a ſuperiori divideretur, integri Circuli Rhenani antiqui indubia pars fuit, & proinde illum, ſi præſeotatio Aſſeſſorum Cameræ per 6. Circulos fit, hoc contineri neceſſe eſt.

3. *falſa eſt*) etſi enim quatuor Electores, qui Circulo Rhenano ioferiori comprehenduntur, ut tales, ſinguli duos Aſſeſſores præſentanr; inde tamen minime conficitur, hunc Circulum ideo a

 præſen-

præſentatione Aſſeſſorum Circulari re
mius quidem retur. Nam ſi hæc ejus r
non minus Saxoniæ & Marchiæ El
ſentatione Aſſeſſorum Circulari exc
ſequeretur, quos tamen cum reliquis
niæ ſuperioris Statibus ad eandem
ambigit.

4. *ne excluſi videantur*) hoc
contingeret, ſi Burgundia Auſtriaque
h. c. dixit Autor, antiquioribus ſex
prehenſæ eſſent. repete not. ad §. *eun*

5. *eadem ratio erit*) nequac
Circulum Rhenanum inferiorem & S
riorem jam antiquis ſex Circulis c
eſſe, certo certius eſt. Quare ii n
videri poſſunt, ſi quando deliberat
Comitiis inſtituatur.

§. 9. *aliquantum immutati ſunt*
derim, Maximilianum I. in deſcriben
lis magis numerum quinque præcipu
niæ provinciarum, Saxonia in duas
quam jura fineſque eorum ſecutur
non tantum iis, quæ ipſe Noſter *h.* §.
inde quoque demonſtratur, quod did
his hodie multæ provinciæ continen
præcipuorum populorum imperio ant
add not. ſupra ad *§. 25. c. 2. 11. §. 2. 2*
c. 3. & alibi paſſim.

2. *ipſam quoque Lotharingiam*)
hic ſedulo Lotharingia ſuperior ad M
inferiori, hodie Brabantiæ juncta.

Google

Rhenano comprehenſa penes Duces Burgundiæ horumque ſucceſſores Auſtrios nunquam fuit, ut Autor ait; hæc vero Circulo Weſtphalico cum reliquis provinciis Belgicis, quæ vulgo inferiores, Niederlande, audiunt, annexa & a priſtinis Burgundiæ Ducibus per nuptias Mariæ Burgundicæ cum Maximiliano I. ad Auſtrios delata, poſtea per Carolum V. illius nepotem, cum ceteris provinciis Belgicis Circulo Burgundico inſerta dicitur in excitatis pacti Caroli V. cum Imperio anno 1548. initi tabulis. Quæ a Noſtro perperam confunduntur, adde animadverſ. *7. ad §. 22. & 29. c. 5.*

3. *adjicere voluit*) admitto hoc, ſecundum Animadverſionem præcedentem, de Ducatu Lotharingiæ inferiori; de ſuperiori nequaquam; quando Caroli V. terræ Belgicæ ab Imperio in Circulum Burgundicum tutelamque Germaniæ non gratis, ſed recepta onerum Imperii parte, quantam nimirum duo Electores pendunt, cooptatæ ſunt. Quis vero tam inſipidus ſit, qui ſibi perſuadeat, cum Lotharingiæ ſuperioris Ducatum, Circulo Rhenano comprehenſum, Burgundico innectere, hocque pacto onera ejus publica in ſe derivare voluiſſe, quandoquidem illi non minus tum, cum, ut modo dictum, de Lotharingia ac ceteris provinciis Belgicis in Burgundiæ Circulum redigendis ageretur, quam hodie, extra Auſtriorum ditionem fuit.

4. *pacti tabulis*) quarum ſummam habes infra §. *35. ineunte c. 5.* & ibi in Animadverſione 2.

5. *nactas fuiſſe*) forte ob turbas, quæ brevi poſt Caroli V. exceſſum in Belgio ortæ ſunt, ut a-

lias cauſas nunc omittam. vid. *§. 42.*
mis Schurtzfleiſch. *diſſert. 9. de vera*
riorum motuum Belgicorum.

6 *mentio fit*) deque utriusque
ſis, formulis atque interitu late tracta
publ. l. 2. c. 1. cum multis ſeqq.

7. *non fieret*) facit enim enume
rem Circuli alicujus membrorum cu
tem, tum vero ad faciliorem juris ſu
cularis & inde dependentis libert
nem.

§. 10. *ad caput referri*) adde
& ibi annotata.

§. 11. *imperio ſubducitur*) de
ſect. 3.

2. *jus exequendi non eſt*) ne
hoc per cit. Imperii ſanctiones datu
competere nequit, cum omnia, quæ
cent, jura inſtar delegationis perpetu
eſt, ſeſe habeant. Unde etiam qua
fine h. §. meminit Autor, decidenda
not. ad §. 5. h. c.

§. 12. *qui ipſas referunt*) hoc ver
legatis Imperii legibus, neque alibi
admiſſa Autoris ſententia ſequeretur
Aſſeſſores a Cæſare aut Electoribu
eosdem referre, & proinde omnes a
tate quamlibet priores, præcedere, q
ſui oppido repugnat, cum Aſſeſſor
ſola officii ætate, generis & præſent
mine inſuper habito, ordinem ſort

propter cum Illuſtri Domino de Ludolph *in Commentatione de Jur. Camer. ſect. 1. §. 1. nr. 4. p. m. 8.* rectius forte dicitur, Aſſeſſores Cameræ Cæſarem Imperiumque conjunctim referre. add. R. I. de anno 1654. *§. 165.*

2. *fieri nequeat*) quando ſcil. is, contra quem ſententia Cameralis executioni danda, Imperio, nullo alio Magiſtratu interpoſito, ſeu immediate, ſubeſt; ſecus, cum is ſubditus mediatus. Tum enim executio a magiſtratu ejus ordinario expedienda eſt.

§. 13. *conſenſu Circuli*) ſed magis placet diſſentientis Schuzii ſententia; ſiquidem ad hoſpitationem & tranſitum militum neque in citatis neque aliis ſanctionibus publicis Circuli conſenſus usquam requiritur, ſed Imperii tantum, Circulis ſola directione & cura, ut recte dixerat Noſter paulo ante, relicta, per Inſtrum. Pac. Oſnabr. *art. 8. §. 2.*

2. *nunc languet*) quam tamen conſervari Circulorum quam maxime intereſt, ne, ea prorſus collapſa, jura Regia iis, perpetuæ delegationis lege conceſſa, ad Cæſarem Imperiumque redeant.

3. *nihil peractum*) ob nimiam multitudinem, libertatem, perpetuam contentionem, æmulationem, imparitatem, luxum & inopiam inde magis magisque increſcentem, ſed quorum? dicere quam ſcribere malo.

§. 14. *ſolus Dux Circuli*) qui §. *ſeq. 15. h. c.* rectius Princeps ſeu Director vocatur, a Præfecto militiæ, officii ſaltem reſpectu, ſedulo diſtinguendus. *vid. §. 18. inf. h. c.*

2. curam

2. *curam habere*) ſed ultra poteſtatem a Cæſare Imperioque Circulis datam & quæ ei cohæret, nequaquam protendendam, per not. *ad* §. 5. *& 11. h. c.*

§ 15. *ex alio Circulo*) qui ergo nulli Circulo regni Germanici innexus eſt, Præfectus militiæ Circularis ejusdem eligi nequit. Quo nomine Regi Daniæ Chriſtiano IV. cum anno 1625. a Circulo Saxoniæ Inferioris Præfectus militiæ eligeretur, a Cæſare Ferdinando II. inprimis controverſia mota. Verum reſpondit ille, ſe ceu Holſatiæ Ducem pro membro Imperii & memorati jam Circuli utique habendum eſſe. adde § 50. *extr. c. 3.* & Myler. ab Ehrenb. *de Princ. & Stat. Imp. part. 1. c. 12. §. 14.*

2. *non eccleſiaſticus*) huic enim doctrina magis & vitæ innocentia, quam armis ſalutem hominum promovere convenit. *inf.* §. 1. *ſeqq. c. 18.* Et quamvis Præfecto militiæ Circularis munere ſuo per alium fungi liceat, in hoc tamen is approbare nequit, quæ ejus ceu mandaotis perſonam minus decent. Nec quicquam officiunt exempla cum a diſſentiente Schirzio in medium producta, rum alias nota, cum magis legibus quam exemplis judicandum ſit.

3. *vices has gerit*) ut hodie plerisque in Circulis uſu venit.

§. 17. *ibi ſunt*) quia ſubditi Burgundiæ Auſtriæque mediati adeoque jurium Circularium expertes ſunt.

§. 19. *ſtatuta*) an per majora? Hac de re antehac valde dubitatum eſt, propterea, quod putaretur,

taretur, Ordines Circulares ceu æquales, ſtatutis ſuis obligari non poſſe per modum legis, ſed tantum per modum pacti, ad quod regulariter omnium & ſingulorum conſenſus requiritur; ſed ſalva res eſt, Nam æquales etiam per modum legis ſe obſtringere valere, exemplo reipublicæ Democraticæ & Ariſtocraticæ ſatis conſtat, ubi ſingulos parere & univerſos demum imperare rectiſſime dicitur. Cum ergo Statuta Circularia non a ſingulis ſed univerſis Ordinibus Circularibus, ceu corpore morali, fiant, vota majora ibi quoque valere, & vim legis habere, rationi conveniens eſt, ut tandem deciſum in R. I. *de anno 1654. §. 183. conf. inf. §. 38. c. 20.*

§. 21. *non vocentur*) unde quidem immunes ſunt ab oneribus Circulorum, ſed non Imperii. *infr. §. 8. c. 30.*

§. 22. *in medio nunc relinquimus*) ita forte componendam, ut in definiendo ordine reſpiciatur tempus, quo quisque Circulus cum regno Francorum copulatus eſt; diſcrimine Ordinum dignitatisque inſuper habito, ut in aliis quoque collegiis & corporibus ſervari ſolet & in Germania non minus moris eſt. vid. not. *ad §. ult. c. 1. & §. 7. c. 3.* & add. Hug. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 5. §. 21.* quid vero de iis Circulis, qui uno eodemque tempore Imperio acceſſerunt, ut Bavaricus & Suevicus, nec minus Weſtphalicus & Saxonicus tum ſuperior tum inferior? Reſp. iis ordine alternatim utendum eſſe.

2. *alterius Circuli præfecto*) quæ ſententia approbata eſt in Capitul. noviſſima Caroli VI. *art. 20.*

20. cum antea eſſet dubia & ſpeciatim a Mulzio in cauſa ſucceſſionis Meklenburgo-Guſtrovienſis ante aliquot annos, edito eam in rem ſingulari libello, oppugnata, contra vero ab Autore noſtro, nec minus aliis viris Celeberrimis, ut Strykio atque Thomaſio defenſa, quorum ſcripta typo pridem deſcripta proſtant. Neque tamen ideo Cæſaris jurisdictio & ſuprema poteſtas imminuta cenſeri debet, quandoquidem Circuli nihilominus res judicatas nomine juſſuque Ejus, ceu cauſæ principalis, exequuntur.

AD CAP. V. SECT. I.
De Terris Franciæ Germanicæ quæſitis.

A*D rubr.*) Rationem connexionis quære ſupra in Annotat. 2. ad *§. 2. c. 2.* Scil. jus publicum ſecundum methodum Autoris noſtri abſolvitur partim materia ſeu finibus, partim forma regni Germanici. Illi conſiderantur vel Geographice, provinciis intra Germaniam ſitis conſtantes, de quibus actum primo generatim *c. 2.* deinde ſpeciatim *c. 3. & 4.* vel juridice, quo pertinent provinciæ regnaque extra Germaniam ſita, & huic aliquo modo ſubjecta, quæ exponuntur *h. c. 5. & ſeq. 6.* quo facto forma Regni cum dependentibus inde juribus atque officiis Regis Procerumque a *c. 7.* usque ad finem totius libri pertractatur.

§. 1. acceſſit) imo contra Franconia hodierna

Google

na ceu Sicambrorum colonia Francis dextræ inferioris Rheni ripæ accolis acceſſiſſe videtur iis, qui eam ſeculo 5. aut 6. ubi iſti in Galliam tranſierunt, deductam eſſe validioribus rationibus contendunt. Secundum quæ non hæc colonia, ut Autor quidem exiſtimat, ſed vetus illa Sicambria potius initium & mater regni Francici dicenda eſt. conf. not. ſupra ad *§. 27. Proleg. n. 80. & 81. c. 3.*

2. *Duisburgum*) non Cliviorum, ſed Belgarum, ut veroſimilius alii cenſent. vid. not. ult. ſupra ad *§. 81. c. 3.*

3. *in ea enim Francia*) veriſimilior tamen nobis videtur eorum ſententia, qui regnum Francorum per Pharamundum in Francia cisrhenana cœptum autumant, repete not. ſupra *ad* §. *27. Prolegom. & 81. c. 3.*

4. *adjecere*) unde firmatur noſtra ſententia, quam contra Autorem adſtruximus ſupra *ad §. ult. Prolegom. & §. 82. c. 3.*

5. *occupaverint*) hac vero occupatione Francis minime opus fuit, ſi, quod veroſimilius videtur, ſeculo demum quinto, aut, ut alii volunt, ſexto, Franconia moderna ceu colonia e veteri Sicambria deducta eſt.

§. 2. *Deinde*) ſeculo quinto videlicet, ut aliquoties notatum ante.

2. *gemina provincia*) quod quatenus admittendum ſit diximus jam ſupra *in Animadverſ. ad §. 83. & 84 c. 3.*

§. 3. *Clodovæus*) cujus res geſtas ſummatim expoſitas habes apud Schurtzfleiſch, *diſſert. 10. de antiqu.*

antiqu. Francic. §. *9. ſeqq.*

2. *poſteri ejus*) at Carolus Martellus hujusque nepos Carolus Magnus poſteri ſunt veterum Brabantiæ Ducum, de quibus ſupra *§. 93. c. 3.* & Clodovæi Magni ſucceſſores.

3. *Moravicum, denique Daniam*) etſi non ſubjectionis plenæ, attamen fœderis inæqualis, cenſus & beneficiarii juris formula, repete not. ſupra *ad* §. *49. 50. & 54. c. 3.*

4. *armis unita magis, quam victa*) hunc floſculum me non capere ingenue fateor, cum armis uniri & vinci coincidant prorſus & minime diverſa ſint. Et innuit forte Autor hic, quod ſupra §. *ult. Proleg. & 82. c. 3.* dicit, Francorum virtute bellica parta, Germaniæ ceſſiſſe, quod quatenus admittendum, ibidem notatum.

5. *in ſeptem populos ſeu provincias*) intellige præcipuas, per ea, quæ animadvertimus ſupra *ad* §. *25. c. 2.*

§. 4. *adjecit Clodovæus*) & anno 508. regni Franco-Galliæ ſedem Lutetiæ collocavit, quæ continua, quamlibet diverſæ ſtirpis, ſucceſſorum ſerie ad noſtra tempora usque permanſit, ut per veteres Franciæ Scriptores probat Schurtzfleiſch. *diſſert. 10. de antiquit. Franc.* §. *18.* Sed Aquisgranum Regni Franco-Germaniæ primaria ſedes fuit. *vid.* §. *2. h. c. &* §. *83. c. 3.*

§. 6. *olim provinciam*) ad quam conditionem Pannonia redacta a Tiberio, antea libera prorſus & nemini niſi Deo obnoxia, ut docet Schurtzfleiſch. *diſſert. 19. de Ungaricis* §. *2.*

2. *occu-*

Google

2. *occuparunt*) primum Vandali, permiſſu Conſtantini; deinde, hisce poſt quadraginta annos fugatis, Gothi; poſt Sarmaticæ originis, ut multis videtur, gens Hunnorum, ut apud Autorem ſequitur. add. Schurtzfl. *c. l §. 2. 3. & 4.*

3. *Oſtrogothi*) ante ab Hunnis e Pannonia fugati, nunc reduces.

4. *quas Slavi*) de quibus infra *§. 9. h. c.*

5. *adjecta ſunt*) ipſa vero Hunnorum gens deleta & Pannonia, ab iſtis poſtea Hunnia dicta, Ungaris, Scythicæ originis genti, in prædam ceſſit, qui Seculo IX. immani ferocia Germaniam infeſtarunt, eamque Ludovico Infante, Arnulphi filio, regnante, vectigalem ſibi fecerunt, ab Henrico Aucupe hujusque filio Ottone Magno tandem coerciti & ad pendendum Germaniæ tributum adacti, ut apud Autorem ſequitur. add. Schurtzfleiſch. *c. l §. 9. 10. & 11.* & Lehm. *l. 5. Chron. Spir. c. 1. & l. 3. c. 50. it. l. 2. c. 47.*

6. *Henrico III.*) de quo §. ſeq. 7.

§. 7. ut ſubacta) fœderis inæqualis nimirum vel arctioris ſubjectionis lege, cum ante Henricum III. ab Henrici Aucupis ævo tributaria tantum & vectigalis eſſet Hungaria. *infr. §. 13. h. c. & §. 5. c. 7.* add. Schurtzfl. *d. l. §. 11. in not. lit. o. & not. ad §. 10. h. c.*

§. 8. *Sanctus Stephanus*) a quo initium tituli, Regis Apoſtolici, quo Reges Hungariæ inſigniuntur, arceſſit Schurtzfleiſch. *c. l.*

§. 10. *comparuit*) id vero minime probat, Regem Matthiam Imperio tum adhuc obnoxium

 fuiſſe,

fuiſſe, cum extranei etiam ad Comitia vocari & comparere ſoleant. *infr. §. 3. extr. c. 19. & §. 10. cap. 20.*

2. *modum decreti*) ſed hoc Germani ſolum, nequaquam autem extranei obligantur.

3. *refertur tamen*) unde forte non erraverit, qui Hungariam jam ab interregni tempore iterum ſui juris factam dixerit. Schurtzfl. *c. l. §. 11. in not. lit. o.*

4. *ab Ordinibus allegatum*) ex quo ut & alias ſatis conſtat, Germanos juri ſuo, quod olim in Hungariam habuere, pridem renunciaſſe. Absque quo ſi foret, illius libertati ſolus præſcriptionis titulus neutiquam ſufficeret. vid. not. *3. ad §. 1. c. 2. & §. 37. h. c.*

§. 11. *Lithuania Poloniæ*) multi vero dubitant, an hæc acceſſio Poloniæ ad Germaniam quicquam pertineat, cum iſta pridem huic exemta ſit. conf. not. ad *§. 57. c. 3.*

2. *acceſſit*) de qua acceſſione vid. not. ſeq.

3. *Germaniæ junxerunt*) hac ſcil. conditione atque lege, ut jam memoratæ terræ in fide & clientela ejus eſſent, ut explicat Schurtzfl. *diſſert. 34. de reb. Pruſſ. §. 21.* Quæ ſubjectionis proprie dictæ formula aliquantum laxior eſſe videtur. Et ſane Boruſſiæ equites eam Imperii oneribus ſubjici aut in formam Circuli deſcribi, cum id ſeculo decimo ſexto ineunte in Comitiis Imperii ageretur, nequaquam paſſi ſunt. vid. annot. ult. ad §. *3. c. 4.* Neque magnum Magiſtrum illorum Comitiis Imperii inter ceteros hujus Ordines interfuiſſe facile probari

probari poteſt. Nam quos ab anno 1525. quo Boruſſiæ Magiſterium ſublatum inque Poloniæ Ducatum converſum eſt, citatis hanc in rem Imperii Receſſibus, ſuffragatos memorat Noſter *infra §. 50. c. 18.* & nominatim deſignat Schurtzfleiſch. *diſſert. 35. ad res Pruſſor. §. 8. in not. lit. l.* illud ipſum, utpore jam ante extinctum, minime tenuerunt, ſed ſolum conſervandi juris Imperii cauſa, ad cujus imminutionem ante memorata pactio Alberti III. cum Rege regnoque Poloniæ inita ſpectare videbatur, nudum nomen abſque re geſſerunt, inde Adminiſtratores tantum dicti. Quod vero ad Livonicorum equitum Magiſtrum attinet, is ideo inter Imperii Ordines numerari non potuit, quia mediatus fuit & Boruſſico Magiſterio ſubjectus ad annum 1513. usque, quo ille data pecunia ab hoc libertatem adeptus exhinc demum in claſſem Imperii Principum relatus eſt. Conring. *de fin. imperii l. 2. c. 29. §. 34.* Schurtzfl. *diſſert. 55. de ordine Enſiferorum §. 7. ſeqq.*

4. *alter non poſſet*) potentiæ quippe Polonorum impar & Cæſaris Imperiique, aliis tum bellis impediti, auxilio deſtitutus, ut omnes fatentur. Schurtzfl. *diſſert. 35. ad res. Pruſſ. §. 8.*

5. *Poloniæ Rege facta*) inconſulto quidem Imperio. unde dictus Albertus III. hujus pactionis obrentu proſcriptionis fulmine ab eodem percuſſus eſt; quanquam ipſe primus non fuit, qui Polonis ſupremum in Boruſſiam jus conceſſit, ſed ſecutus fuit majorum exemplum ab anno 1469. Autori noſtro paulo ante *h. §.* memoratum; & præ-

terea provinciæ, ubi aliter conſiſtere & defendi nequit, a reliquo corpore regni diſcedere ſeque potentiori dedere jure gentium licet. *infra* §. *39. h. c.* & §. *15. c. 6. p. 165.* Hinc alii dictæ proſcriptionis cauſam ab illata per Albertum III. in Boruſſiam puriori Lutheri doctrina arceſſere malunt. Neque tamen illa executioni mandata eſt. Conring. *de fin. imperii l. 2. c. 29.*

6. *ſupremo jure*) quod datum anno 1667. dicto Friderico Wilhelmo ejusque poſteris, quibus omnibus deficientibus Ducatus Boruſſiæ ad agnatos ejus Culmbacenſes & Onolsbacenſes non aliter niſi priſtino beneficiario jure & proinde absque Regia dignitate, quæ ei anno 1700. acceſſit, devolvitur vid. Schurtzfleiſch. *c. l.* §. *10.* & *ibi in notis*, ubi hanc rem fuſius explicat.

§. 13. *utriusque Magiſteria*) vide tamen annot. *2. ad* §. *11. h. c.*

2. *Archiepiſcopatus Rigenſis*) qui omnium Boruſſiæ ſacerdotum olim Metropolitanus conſtitutus eſt, quemadmodum viciſſim Magnus Magiſter ejus Livonici Magiſterii caput erat. Schurtzfl. *diſſert. 55. de ordin. Enſifer.* §. *9.*

AD CAP. V. SECT. 2.
De diviſione Regni Francici & inde novis acceſſionibus.

§. 14.

D*Iviſum eſt*) qua diviſione, tum & altera illa, de qua §. *19. h. c.* tam Franco-Germaniæ,

quam

quam Franco-Galliæ omnia jura & decora veteris regni Francici communicata ſunt. Quare ſi Regibus Franco-Gallis jus præcedendi alios Reges Chriſtianos inde aſſerendum eſt, quod Franci omnium fere Chriſtianorum populorum primi Chriſtianam religionem, Clodovæo M. præeunte, amplexi ſunt, ut annotavimus ſupra *ad §. 26. Prolegom.* idem jus non minus Germaniæ Regibus competat neceſſe eſt. Quin his ipſos Franco-Galliæ Reges ordine cedere rationi conveniens eſt, non tantum eam ob cauſam, quod Germania eximio Romani imperii honore fulget, ſed propter originem quoque, quam Franco-Gallos a Gothis, Burgundionibus, Normannis & Francis, populis Germanis, ducere, hodie apud omnes in confeſſo eſt, add. §. *25. c. 8.* & Hertius *in Notit. regn. Franc. veteris c. 1. §. 30. ſeqq. Vol. 2. opuſc. tom. 1.* Neque tamen ex hac jurium & decorum antiqui Francorum regni communione inferre licet, imperium Romanum cum Italiæ regno ad Germanos & Franco-Gallos æquo jure hodieque ſpectare, ut quod refellitur infra *ad §. 2. c. 6.*

§. 15. *item nonnullæ civitates*) ob vini copiam, ut ſignificanter additur apud eundem Regin. *c. l.* Unde vinearum culturam ſeculo poſt Chriſtum natum nono in Germania magna ſeu transrhenana adhuc neglectam fuiſſe facile colligitur.

2. *inter ipſius filios*) quorum natu majori, Ludovico II. Regnum Italiæ cum imperio Romano; medio, Carolo, Burgundia cum Provincia; & natu

 minori

minori, Lothario, Lotharingia, ut Autor habet, in hac regni Lotharingici diviſione obtigit. vid. Autor vom alten Königreich Lothringen *c. 4. & 6.* & Noſter *§. 29. c. 2. Append. 2. Autonom. jur. gent.*

3. *ſedes Regni*) Aquisgranum videlicet, de quo ſupra *§. 83. c. 3.*

§. 17. diviſio in Auſtraſiam) qua de videſis Francopolitæ wahren Bericht von dem alten Königreich Auſtraſien *c. 1. cum multis ſeqq.* Schurtzfleiſch. *diſſert. 12. de Regno Auſtraſiæ.*

§. 18. *bello ſubjectum*) in Gallia ſcil. atque Italia. nam ipſum imperii Romani faſtigium ac honor, urbi Romæ atque Exarchatui primario inhærens, Francis non belli ſed pacti & transactionis jure obtigiſſe demonſtrabitur inſra *ad §. 11. ſeqq. cap. 6.*

2. *in teſtamento*) quo nomine tamen diviſio regni Francici Carolina valde impropriè venit, ut quæ ex voluntate Procerum Franciæ facta, ſecundum *§. 15. c. 7.* neque aliter fieri potuit, cum regnum Francicum ab omni memoria & prima ſua origine Procerum & populi poteſtate temperatum dicatur infra *§. 8. ſeqq. cit. c. 7.* quale ſolius Regis arbitrio, prætermiſſo populi aſſenſu, dividi nequit, cum & alias regnum quodcunque regulariter individuum cenſeri debeat, præcipiente Hug. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 7. §. 14.* Id quod cum natura teſtamentorum oppido pugnat, a neminis præterquam teſtatoris arbitrio quippe pendens, per leg. *32. ff. de hered. inſtituendis.* Sed nec alterius cujusquam Regis, ſive ſucceſſionis ſive electionis jure

mai-

innitentis, teſtamentum de ſucceſſione aut diviſione regni conditum, populo vel Proceribus obnitentibus, quicquam valere poteſt, cum utriusq; tam ſucceſſivi quam electivi regni tum bona tum jura publica, vulgo regalia dicta, quantum ad proprietatem & ſubſtantiam, ad populum ſpectent, Regi gubernatione & adminiſtratione eorum relicta, prout infra *§. 15. ſeqq. c. 9.* docetur; ubi in Animadv. regnum patrimoniale, cujus proprietas penes Regem ſit, ab aliis jam exploſum diximus, quibus addeſis Animadv. ad *§. 5. c. 1.* unde teſtamenta Regum quæcunque, de regni vel ſucceſſione vel diviſione, ceu de re aliena confecta, invito populo, aut Proceribus, irrita atque invalida ſint, neceſſe eſt.

§. 19. jure gentium) quod admittimus de regno individuo, ut ſcil. majori fratri, excluſo minore, deferatur; Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 7. §. 18.* negandum vero cenſemus, quantum ad regnum dividuum, quale fuit Francicum, ut ſatis abundeque teſtatum faciunt crebræ Merovingorum & Carolingorum diviſiones, de quibus *§. 14. 15. 16. 17. & paſſim h. c.* ibi enim frater minor majori jure ſuccedendi par eſt.

2. *ſucceſſionis*) quam ipſe refellit Noſter infr. *§. 13. 14. & 15. c. 7.* ubi regnum Francicum, cujus pars hoc Lotharingicum fuit, ſemper & perpetuo electionis jure innixum docet.

3. *originis*) quia Franci, qui Lotharingicum regnum cum reliqua Gallia armis ſubegerunt, origine indubii Germani ſunt; quod quanquam

ſecundum *§. 20. Prolegom.* veriſſimum; inde tamen Lotharingicum, Lotharii I. Auguſti propagine extincta, ad ſolum Ludovicum Germanicum, excluſo inde Carolo Calvo, Galliæ Rege, pertinuiſſe nequaquam conficitur, propterea, quod Franci Germanis non magis quam Gallis, ſed ſibi ſolum, ſecundum communem omnium hominum populorumque gentium, armis ſuis parta acquiſiviſſe cenſendi ſunt, prout jam ſupra *ad §. ult. Prolegom. & §. 82. c. 3.* obſervavi. add. Animadv. ad *§. 14. h. c.*

4. *victoriæ*) at Carolum Calvum armis Ludovici Germanici toto regno Lotharingico depulſum eſſe vix probabitur.

5. *debebatur*) quod & Schurtzfleiſch. probat *diſſert. 11. de reb. Burgund c. 6. §. 2. in not. lit. c.* Nos vero hic utrumque deſerimus, ob rationes pauloante *in not. ad h. §.* allatas; quemadmodum in eo quoque ab hoc diſcedimus, quando imperium Romanum, extinctis Lothario I. hujusque filio Ludovico II. Auguſtis, a Carolo Calvo præreptum, ad Ludovicum Germanicum, ceu fratrem natu majorem, ob ætatis prærogativam jure pertinuiſſe contendit *in diſſert. 67. de diviſ. imperii Carolini §. 49.* Quanquam enim Ludovicum I. hujusque filium Lotharium I. & nepotem Ludovicum II. præ fratribus eorum natu minoribus ad dignitatem Imperatoriam evectos eſſe neminem dubitare ſinunt ea, quæ ſupra *§. 14. & 15. h. c. & ibi in not.* habentur; id tamen non ætatis aut ſucceſſionis, ſed electionis duntaxat jure factum, idem fatetur Schurtzfl. *c. l. §. 11. & 76. it. in additam. dictæ diſſert.*

diſſert. de diviſ. imperii Carol. cui add. Hugo Grot. *l. 2. de jur. belli & pac. c. 9. §. 11. n. 3.* Quod tamen non eo valet, ut imperium Romanum a Romanorum electione etiamnum pendere dicamus, poſtquam id ab Ottonum ævo Germaniæ regno ita junctum eſt, ut ſine hac Romana electione idem ſit Imperator Romanorum, qui a Principibus Germanorum primarius Rex Germaniæ electus eſt. vid. Animadv. *9. ad §. 16. c. 6.* quam eandem ob cauſam nec Franco-Galliæ Regibus in imperium Romanum ullum jus eſſe poteſt. add. not. ad *§. 2. cap. 6.*

§. 22. *Lotharingia reliqua*) ſeu ulterior, quæ Carolo Calvo Franco-Galliæ Regi in diviſione totius Lotharingiæ anno 870. apud Marſenam cum Ludovico Germanico, ſuperſtite adhuc Ludovico II. Auguſto, Lotharii I. filio natu majori inita, obtigerat, a Noſtro vero inferius in expoſitione *h. §.* cum Lotharingia citeriori perperam confunditur, cum tamen diverſiſſima ſint, ſiquidem hanc dictus Ludovicus Germanicus in memorata diviſione Marſanenſi ſortitus eſt & eo mortuo a Carolo Calvo armis occupatam liberi illius §. *21. h. c.* nominati pari modo recuperaverunt, ut Autor *h. §. 22.* exponit; illam vero Ludovicus junior, prædicti Ludovici Germanici filius demum, oblatione & ceſſione Caroli Calvi nepotum primum aequiſivit & cum Germaniæ regno perpetuo univit, de quo vid. omnino Schurtzfl. *c. l. §. 72.*

2. *illi fœderis*) quo ante memorata pax &

 divi-

diviſio Marſanenſis innuitur, quam Noſter exhibet *§. 19. h. c.*

3. *pelleret*) de quo vid. Lehm. *l. 3. Chron. Spir. c. 46.* & Schurtzfl. *c. l. §. 50.*

4. *partem ſuam Lotharingiæ*) citeriorem nimirum ad Germaniam vergentem, quæ Ludovico Germanico pactione Marſanenſi obtigerat, ſupra *§. 19. h. c.* deſcripta.

5. *Auguſto*) Ludovico II. Lotharii I. filio natu maximo, ad quem utraque Lotharingia, citerior & ulterior, ceu defuncti fratris Lotharii junioris portio, ſpectare videbatur, pactione ad Marſanam anno 870. inter Carolum Calvum & Ludovicum Germanicum diviſa, ut habet Autor *§. 19. h. c.*

6. *reddiderat*) qua de re vid. Schurtzfleiſch. *diſſert. 67. de diviſ. imperii Carolini §. 48. & 49.*

7. *iterum ereptam*) injuſte quidem, ut late demonſtrat Schurtzfl. *c. l. §. 59. ſeqq.*

8. *reddidit*) a quo tempore Lotharingiæ Ducatus ſuperior & inferior coepit, quorum ille inſignem Moſellæ tractum; hic vero magnam Belgicæ II. partem complexus eſt, quem utrumque egregie exponit & ad noſtra usque tempora perducit idem Schurtzfleiſch. *c. l. §. 69. ſeqq.* add. not. *2. ad §. 9. c. 4.*

§. 23. Arelatenſe ſeu Burgundicum) cujus originem, formam variamque ſortunam omnium optime illuſtrat ſæpe laudatus Schurtzfl. *diſſert. 11. de rebus Burgundionum.*

§. 26. perpetuum illi Regno vicarium) at hunc

non

non perpetuum ſed temporarium tantum fuiſſe contendit Schurtzfl. *diſſert. 69. de Imperii patrimonio quoad regnum Arelatenſe a Carol. IV. non diſſipato, §. 23. ſeqq.* Et ſane poteſtatem vicariam generalem, qua Carolus VI. Delphinus a Carolo IV. impertitus eſt, perſonam illius egreſſam non eſſe, exemplum Ludovici Palatini ad Rhenum Comitis arguit, cui pater Rupertus Germanorum Rex in Italiam ad capiendam coronam Romanam abiturus vices ſuas tam Gallici & Arelatenſis regni quam Germanici ratione commiſit, ut apud Autorem ſequitur extr. *h.* §.

2. *dederit*) &, quod certius regni hujus Germanorum imperio adhuc innexi & ſubjecti indicium eſt, coronam Arelatenſem anno 1365. ſolenniter ſibi imponi effecerit, quod probat Schurtzfl. *c. l.* §. *20.*

3. *vicarium dedit*) certiſſimo argumento ſervati nec abalienati a Carolo IV. ſupremi in regnum Arelatenſe Germaniæ juris.

4. *Germaniæ membra fuere*) videtur ſibi non ſatis conſtare Autor, dum hic Sabaudiam & Helvetiam regni Burgundici jure Germaniæ membra fuiſſe aſſerit, infra *§. 34. & 35. h. c.* autem probat, Helvetiam juri civitatis Germanicæ ſeu Comitiorum nunquam innexam eſſe; Sabaudiam vero hoc demum adeptam, ex quo in Ducatum imperii Germanici converſa eſt, cum ante Comitum jure tantum uteretur. Sed ſalva res eſt, dummodo membra Germaniæ a Statibus diſtinguas. vid. infra §. *3. c. 19.*

§. 27.

§. 17. *quo titulo*) qui alius eſſe nequit, quam pactum expreſſum aut tacitum Germanorum. Quod enim meum eſt, ad alium ſine facto meo tranſire nequit, eſt regula juris naturalis jure civili quoque confirmata in *l. 11. ff. de R. I.* Hinc fruſtra obtenditur præſcriptio, inventum juris civilis quippe, quo Rex regnumve Germaniæ nequaquam obſtringitur, ut not. ſupra *ad* §. *1. c. 2.* & plenius infra *ad* §. *37. h. c.* Sed nec jactatus ab adverſa parte conceſſionum Cæſarearum titulus ei quicquam proficere poteſt, quando Procerum conſenſus non acceſſit, ad alienationem rerum & jurium Imperii omnino neceſſarius, ut quorum exercitium tantum ſeu cura & adminiſtratio Regi data eſt, ipſa proprietate & dominio penes Proceres populumque manente. vid. infr. §. *15. ſeqq. c. 9.* Quod non tantum de Germania, ſed de omni alia republica quoque ſtatuendum eſt, quoad non probatur, Regi pacto expreſſo aut tacito Procerum aut populi alienandi facultatem conceſſam eſſe. adde Animadv. 2. ad §. *37 h. c.*

2. *mirum quam pugnent*) eſto vero, omnes conſentire, atque adeo verum eſſe, ſupremum Germaniæ in regnum Arelatenſe jus in Franco-Gallos a quibusdam Regibus translatum, id tamen ei nihil officere valet, niſi cum conſenſu Procerum populique ea translatio facta doceatur. Sed fruſtra hæc defenduntur, quamdiu jus Germaniæ viribus deſtitutum manet.

3. *fabula eſt*) add. Schurtzfleiſch. *cit. diſſert. de patrimonio Imperii quoad regnum Arelatenſe*

4

a Carol. IV. non diſſipato.

§. 29. *ipſe Ducatus Lotharingiæ*) tam ſuperior ad Moſellam, quam inferior, qui hodie cum Ducatu Brabantiæ in Auſtriorum patrimonio eſt. vid. not. *7. ad §. 22. h. c.*

§. 31. *utriusque fere regni*) plures tamen Lotharingici preſſius dicti, quam Burgundici regni partes hoc Auſtriorum patrimonio contineri facile intelliges, ſi provincias illius utriusque §. *29. & 30.* enumeratas cum partibus hujus, quæ §. *h. 31. & ſeq. 32.* recenſentur, comparare velis. Nam regni Burgundici ſeu Arelatenſis membra in varia dominia diſtracta dudum ante Maximilianum I, partim in Franco Gallorum, partim vero in pontificis Romani aliorumque ditione fuere.

§. 32. *ſucceſſit*) a quo tempore partes patrimonii Burgundici ante §. *31.* recenſitas in titulis Auſtriorum cumulatas videas paſſim in Receſſibus Imperii.

2. *dominus directus*) talis vero minus juris habet, quam dominus ſupremus. Nam dominium directum nexum beneficiarium ſeu feudalem duntaxat reſpicit, qui neque ſubjectionem vaſalli infert, neque domino directo imperium ſupremum, cui illa ex adverſo reſpondet, tribuit. vid. not. ſupra ad §. *49. & 50. c. 3.* Quamobram alii Auguſtos Germaniæ patrimonii Burgundici reſpectu dominos ſupremos quam directos appellari malunt.

§. 33. *transactum eſt*) cujus tranſactionis tabulas exhibet Conring. *l. 2. de fin. imp. c. 27.*

2. *ſalva immunitate*) quæ eo ſpectat, ut Duces Lotha-

Lotharingiæ inpoſterum liberi ſint ab Imperii judiciis atque ab eorum ſententiis non fiant provocationes ad ſumma Imperii tribunalia; nec teneantur lege feudorum regularium; de cetero vero tutela & defenſione Imperii, ut alia ejus membra, fruantur, & indictis tributis Imperii, tertia parte minus, quam unus Electorum perſolvant & hactenus Imperii jurisdictioni ſubſint, feudaque, quæ ab Imperio majores eorum poſſederunt, decenti modo porro accipiant & agnoſcant.

3. *ſtatus imperii eſſet*) hoc vero ex prædictis tranſactionis tabulis tantum abeſt ut probari queat, ut potius inde Duces Lotharingiæ, qua tales, onere Comitiorum exſolutos clientelæ & feudi lege tantum Imperio adhuc innexos elicias.

4. *comparuitque in Comitiis*) non qua Dux Lotharingiæ, ſed Marchionatus Nomenii aliarumque terrarum reſpectu, ut ex ſubſcriptionibus Receſſ. Imperii hic excitatorum colligo, ubi is in ordine Principum ultimo fere loco memoratur, qui tamen ut Lotharingiæ Dux, ob antiquitatem hujus Ducatus, ſuperiori loco memorandus erat, ſi ejus reſpectu Comitiis interfuiſſet. *comp. §. 24. c. 15.*

§. 34. *in clientela*) quam Noſter infra *§. 5. c. 7.* fœderis inæqualis nomine effert, cujus ea natura eſt, ut cliens Patrono ad reverentiam tantum & operam; hic vero viciſſim ad præſidium & tutelam teneatur; ceterum neque clientem ad ſubjectionis conditionem detrudat, neque Patrono jurisdictionem aut ſummum imperium in eum porrigat. Hugo Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 21.*

&

& c. 15. §. 7. Nec longe hinc abire feudorum jus docet idem Grot. *cit. c. 3. §. 23.* Etſi vero ultro concedimus, regnum Burgundicum, quoad proprios Reges habuit, de quibus ſupra *§. 23. h. c.* Germaniæ fiduciario tantum & clientelari jure obnoxium fuiſſe; ei tamen poſt arctiori ſummi imperii & ſubjectionis nexu illigatum eſſe, quam ex Rudolphi III. Burgundicæ regis teſtamento ad Conradum Salicum hujusque ſucceſſores devolutum eſt, recte ſtatuit Schurtzfleiſch. *diſſert. 11. de reb. Burgund. c. 6. §. 3. in not. lit. d. extr.*

2. *unquam habuerunt*) concedimus hoc, inde tamen minime ſequitur, regnum Burgundicum poſtquam per Conradum Salicum Germaniæ junctum, ab hujus jurisdictione & ſummo imperio liberum manſiſſe.

3. *quadam ejus membra*) ut Sabaudia, Burgundia & Bizantium, infr. *§. 35. h. c. & §. 12. c. 19.*

§. 35. ſpeciali tranſactione) hanc vero, quanquam per Receſſ. imperii de anno 1548. §. nachdem dann von unſern Burgundiſchen und Niedern Erblanden &c. corroboratam, adhuc plene in uſum deductam non eſſe probat Autor ſupra *§. 9. c. 4.* quæ cauſa eſt, quamobrem Circulus Burgundicus hodieque ſolo Burgundiæ Comitatu conſtet, quemadmodum is ante dictam tranſactionem quoque ſe habuit.

2. *jus comitiorum haberent*) atque pro defenſione & tutela tantam Imperii onerum partem, quantam duo Electores, penderent, ejusque jurisdictioni hactenus ſubeſſent, ceterum ab ea immunes,

nes, adeoque Germaniæ clientelæ ſolum & fœderis inæqualis lege innecterentur, ut Lotharingiæ Ducatus, quo de ante *ad §. 33. animadv. 2.*

Ad Cap. V. Sect. 3.
De Exemtionibus.

§. 37.

EXemta ſunt) exemtio eſt vel de Circulo, de qua ſupra *c. 4. §. 11.* vel de Imperio, qua de *h. l.*

2. *vel facto*) quo pertinet I. Præſcriptio, quæ ſola exemtionem de Imperio juſtam reddere nequit, quia eſt inventum juris civilis, quo neque Germani neque alii populi liberi obligantur, quod non minus ratione quam autoritate juris Romani probamus. Dicit enim ſignificanter Juſtinianus *§. ult. Inſtit. de uſu & habitat.* ſe nunc, expoſitis acquirendi dominii ex jure gentium cauſis, modos acquirendi ex legitimo & civili jure deſcendentes traditurum, ubi continuo titulum ſequentem de uſucapione exorditur, quam diſertis verbis in ipſo principio juri civili acceptam fert. Quod ejus juris interpretes diffiteri minime poſſunt, quando peregrinos juris uſucapiendi expertes pronunciant, de quo vid. compend. Lauterb. *p. m. 573.* quæ vero injuria eſt, peregrinos uſucapione prohibere, ſi juris naturæ ſeu gentium eſt, utpote quo omnes homines adeoque non minus peregrini quam cives Romani gaudent? vid. *l. 32. ff. de R. Jur.* Ad hæc, quantum ad rationem naturalem, certum eſt, id

id quod ſemel meum eſt, ad alium ſine voluntate mea transferri oon poſſe, quæ regula ipſo jure civili quoque comprobata eſt per *l. 11. ff. de R. I.* Sed tranſit tamen dominium per uſucapiooem ad alium invito quoque & ignorante domino, ut ſancitum in *l. 12. C. de præſcr. longi temporis* quod adeo verum putatur, ut ei nequidem reſtitutio ex clauſula Prætoris generali: *ſi qua alia mihi juſta cauſa videbitur*, indulgeatur. vid. *compend. jur. Lauterb. p. m. 86.* quis vero domino ignoranti & minime conſentieoti dominium per uſucapionem aufert? Is ſane non eſt homo quidam privatus, ut qui in dominum ceu parem nullum imperium habet, ſed ſumma reipubl. poteſtas, cui, boni communis cauſa, in bonis ſubditorum dominium eminens competit, ut recte ait Hugo Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 1. §. 6. it. c. 3. §. 6. n. 2. & l. 2. c. 13. §. 20. n. 3. it. c. 14. §. 7. & l. 3. c. 19. §. 7. it. c. 20. §. 7. & 52.* Expedit vero reipubl. ut dominia ſint certa & præſcindantur lites. Cui rei a ſumma ejus poteſtate uſucapio ſeu præſcriptio inducta eſt, ut dicitur in princ. Inſtit. *de uſuc.* Unde liquet, hanc a dominio ſuperioris eminente, tanquam cauſa generante, originem ſuam ducere, quæ cum inter diverſos populos Regesque liberos, pares quippe, deficiat, uſucapionem quoque, ut effectum ejus, deficere neceſſe eſt. add. Joh. Frider. Hornius *in Politic. Architect. l. 2. c. 4. §. 15.* Deinde potiſſimum uſucapionis requiſitum habetur tempus legitimum. Hoc vero ex ſuapte natura nullam vim effectricem habet, ni-

ſi accedat legis civilis auctoritas. Quanquam enim nihil non fit in tempore, nihil tamen fit a tempore, ut iterum ait Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 4. §. 1.* Accedit, quod jure naturæ ſeu gentium neque locos, neque modus neque tempus actuum humanorum definitum ſit, quare determinatio temporis legitimi, ſine qua nulla conſiſtere poteſt uſucapio, a lege civili proficiſcatur neceſſe eſt. Ut ne prorſus omittam, quod vulgo pro juſtitia uſucapionis affertur, eam in pœnam negligentium dominorum ſtatutam eſſe. At hæc infligi nequit niſi a ſuperiore, quem præter Deum Reges populique liberi ioter ſe minime agnoſcunt & proinde io iis nec pœnæ humanæ uſucapionis, quæ jacturam domioii infert, locus dari poteſt. Quod notat Ziegler. contra Grotium *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. §. 40. & diſſert. Select. them. 48. §. 30, & 31.* Inſtas, gentium non minus quam civium quieti uſucapionem cooducere, & proinde hanc ab illis quoque ſervari cooveniens eſſe. At ego reſpoodeo, hoc argumeotum ab utilitate depromtum huc non pertinere, ubi argumeota juſti perquirimus, ut egregie nos docet Hugo Grot. *in Proleg. de jur. bell. & pac. §. 57.* & ibi Ziegler. *in not.*

II. Ad injuſtos exemtionis titulos referendum eſt bellum, niſi ea ſubſequeote pacis pactione expreſſa aut tacita, qua bellum finitur, confirmetur. Quamdiu enim id durat, neuter belligerantium videtur acquiſiviſſe, quod occupavit, dum alteri idem vi repetendi jus eſt. Sed quæritur: an ejusmodi pactio obtentu metus ab alterutro paciſcentium

tentium aut ſucceſſorum reſcindi queat? quod negandum cenſemus non tam eam ob cauſam, quia ni hoc ſtatuatur, bellorum nec finis nec modus futurus ſit; cum hic, ubi de jure agimus, illud, quod ex uſu eſt, ſeponi debeat; quam quod metus ab altero belligerandi poteſtate inſtructo illatus juſtus eſt, quo in caſu reſtitutio ex cauſa metus juſte denegatur. Hugo Grot. *l. 3. de jur. bell. & pac. c. 19. §. 11.* ubi tamen juſtitiam hujus metus a jure gentium voluntario, quale non dari ſupra ad *§. 3. c. 1. n. 3.* animadvertimus, perperam arceſſit, cum ea potius ipſi belligerandi juri inſit. Dolus vero pactionem ejusmodi ipſo gentium jure infirmat, ut proinde reſtitutionis Prætoriæ auxilio, quo illa reſcindatur, læſo per alterius fraudem, minime opus ſit, cum talis pactio jam ipſo naturæ jure invalida & nulla ſit.

III. Nec minus ceſſio partis imperii, Regi aut populo extraneo ſe permittentis, inconſulto eo, a quo divertere intendit, injuſtus exemtionis titulus eſt, niſi eam ſumma neceſſitas urgeat, deque hac reliqua Imperii pars, a qua diſceſſio facienda, certior facta opem ferre nolit aut nequeat; tum enim talem ceſſionem firmam atque validam eſſe jam ſupra animadvertimus *ad §. 11. h. c. n. 5.* conſentiente quoque Autore noſtro *§. 39. h. c.* add. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 5. §. 24. & c. 6. §. 5.*

IV. Sed nec juſtior ceſſionis a ſolo Rege inconſultis Proceribus factæ titulus haberi poteſt, ex cauſa, quam ante ad *§. 27. h. c. n. 1. & 2.* annotavimus;

vimus; niſi ei a populo ſeu Proceribus facultas alienandi regnum totum aut ejus partem conceſſa; aut ſalus & neceſſitas publica hanc ceſſionem extorqueat atque moræ periculum Proceres conſuli vetet. Quibus in caſibus ceſſio rata eſt, ſive pars cedenda conſentiat, ſive minus, ut adverſus Hugon. Grot. recte obſervat Joh. Frider. Gronovius *in not. ad l. 2. de jur. bell. & pac. c. 6. §. 6.*

V. Quemadmodum vero hi exemtionis tituli tanquam injuſti Germanis ab exteris populis aut Regibus invalide objiciuntur; ita nec hiçe ab illis juſte opponi poſſunt, ob paritatem juris utrisque ex æquo competentis.

2. *aut jure*) cujus unicam tantum cauſam agnoſcimus, pactionem videlicet expreſſam aut tacitam, neque aliam oſtendi poſſe certo perſuaſi ſumus. Ubi tamen tria potiſſimum notanda veniunt 1.) pactionem tacitam fundari debere in facto uno vel pluribus, unde conſenſus tacitus, qui verus eſt, colligi queat, cujus plura exempla affert Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 4. §. 4.* Neque enim conſenſui præſumto ſ. ficto, qui vulgo ex ſilentio multorum annorum elicitur, inter gentes locum dare poſſumus, cum hoc ad ſignificandam voluntatem humanam nequaquam ſufficiens medium ſit, præſertim quando, ut hic, de damno ſilentis agitur, qui ſecundum communem hominum naturam, quæ ſuum minime jactare ſolet, potius pro diſſentiente habendus eſt. vid. Ziegler. *in not. ad Grot. l. 2. de jur. bell. & pac. c. 4. §. 5.* (2.) ad pactionem tacitam derelictionem tacitam quoque referri

ferri debere, ut ſi qui regionis alicujus eſt dominus, ſciens cum altero eam poſſidente tanquam cum domino contrahat. Hoc facto enim prior dominus jus ſuum tacite remiſiſſe merito cenſetur: (3.) pactionem tam expreſſam quam tacitam ac proinde exemtionem quoque, quæ illa innititur, vires ſuas perdere, cum paciſcentes denuo in bellum ruunt, utpote communionem juris ante quocunque modo quæſiti tollens. Id quod non minus Capitul. Caroli VI. *art. 2.* confirmatum reperimus.

3. *caveri ſolet*) onde colligere licet, Germanos ad repetendum ea, quæ iis injuſte ablata ſunt, magis vires quam voluntatem deficere.

38. *nihil definimus*) facile tamen definiendum ex iis, quæ ante ad *§. praeced. 37. h. c.* notavimus. Hungariam ſane jure exemtam eſſe docuimus ſupra ad *§. 10. h. c.* a quo tempore, quando a Turcis invaditur, auxilium ei ab Imperio ferendum non tam ex regulis juſti quam prudentiæ, ſecundum illud Maronis: *nam tua res agitur, paries cum proximus ardet, Ucalegon.*

§. 39. *exemta ſunt*) & quidem conſenſu Imperii cum expreſſo tum tacito inprimis, dum Germani Regem Boruſſiæ agnoſcunt add. Schurtzfl. *diſſert. 35. ad res Pruſſor. §. 8. in not. lit. l.*

2. *jure gentium licuit*) de quo ſupra *ad §. 11. & §. 37. h. c.*

§. 40. *univerſa Helvetia*) hanc tamen Germaniæ etiamnum aliquo modo devinctam manere contendit Schurtzfleiſch. *diſſert. 8. de Belgio §. 24.* ubi tamen notandum, gratiæ relationem, quam ibi

 adver-

adverſus Helvetios urget, obligatione imperfecta miti, quæ neque in foro civili actionem, neque in ſtatu naturali juſtam belli cauſam parit. Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. §. 20.* Pufendorf. *de Offic. hom. & civ. l. 1. c. 8. §. 8. it. de jur. nat. & gent. l. 3. c. 3. §. 17.*

2. *jus imperii*) quod exhibuimus ſupra annot. 2. *ad §. 35. h. c.* cui add. Autor ibid.

3. *in medio relinquimus*) ſatis tamen ex §. 42. *h. c.* apparet, Autorem in negantium ſententiam proclivem eſſe, ea de cauſa, quod res inter alios acta aliis, quorum intereſt, non conſentientibus nocere nequeat.

4. *conſtitutum habent*) quandoquidem uſurpatione tituli jus quæſitum in provinciam aut regnum conſervatur, ubi id pactione expreſſa aut tacita abdicatum non eſt. add. Schurtzfleiſch. *diſſert. 80. de character. eventor. ad decid. illuſtr. controverſ. controverſ. 2. de regn. Hieroſolymit. §. 7.*

§. 41. *nudum nomen judicii eſt*) contra vero Landgravios Alſatiæ ab antiquiſſimo ævo in ordine Principum Imperii exſplenduiſſe, oſtendit Schurtzfleiſch. *diſſert. 38. qua principium Moſellæ Auſonii inſcribitur.* Nec obſtat, quod Autor objicit infra *§. 23. c. 15* eos in Comitiis Imperii ſeorſim ſuffragatos non reperiri; id enim antiquo ſuffragandi juri adſcribendum, quando plurium uno Principatuum poſſeſſores, ut Auſtriæ Archiduces, unico ſuffragio & quidem a Principatu nobiliori uſi ſunt. Ut proinde jus ſuffragandi Alſatiæ Landgraviatus, priusquam Gallis ceſſus eſt, Auſtriæ, tanquam

Princi-

Principatus potioris, ſuffragio comprehenſum videatur. adde not. ſupra *ad §. ult. ſect. 4. & §. 75. ſect. 5. c. 3.*

2. *manſere judicii & juriadictionis nomina*) hoc vero petit id, quod eſt in principio.

3. *a ſummo imperio diſtinctum*) quam diſtinctionem admitto, etſi Alſatiæ Landgraviatus non nudi judicii, ſed juſti Principatus Imperii jure atque honore fulſit, quamdiu penes Auſtrios ſtetit; cum necalioꝛum Germaniæ Principum territorii jus, Imperii reſpectu, ſummum exiſtat. vid. *§. 2. c. 7. & ibi Animadv. 1.*

4. *intelligi nequit*) videtur hic Noſter confundere ſummum imperium Germaniæ in Landgraviatum Alſatiæ cum ejusdem ſummo imperio in reliqua ejus membra immediata, quæ *§. 87. Pac. Monaſt.* recenſentur. Quanquam enim hoc Gallis nequaquam ceſſum, ſed contra a Germanis *cit. §.* expreſſis verbis reſervatum repetitur; illud tamen non minus quam Auſtriæ jura abdicatum prorſus & in Gallos translatum eſſe evidenter ſatis indicat cit. *§. 87. extr.* cum *§.* præced. *74. & 80.* Ceterum quibus artibus Galli imperium ſummum Germanis in reliquam Alſatiam reſervatum involare idque ſibi arrogare jam pridem auſi ſint, ex Actis publicis copioſe exponit Kulpiſ. *ad Monzamb. c. 2. §. 1. p. m. 81. ſeqq.* add. Schurtzfleiſch. *c. l. §. 18. ſeqq.*

5. *illius, non hujus ſunt regalia*) quæ Landgraviorum Alſatiæ dignitatem nudo judicii jure longe majorem ſatis evidenter arguunt.

§. 43. *diœceſin*) quæ iterum adverſus Franco-

Gallos diſputantur, ut qui ceſſionem ſupremi imperii & dominii per pacem Monaſt. *d.* §. *70.* finibus & diſtrictu Epiſcopatuum, Tullenſis, Virodunenſis & Metenſis, expreſſe circumſcriptam, ultra proferre, atque ea etiam loca extra territoria dictorum Epiſcopatuum, intra Dioecesin tamen eorum ſita, aut iis lege beneficiaria ſeu feudi obnoxia, comprehendere audent, quorum imperium ſummum Germani contra ad ſe pertinere, neque id dicta ceſſione contineri contendunt, prout hæc longius exponit Kulpiſ. *c. l.* add. Schurtzfl. *diſſert. 8. de Belgio* §. *17.*

2. *Diverſa ſunt a diœceſi*) de qua differentia vid. infr. §. *37. c. 18.*

§. 44. *plurimum detractum eſt*) hæc conferri meretur Autoris anonymi obſervatio apud Fritſchium *in not. ad pac. Ryſwicenſ. p. 263. ſeqq.*

AD CAP. VI.

De regno Italiæ & Imperio Romano ac regno Siciliæ.

§. 1.

XXVI. *ante annis*) quod quo reſpiciat, dicitur infr. §. *4. h. c.*

2. *regnum Italiæ acquiſivit*) præter quod eodem hoc anno a S. P. Q. R. ſummum Romæ & Exarchatus imperium Patriciatus titulo in Carolum M. denuo collatum dicitur apud Schurtzfl. *diſſert. 67. de diviſione imperii Caroli.* §. *15. ſeqq.* add.

add. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 40.*

§. 2. *uſurparunt regnum*) quos hic Autor regnum Italiæ uſurpaſſe ait, eosdem pro veris & legitimis poſſeſſoribus habet Schurtzfleiſch. *d. l.* §. *76.* Nobis diſtinguendum videtur inter imperium Romanum & Longobardicum ſeu Italiæ regnum. Illud enim ante Ottonis I. tempora a Romanorum pependit arbitrio, nec jure hereditario Carolo M. aut ſucceſſoribus hujus datum fuit; quod cum Berengarius ſenior, Guido, Lambertus, Ludovicus Boſonides ex electione & inauguratione Romanorum obtinerent, uſurpatores ſeu injuſti invaſores ejus inde dici nequeunt; dici tamen ita poſſunt regni Longobardici reſpectu, utpote Francis perpetuo belli jure quæſiti, quod adeo hiſce invitis neque ab Italis neque Romanis juſte auferri poterat. Hinc vero minime inferendum, regnum Italiæ hodieque pro parte ad Reges Franco-Galliæ pertinere, etſi jura veteris Francici regni eis per diviſionem hujus communicata eſſe negari nequeat; cum Longobardiæ ſeu Italiæ regnum cum imperio Romano ab Italis interceptum diu poſt diviſionem illam per Ottones Germanorum auſpiciis armisque denuo ex novis cauſis acquiſitum & cum Germania æterno jure conjunctum ſit, adde annot. *1. ſupra ad* §. *14. c. 5.*

§. 4. *longe diverſum*) quod & duplex corona imperii Romani & Italiæ regni arguit, *infra* §. *18. c. 8.* Cujus rei cauſa non in ſola temporum diverſitate, quibus illud utrumque primum a Francis, deinde vero a Germanis, partum, quærenda

I 5 eſt;

eſt; ſed præterea a cauſa modoque acquirendi diverſo arceſſi debet. Romanum enim imperium non armis & belli jure, ut Italiæ regnum, ſed pacto & transactionis titulo ad Francos Germanosque translatum eſſe ſuſtinebimus infra *ad §. 11. 12. 13. & 16. h. c.*

§. 7. nacti ſunt) largimur hoc Autori, quantum ad Carolum M. qui ſummum Romæ & Exarchatus imperium nomine Patriciatus habuit exercuitque, antequam Imperator factus, ut probant loca in demonſtratione producta, quibus addi poteſt Schurtzfl. cum Lehmanno ſupra animadv. *2. ad §. 1. h. c.* allegatus; negamus vero de Ottone I. qui Romæ & Exarchatus imperium demum nactus eſt, poſtquam Italiam tyrannide Regum tumultuariorum, Hugonis, Lotharii & Berengarii junioris, a Romanis per legatos ad hoc invitatus liberavit, & confirmatis Pipini & Caroli M. donationibus Imperator Romanorum ſalutatus eſt. add. annot. infra ad §. *16. h. c.*

2. *ſecundum legem Romanam*) quæ eſt *5. C. ad legem Juliam Majeſt.* Unde Caroli Magni ævo in Italia uſum juris Romani fuiſſe liquet.

3. *Majeſtatis rei*) Ut enim confirmatio Pontificis Romani, ita quoque ejus infirmatio ſeu depoſitio ad Caroli M. jura regia ſpectabat, quorum uſurpatio, quam ſibi cives Romani excitato tumultu ſumſerant, merito pro crimine læſæ majeſtatis habebatur. adde infr. *§. 6. 9. & 10. c. 18.*

4. *exercuit Otto I.*) id verum, poſtquam is Imperator factus. Non minus enim hic quam

Carolus

Carolus M. Romæ & Exarchatus imperium electione & voluntate Romanorum conſecutus eſt, per ea quæ notamus infr. *ad §. 16. h. c.*

§. 10. *ſed occiſa Amalaſuenta*) Quæ filia Theoderici, primi Oſtrogothorum in Italia regis, filii ſui impuberis Athalerici tutelam geſſit hocque anno ætatis 18. defuncto, Theodohattum in regni conſortinm aſſumſit, a quo poſtea, regni cupiditate ſtimulato, ioteremta eſt. Quam ob cauſam Juſtinianus eum bello illato victum regno Italiæ multavit, injuſte ſane, quandoquidem huic in Theodohattum, velut Regem independentem & Juſtiniano parem, nullum erat jus puniendi, ab imperio & ſubjectione quippe pendens, ut contra Hugonem Grotium notat Ziegler. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. §. 40. & in differt. ſelect. them. 48. §. 30. & 31.*

§. 11. *qui potuiſſent*) ad hoc veto ipſe reſpondet Autor § *15. infra h. c. p. m. 156.* populum Romanum Carolo M. imperium in ſe jure extremæ neceſſitatis dare potuiſſe, quo parti imperii a reliquo corpore quamlibet invito divertere & ad interitum declinandum ſe alterius potentioris imperio ſubjicere licet. Preſſus oinmrum populus Romaous a Longobardis, qui occupatis jam multis Exarchatus locis, ipſi jam Romæ urbi obſidionem & certiſſimam ſervitutem minabantur, Francorum opem adverſus Longobardos invocare eosque patronos & dominos adoptare cogebatur, nulla in Orientis Auguſto, ad cujus jus Roma cum cetero Exarchatu tum pertinebat, auxilii ſpe reliqua.

Venit

Venit ergo poſt Pipinum Carolus Magnus ut ſocius & amicus populi Romani, victisque Longobardis, regnum Italiæ jure belli, imperium Romanum vero titulo pacti cum Senatu populoque Romano, Pontifice velut cive primario interveniente, initi, ſibi peperit, quod deinde Irene hujusque ſucceſſor Nicephorus, Orientis Auguſti, & Exarchatus hactenus veri domini, ratum habuerunt. Unde manifeſtum fit, imperium Romanum Francis non, ut Italiæ regnum, belli ſed potius pacti & tranſactionis titulo quæſitum eſſe. quod & Schurtzfleiſch. probat *diſſert. 67. de diviſione imperii Carol. §. 15. & alibi.* cui add. inprimis Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 40. & l. 3. c 23.*

2. *hujus urbis incolæ*) ego vero non video, quid impediat quo minus populus Romanus, a Græcis Auguſtis deſertus & prope derelictus, proindeque neceſſitatis favore ſui juris factus, imperium Exarchatus in Francos, auxilium adverſus Longobardos ferentes, conferre potuerit.

§. 12. *equidem ſpecioſe*) at hæc vera eſſe, Animadv. ad § præc. 11. evicimus.

2. *expeditionem Pipini & Caroli*) quæ juſta erat non principaliter, cum Francis a Longobardis nulla injuria facta, ſed his cum Romanis ſolum de Romæ & Exarchatus imperio contentio eſſet; ſed acceſſorie tantum, qua ſcil. Pipinus & Carolus M. ex pacto Romanis adverſus Longobardos eos injuſte prementes auxilio veniebant, quod jure gentium licet, imo quadantenus præceptum eſt. vid.

Grot.

Grot. *l. 1. de jure bell. & pac. c. 5. §. 2. & l. 2. c. 25. §. 4. ſeqq.*

3. *At Carolus Magnus*) inde ſolum probatur, Carolum M. regnum Italiæ Longobardis armis eripuiſſe idque adeo jure belli ſuum feciſſe; nequaquam vero, eum hoc jure victis Longobardis continuo imperium in Romam & Exarchatum etiam nactum eſſe. Neque enim a diverſis ad diverſa conſecutio valet. Diverſa autem eſſe imperium Romanum & regnum Longobardicum ipſe docet Autor ſupra §. *4. h. c.* Adhæc tantum abeſt, ut Carolus Magnus adverſus Romanos arma ſuſceperit & ex hac cauſa imperium Exarchatus pepererit, ut potius ex ſocietatis & amicitiæ pacto eorum nomine adverſus Longobardos bellum moverit, Romanosque ab horum imminente imperio & tyrannide liberaverit. Si quæris cauſam hujus amicitiæ & navatæ Romanis adverſus Longobardos operæ, reſponſio in promtu eſt, quando neminem rerum Francicarum peritum latere poteſt, Pipino Caroli M. patri, cui pridem hereditario Majori domus, (qui honos ſecundus a Rege erat) & cum patris avique tum ſuis rebus geſtis factioſo, poſtquam Childericum III. ultimum Merovei poſterorum juſtum Regem totondiſſet, atque in monaſterium condidiſſet, & ſibi diadema impoſuiſſet, Papam Romanum auctoritatem præſtitiſſe & laudando factum apud captas ſuperſtitione & opinione ſanctitatis Romanæ mentes faciliorem regni Francici occupationem reddidiſſe, ut graviter hæc effatur Joh. Frider. Gronov. *in not. ad Grot. l. 2. de jure bell.*

bell. & pacis c. 9. §. 11. n. 2. p. m. 334.

§. 13. *invito Græcorum Auguſto*) hunc tamen poſtea, cum Irene hujusque ſucceſſor Nicephorus ad clavum imperii Orientis ſederent, pactum Caroli M. cum Senatu populoque Romano initum, ratum habuiſſe, certum. Qua approbatione vitium, ſi quod iſti pacto hæſit, abſterſum prorſus & purgatum eſt, ut proinde imperium Caroli M. Romanum omni ex parte juſtum legitimumque merito haberi debeat.

2. *perſuaſus ſcil.*) id quibus artibus & fallaciis Papa perfecerit prodit Lehm. *l. 3. Chron. Spir. cap. 23.*

§. 14. *ſed amicum*) unde forte cauſa arceſſenda, quare Carol. M. Patriciatus honore contentus, Imperatorio nomine ad tranſactionem cum Irene & Nicephoro initam usque ſe abſtinuerit. compara §. 15. *h. c.*

§. 15. *jure belli*) quod conceditur de regno Longobardico, negatur autem quoad imperium Romanum. vid. *not. ad* §. 11. *& 12.*

1. *Franciæ Germanicæ quæſitum*) contra quod jam ſupra *ad* §. *ult. Prolegom. &* §. 82. *c. 3.* monuimus, Francos ſeculo poſt Chriſtum natum quinto Rhenum in Galliam animo ibi conſiſtendi transgreſſos non magis Germanis quam Gallis armis ſuis parta acquiſiviſſe.

3. *ab Ottone I.*) de hoc vide Animadv. *ad* §. *ſeqq. 16.*

4. *cur minus Carolus M.*) reſpondeo, quia regnum Italiæ & imperium Romanum proprias

&

a civitate Germanica ſeparatas rationes retinuit, & proinde non minus nomeo priſtinum ei relinquendum fuit. vid. infr. *§. 20. h. c. & §. 5. c. 7.* & ſupra *§. 12. c. 1.* Quare nec exempla regni Perſici a Cyro, aut Græci ab Alexandro M. conſtituti, ab Autore in contrarium adducta, huc quadrant, dum utrumque hoc conforme fuit, regna Francorum autem diverſam formam & rationem habuere.

5. *tum vero & ipſe)* hæc vero cum iis, quæ ſupra *§. 14. h. c.* recte monuit Noſter, parum convenire videntur. Nam ſi Roma vel Exarchatus pro particula imperii Occidentis haberi non potuit, ſed provincia & acceſſio imperii Orientis fuit, electionem fœminæ Irenæ a Græcis factam improbare & inde ſibi proprium Imperatorem creare nequaquam valuit, quanquam demus, hanc electionem juri hactenus recepto repugnaſſe, ut quod mutare in ejus poteſtate fuit, penes quem ſumma imperii reſedit, i. e. populum Byzantinum, quod ejusmodi eſt, ut cauſa acquiſiti imperii Romani Carolini aliunde quam a pacto Caroli & populi Romani, quod neceſſitas a Longobardis imminans extorſit & poſtea Græcorum Auguſtus ratum habuit, depromi nequeat.

6. *Patriciatus poteſtas)* hanc vero dare non penes Pontificem, ſed Græcorum Auguſtum ſtetit. Quod tamen non impedit, quo minus Patriciatus Carolinus juſtus dici queat, ob periculum, in quod populus Romanus per Longobardos adductus erat.

§. 16. *jure victoria)* repete hue diſtinctionem regni

regni Longobardici & imperii Romani ſupra jam aliquoties adhibitam.

2. *Germanicum)* quin Italicum potius & Romanum.

3. *incredibili modeſtia)* obſtat tamen graviter vulgaris & ad naturam humanam accommodata regula, quod nemo ſuum jactare præſumatur, quæ in reges Francorum, manus magis ad accipiendum quam dandum pronas habentium, apprime convenit. Unde tria illa, quæ Noſter de iis *h.* §. prædicat, felicius pacto ante ſæpius memorato, quam incredibili modeſtiæ & inaudito exemplo adſcripſeris. Neque alia cauſa Ottonis I. quam Caroli M. cui iſtum Autor jungit, cenſeri debet, quanquam hic nobis refragatur Schurtzfleiſch. imperium Romanum Ottoni I. jure belli & proinde aliter atque Carolo M. quæſitum contendens *in diſſert. 67. de diviſ. imper. Carolini* §. 76. Nam & is a Pontifice populoque Romano per legatos ad comprimendam Regum Italiæ tumultuariorum tyrannidem in auxilium vocatus venit iisque victis Romæ Imperator renunciatus & inauguratus eſt. Poſt quæ demum, ut movet Schurtzfl. *c. l.* Romam armis aggreſſus eſt, cum nimirum anno poſt Pontifex contra fidem datam hoſtes Ottnnis I. contra interdictum in urbem reciperet, Conſtantinopoli adverſus eum auxilia arceſſeret, Hungaros ad Germaniam infeſtandam ſollicitaret, ex urbe Cæſari faventes pelleret, alios interficeret. Tum enim hanc perfidiam ulturus redit cum exercitu eumque urbi admovet Otto I. qui jam ante ex ejusdem Pontificis

ficis populique Romani voluntate imperium Exarchatus obtinuerat. Ut adeo hunc adverſus Romanos ductum fruſtra objiciat ante allegatus Schurtzfleiſch, add. Gronov. *in not. ad Grot. c. l. §. 11. n. 4.* Lehm. *Chron. Spir. l. 5. c. 10.* Gladov. *l. 4. c. 3. §. 22. & 23.*

4. *redigere poſſet*) at hoc aperte pugnat cum perſona amici & adjutoris, quam Carolus M. pro Romanis adverſus Longobardos in ſe receperat.

5. *remiſit*) reſervato tamen ſummo confirmandi & ex juſta cauſa infirmandi jure, quod Carolus M. etiam antequam Imperator renunciaretur, ſolo Patriciatus titulo exercuit. vid. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 40.* & add. infra *§. 9. 17. & 18. cap. 18.*

6. *Germanicum*) at vid. not. ad §. præced.

7. *voluerit*) imo debuerit, quia Romanum imperium a Germaniæ regno diſtinctum eſt, utpote pacti non belli jure Francis & deinde Germanis quæſitum.

8. *re Germanorum Rex*) & ſimul Rex Romanorum, quæ diverſa ſunt. Quanquam ſtilo pragmatico hic ſolus nominatur, ſuppreſſo illius nomine, propterea, quod Romanorum Rex Germanorum Rege eminentior cenſetur. adde *§. 22. & 27. c. 8.* & Animadv. *3. ad §. 1. c. 1.*

9. *absque ullo novo actu*) i. e. approbatione vel confirmatione populi Romani, quam hujus nomine ſibi aſſerit Papa atque ab ea coronationem, quæ ejus indubie eſt, ſeparat in *c. 34. X. de electione & electi poteſt.* in quo ei Hugo Grotius etiam *l. 2. de jur. bell.*

& pac. c 9. §. 11. n. 4. patrocinari videtur. Quanquam autem imperium Romanum a Senatu populoque Romano, Papa velut cive primario interprete, ad Germanos ab Ottonum ævo jure perpetuo delatum ſit; inde tamen iſte jus approbandi vel confirmandi ſibi atrogare nequit, quia alioqui electio Germanorum, æterno fœdere ſuffulta, facile inanis redderetur, ubi eam Pontifex e re ſua non eſſe exiſtimaverit, dum juri confirmandi jus infirmandi quoque ineſſe cenſetur. Ceterum ſola coronatio Romana non majus jus dat Romanis improbandi electionem Germanorum, quam Francofurtenſibus aut Aquisgranenſibus quæ ibi fit fiebatque inauguratio. In ea Papa miniſter eſt perinde ut Archiepiſcopi in Gallia, in Anglia, Hiſpania &c. cum coronant Regem, vide infra §. *1. 12. & 25. c. 8.*

10. *videtur communis opinio*) ſed diſtinctus tamen eſt reapſe Imperatoris Romanorum & Germaniæ Regis titulus. Unde cauſa hujus poſterioris, quem a Maximiliani I. ævo iſti priori acceſſiſſe Noſter aſſerit, nobis veroſimilior videtur luxuria titulorum ab hoc ævo maxime cumulatorum, cum antehac Germaniæ Reges, qua tales, ſolo Imperatorio nomine, velut potiore, contenti eſſent.

11 *nihil quicquam*) habet tamen imperium Romanum, quod Germanorum nunc eſt, non tantum Exarchatum ceu territorium principale, ſed præterea quoque omnia alia jura, quæ ad id olim pertinuerunt, nec pacto expreſſo aut tacito inde exemta ſunt, Papæ fructibus tantum ejus

Exar-

Exarchatus ceſſis. conf. *§. 11. & 19. h. t.*

12. *diſtincta*) poſito hoc, Francorum & Germanorum imperium Romanum Italiæ regno comprehendi nequit, contra quam hic & §§. anteced. ſentit Autor, ſibi hac in re contrarius.

13. *animæ remedio*) quæ formula in omnibus fere antiquis donationum, quæ olim eccleſiis factæ ſunt, tabulis reperire eſt, poſtquam ex falſa & impia Romanæ eccleſiæ ſacerdotum doctrina hominibus parum cautis perſuaſum, donationibus ejusmodi ſalutem æternam redimi, ad quam tamen non alia niſi veræ pietatis & meriti Chriſti via graſſari licet. Unde opes eccleſiarum nimium quantum creverunt.

14. *tuendi nomen Romanum*) unde etiamnum Germaniæ Reges Advocati & Defenſores eccleſiæ Romanæ audiunt. Præter quam inſuper reliqui orbis Chriſtiani eccleſiæ in fide & tutela eorum ſunt. vid. infra *§. 35. c. 8. & §. 2. c. 22.* Ut proinde Regibus Germanorum Romæ reſpectu duplex officium ſit atque jus, unum Imperatoris, quo ſummum ejus imperium continetur, alterum Advocati & Protectoris, in onere tutelæ conſiſtens. Et prioris quidam reſpectu Papa ſubditus Cæſaris eſſe debet; poſterioris vero cliens, ad obſequium & reverentiam ei devinctus. Tantum autem abeſt, ut Papa intra hos officii ſui erga Cæſarem fines ſe, prout decet, continuerit, ut potius, excuſſo omni reverentiæ & obſequii vinculo, jura ſummi Principis variis artibus ac tumultibus excitatisque frequenter æmulis imminuere, atque eheu! in

eum imperium ſibi ſumere nullo non tempore omnem lapidem moverit. *conf.* §. *18. & 23. h. c.*

15. *terram divi Petri)* quæ ſtilo latino Exarchatus & patrimonium Petri, ſeu eccleſiæ Romanæ, Germanico autem Kirchenſtaat audit.

§. 17. *& belli*) ſed repete hic diſtinctionem, quam ſupra inter imperium Romanum & Longobardiæ regnum conſtituimus.

2. *ubicunque natus*) mihi in inveſtiganda Caroli M. patria nec nativitatis, nec conceptionis, ſed ſolum domicilii parentum ejus locus reſpiciendus videtur, quod non tantum juri gentium convenit, ſed jure Romano quoque probatur, de quo Animadv. *3. ad* §. *2. c. 17.* Conſtat vero, Francos ſeculo poſt Chriſtum natum quinto e Germania transrhenana in Galliam migraſſe, animo ibi perpetuo manendi; & Caroli M. parentes Ducatui Brabantiæ, quæ Galliæ Belgicæ pars, hereditario jure præfuiſſe; Francorumque Reges præcipua palatia Lutetiæ & Aquisgrani, quod in Gallia Belgica II. ſitum, habuiſſe, atque adeo extra Germaniam cum cisrhenanam tum transrhenanam primario conſédiſſe. Unde nobis probabilior eorum videtur opinio, qui Carolum Magnum Gallis quam Germanis accenſere malunt, inter quos & Monzambano eſt *de ſtatu imperii Germanici c, 1.* §. *6.* Nec officit, Francos Rhenum transgreſſos, originem a Germanis ducere. Præterquam enim quod, Carolum M. ab iis generatum eſſe, incertum ſit; id ſolum ſtirpem ejus Germanicam arguit, a

qua

Google

qua patria ejuſdem, de qua jam quæritur, ſedulo diſtinguenda eſt.

§. 18. *beneficium & feudum*) quod etſi falſiſſimum, illud tamen aliquatenus verum, imperium Romanum Græcis Auguſtis ademtum & ad Francos Germanosque, per pactum cum Romanis initum, translatum eſſe. Cui cum poſtea tranſactio cum Orientis Auguſtis acceſſerit, inde Germanorum imperium Romanum duplici pacto inniti manifeſtum ſit.

2 *jus eligendi Pontificis*) Nos vero e contrario veriſſimum exiſtimamus, jus hoc velut imperii ſummi partem nobiliſſimam Carolum Magnum hujusque ſucceſſores cum ipſo imperio Romæ atque Exarchatus, ceu territorii principalis, per oblationem & ceſſionem Romanorum & inſecutam Auguſti Orientis ratihabitionem accepiſſe, cum utrinsque hujus juris idem plane ſit modus & cauſa acquirendi, nec iterum ab altero olim ſeparatum usquam reperiatur. vid. *c. 22. diſtinct. 63.*

3 *prius dicitur*) confunditur hic approbatio & reprobatio Regis Romani, a primariis Germaniæ Principibus electi, cum nexu feudali ejusdem. Neque enim hunc in allegatis jur. Canon. textibus ſibi aſſerit Pontifex, ſed illam ſolum ad ſe pertinere contendit, exemplo electionis eccleſiæ Prælatorum, ſuperioris examini & confirmationi obnoxiæ, quam cum abſoluta Regis Romanorum electione Septemviris Germaniæ competente, & approbationem Romanam prorſus reſpuente, de induſtria,

ſed perperam, miſcet idem Pontifex *c. l.* cui jungatur Clem. un. *de jurejur.*

4. *hoc falſum*) quod loca Radevici hic allegata minime probant, ſed hoc tantum, Papam dominio directo imperii Germanorum Romani deſtitui.

5. *ſed & tum d. c. 23.*) ego vero nullam cauſam video, quare Germani hunc canonem ſuſpectum habere aut poſſint aut debeant, cum quod ibi Ottoni I. ejusque ſucceſſoribus jus confirmandi & infirmandi Pontificis a Romanis electi in perpetuum confirmatum dicitur; tum quia hoc jus eodem modo, quo ipſum Romanum imperium Germanis quæſitum eſſe negari nequit. add. Schilt. *l. 1. Inſt. jur. Canon. tit. 7.* §. *26.* & §. *16. h. c.* it. §. *9. 17.* & *18. c. 18.*

§. 19. *jus ſummi imperii*) quo jure ab Imperatoribus etiamnum, quoties belli neceſſitas efflagitat, ſubditis ad imperium Romanum ſpectantibus, tributa & hoſpitationes imponuntur, neque in eo obtentu præſcriptionis a Pontifice Romano impediri queunt, utpote bona fide & quieta immunitatis aliquando aſſertæ poſſeſſione deſtituto. Ut ne ſilentio omittam, præſcriptionis titulum adverſus Auguſtum, legibus civilibus, quibus ea accepta ferenda eſt, prorſus ſolutum liberumque, neutiquam valere, ut animadvertimus ſupra *ad* §. *37. c. 5.* add. Lehmann. §. *13. h. c. allegat.*

§. 20. *eandem fere formam*) ſignificanter hic additur vocula: *fere*, qua formulam Italiæ a Carolo M. datam ab Ottone I. aliquantum immuta-

tam

tam eſſe innuitur, de qua mutatione, videſis Schurtzfl. *diſſert. 65. de jure Auguſti in Italiam*, ubi Proceres Italiæ ex formula Ottoniana vero ſuffragandi & hereditario feudi jure deſtitutos fuiſſe contendit. add. *§. ult. c. 7.* & ibi Animadv. item Animadv. *3. ad §. 12. ejusd. cap.*

§. 21. *Denique acceſſit*) quod quousque verum, ad ſubjunctam h. §. expoſitionem videbimus.

2. *regno acquiſivit*) de quo tamen merito dubites, quando ea ſolum regno jure cedunt, quæ Rex per pactum aut bellum, publico nomine initum, acquirit; at quæ titulo dotis, qui privatus eſt, eidem obveniunt, ut Calabria & Apulia Ottoni II. ducta Theophania Nicephori Imperatoris Byzantini privigna, magis ad proprium & familiæ jus pertinere cenſentur, niſi de contraria Regis voluntate manifeſto conſtet. Qua deficiente, cum tali acquiſitione privata regnum auctum velle ideo exiſtimari nequit, quia ejus generis actus communi hominum naturæ repugnat, quæ ſibi magis quam aliis acquirere ſtudet. Unde jus Germaniæ in Apuliam & Calabriam a Conrado II. derivandum eſt, cujus anteceſſor Henricus II. id jure familiæ Ottonianæ, cui per agnationem innexus fuit, adhuc habuiſſe videtur, quoad Ottones jam dictas regiones per nuptias Theophaniæ Germanis acquiſiviſſe non demonſtratur.

3. *vi uſurparunt*) dum eas Germanorum dominio & imperio ſupremo ſubduxerunt, hocque ſibi arrogarunt. Quamobrem pro injuſtis invaſo-

ribus ſeu uſurpatoribus merito habendi ſunt. Nec obſtat, Græcos atque Saracenos Apulia Calabriaque a Normannis pulſos eſſe; cum id auſpiciis Germanorum, a quibus illi prædictas Italiæ regiones ea lege & conditione poſſidendas acceperant, factum, vel ſaltem fieri debuerit.

§. 22. *manumque ſaltem vexillo*) quo interveniente olim feuda regalia conferebantur, cujus vice hodie in feudis ſecularibus gladius, in eccleſiaſticis autem ſceptrum fungitur. vid. infr. *§. 16. c. 13. it. §. 13. c. 16. & §. 22. c. 18. it. §. 18. tit. 3. Hypomnem. feudal.* Dum itaque Papa una cum Lothario II. Auguſto manum vexillo regni Neapolitani admovere voluit, imo reapſe admovit, ut clare teſtatur Otto Friſing. *c. l.* eo valuit, ut is pro condomino directo & ſupremo ejus regni haberetur. Ex quo tempore hoc Curiæ Romanæ nexu beneficiario ſeu feudali devinciri & Germanorum condominium directum fere negligi cœpit.

2. *Hic itaque*) cujus cauſam ita agit Schurtzfleiſch. *diſſert. 80. de character. event. ad decid. controv. illuſtr. controv. 1. de Regno Siciliæ* argumenta ejus (1.) a dotis titulo; (2.) Conſtantiæ juſtis natalibus; (3.) Tancredi nothi naſcendi labe; (4.) regni Siciliæ ceu fœminini conditione; (5.) conſenſu Pontificis tanquam directi ſupremique domini; (6.) pravis Normannorum facinoribus; eorumque (7.) injuſta Siciliæ uſurpatione, depromendo, ut tamen Tancredi ſucceſſionem juſtiorem habere videatur, propterea, quod (1.) in veteri Italia aliisque occiduis & ſeptentrionalibus regnis non

tam

tam exquiſita natalium ratio habita ſit; add. idem *diſſert. 10. de antiquit. Franc. §. 24. & diſſert. 11. de rebus Burgund. c. 5. §. 1. not. lit. a.* it. Hugo Grotius *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 7. §. 12. & ibi in not.* tum (2.) quod pater Tancredi, data ab avo venia & nuptiis rite peractis labem naſcendi purgarit; quo (3.) factum ſit, ut pater Ordinum regni ſuffragio ejus capax judicaretur; præterea (4.) majoribus Tancredi Normannicæ ſtirpis Siciliam, bello adverſus Saracenos ſuſcepto quæſitam, huic ab iis recta ſerie deſcendenti non potuerit auferri; & (5.) Pontifex plus ſibi, quam par fuit, ſumſerit, regnum alieno labore periculoque partum pro ſuo habens.

3. *regno & priſtino juri reſtituit*) Varum hic graviter obſtat, quod ipſe affert Autor ioſr. *§. 15. extr. c. 7.* Henricum VI. electionem Germanorum in jus ſucceſſionis convertere & ea lege regnum utriusque Siciliæ Imperio jungere volentem ab iis repulſam tuliſſe. Inde enim ſatis manifeſtum redditur, eum Siciliam titulo dotis partam, nequaquam Germaniæ junxiſſe, ſed ſibi ſuæque familiæ acquiſiviſſe. adde omnino Animadv. *2. ſupra ad hunc* §.

4. *victo Manfredo*) Friderici II. Auguſti & Siciliæ regis filio notho, i. e. ex concubina nato, qui, mortuo Conrado IV. ejusdem filio legitimo & Germaniæ Siciliæque Rege, hujus filio legitimo Conradino regnum Siciliæ, inſtigante Pontifice, præripuerat. vid. Schurtzfl. *diſſert. 80. de charact. event. ad decid. Controv. illuſtr. controv. 3. de regn. Sicil.*

5. *Conradinum*) dicti Conradi IV. juſtum filium & Friderici II. nepotem, qui victo per Carolum Andegavenſem cæſoque Manfredo, regnum Siciliæ a patre Conrado IV. per teſtamentum ſibi deſtinatum & ſanguinis, a primo acquirente Henrico VI. abavo ſuo deſcendentis, jure ad ſe delatum, armis adverſus Carolum Andegavenſem repetitum iverat. Schurtzfleiſch. *d. l.*

6. *Petrum Arragonium*) cujus cauſam adverſus Carolum Andegavenſem præter ea, quæ paulo ante Animadv. *5. ad h. §.* de regno Siciliæ, ſucceſſionem tum fœminarum tum nothorum admittere, attulimus, inprimis juvabat, quod Conſtantiam Manfredi nothi Siculi Regis filiam in matrimonio habebat, tum quod jus ſoceto, aſſentiente Pontifice, velut directo ſupremoque Siciliæ domino, in illo regno quæſitum, cæſo utroque tam Conradino quam Manfredo, ad Conſtantiam uxorem jure ſanguinis devolutum putabatur. Quod ei neque Pontifex neque Carolus Andegavenſis ſine juſta cauſa auferre valuit. Accedebat præterea conſenſus cum Pontificis, tum Siciliæ Procerum, qui propter avaritiam, rapinas, libidinem inſolentiamque Gallorum pertæſi hos regno indignos judicabant, atque ad id capeſſendum Petrum Arragonium invitabant. Ut ne prorſus omittam, eum a Conradino, cum ad ultimum ſupplicium depoſceretur, ſigno chirothecæ demonſtratum, regnique heredem appellatum eſſe. Ceterum exemplo Manfredi ejusque filiæ Conſtantiæ legitima nothorum in regno Siciliæ ſucceſſio evidenter com-

pro-

probatur. Quare nec Tancredi nothi ſucceſſio propter naſcendi labem, etſi ea purgata non fuiſſet, injuſta haberi poterat. add. Schurtzfl. *c. l. Controv. 4. de regno Siciliæ ad Arragonios delato.*

7. *Regemque Siciliæ*) & Provinciæ, regno Arelatenſi annexæ, Comitem, nomine Robertum, qui permultis Italiæ civitatibus ad imperium Germanorum ſpectantibus ad injuriam Henrici VII. perfidiæ & fœdæ conjurationis autor fuerat. qua de re vid. Lehm. *l. 7. Chron. Spir. c. 11.* & Clement. *2. de ſentent. & re judic.*

8. *citans*) eumque ad curiam Imperatoriam venire & cauſam dicere tergiverſantem, velut confeſſum & convictum, perduellionis lege capite damnatum non minus Apuliæ regno quam Provinciæ Comitatu mulctans, atque ſententiæ ejus executionem Regi Siciliæ Friderico mandans, evidenti argumento, utrumque tam Apuliæ regnum quam provinciæ Comitatum tum adhuc imperio Germanorum feudi & ſubjectionis nexu obnoxium fuiſſe. Sed executio ob ſubitum Henrici VII. exceſſum intermiſſa.

9. *citationemque*) quin etiam ipſam ſententiam, tanquam invalidam, ut ipſe fatetur Pontifex *in cit. Clem. 2. de ſententia & re judicata.* Qui etſi ei reſciſſioni colorandæ varias cauſas, quas vulgo juſtificas dicunt, ibidem afferat, verior tamen & ſuaſoria ejus cauſa fuiſſe videtur, quod dictus Robertus perfidiæ & conjurationis fœdus adverſus Henricum VII. ipſius Pontificis impulſu pepigerat, ut habet Lehm. *c. l.*

§. 13.

§. 23. *Paruiſſe Italiam*) add. Schurtzfl. *diſſert. 65. de jure Auguſti in Italiam; & diſſert. 67. de diviſ. imperii Carolini* §. 76.

2. *de Mediolano*) quem Ducatum juxta cum Marchionatu Finalis & ditione Senenſi patrum memoria Philippum IV. Hiſpaniarum Regem in fide & clientela Imperii tenendum tuendumque a Ferdinando III. Cæſare ſuſcepiſſe, ex P. Piaſecio annotat Schurtzfleiſch. *d. diſſ. de diviſ. imp. Carol.* §. *76. p. m. 915.*

3. *non erubuit contendere*) adde Clem. 2. *de ſent. & re judic.* & clem. un. *de jurejurando.*

4. *eximere qui potuit?*) quod enim ſemel in Germanorum ſupremium jus venit, ut Apulia & Sicilia, ſine facto & conſenſu eorum ad ſedem Romanam tranſire nequit. Neque enim eis, ceu populo libero, alius dominii amittendi & acquirendi modus valide opponi poteſt, ut ſupra *ad* §. *37. c. 5.* demonſtravimus. Equidem a Pontificiæ cauſæ patronis ceſſio Ludovici Pii allegatur ex can. *Ego Ludovicus 30. diſtinct. 63.* verum ibi de Sicilia aut Apulia ne verbulum quidem extat. Quare curia Romana altera ceſſione, quam Raph. Volaterr. ex bibliotheca Vaticana ſe promſiſſe narrat *l. 3. Geograph.* niti mavult, in qua ſedi Romanæ multo plures terræ, quam in cit. can. *Ego Ludovicus*, oblatæ datæque dicuntur, ut Ravenna, Ferraria, Sicilia, Sardinia, Corſica &c. quæ tamen dudum ab eruditis falſi inſimulata eſt, propterea, quod nullus Scriptorum veterum, qui vitam resque geſtas Ludovici Pii memoriæ prodiderunt, ejus meminit,

minit, ut obſervavit Joh. Frider. Gronov. *ad Hug. Grot. l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 13. n. 2.* Eſto autem, dictam ceſſionem nulla falſi ſuſpicione laborare, Germani tamen inde non magis, quam alius dominus abdicatione proprietatis ab uſufructuario facta, obligabuntur, cum neque Ludovico Pio neque ulli alii Francorum aut Germanorum Regi res Imperii abſque Procerum aſſenſu alienandi facultas data ſit. & quomodo quæſo Ludovicus Pius ſedi Romanæ has regiones cedere potuit, cum eæ in Græcorum Imperatorum ditione ad Ottonem I. usque permanſerint? vid. ſupra §. *13. 14 & 21. h. c.* Accedit, quod ſucceſſor facto deceſſoris non obligetur, niſi in quantum id ratione probabili nititur, quod de jactata Ludovici Pii & inſequentium Imperatorum effuſa liberalitate in ſedem Romanam dici nequit. Hug. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 14. §. 10. 11. & 12.* Quamobrem pro certo habendum putamus, directum ſupremumque dominium in Siciliam Apuliamque Germanis adhuc ſalvum eſſe, quoad hoc in Pontificem expreſſo aut tacito conſenſu eorum translatum eſſe, certis & liquidis argumentis non probatur.

§. 25. *ablata ſunt*) nam terræ cisthenanæ & transdanubianæ omnes, quæ nunc regno Germaniæ annexæ ſunt, olim in ditione Romanorum fuerunt, ut docet Noſter ſupra *c. 2. §. 11. & 12.*

2. *Senonum*) qui in Italiam delati Romam occuparunt, a Camillo poſtea deleti. Hos vero non Suevos Semnones, ut Autor quidem retur, ſed Gallos fuiſſe, ſupra *ad §. 17. c. 3.* notavimus. Quare

re huc, ubi de juſtitia bellorum adverſus Romanos a Germanis geſtorum quæritur, nequaquam pertinent.

3. *invaſit Germaniam*) non univerſam, ſed partem duntaxat, Sicambriam nimirum, ad Rhenum inferiorem ſitam, propterea, quod Sicambri Uſipetes & Tencteros Romanorum hoſtes receperant, & ad poſtulationem Cæſaris dedere recuſabant. Cæſar *l. 4. de bell. Gallico c. 16. ſeqq.* Unde Romanis juſta in Sicambros belli cauſa, ſecundum ea, quæ docet Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 21. §. 3. & 4.* Equidem Cæſar præter Sicambros Suevos quoque, Rege Arioviſto, Sequanis petentibus, armis aggreſſus eſt vicitque; verum id bellum, in Gallia quippe, ubi hodie Burgundia eſt, geſtum, hic, ubi de Germania ſermo eſt, allegari nequit. vid. Cæſar *l. 1. de bell. Gallico c. 30. ſeqq.*

4. *Germanis dedendum*) ideo ſcil. quia bellum adverſus memoratos populos Germanos, omiſſa indictione Romanis olim uſitata, & injuſſu Senatus populique Romani, penes quem tum temporis adhuc jus belli & pacis erat, ſuſceperat. vid. Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. § 5. n. 4. & l. 3. c. 3. §. 10.* Unde ex hac Catonis ſententia minime inferendum, Romanis juſtam belli cauſam Germanorum reſpectu defuiſſe.

5. *alter factum optat*) perpendens nimirum damnum Romanis per bella Germanica illatum, nam belli juſtitiam a parte Romanorum ſtetiſſe, Florus in altero loco, quem excitat Autor ipſe, rotunde affirmat. adde ſupra *§. 13. & 14. c. 2.*

6. *qui*

6. *qui refelli)* ego vero ea, quæ Arioviſtus Cæſari reſpondet, facile refelli poſſe exiſtimo. Etenim, Romanos ſuo nomine juſtam adverſus Suevos, a quibus laceſſiti non ſunt, belligerandi cauſam non habuiſſe, certum ſit; contra tamen recte reſpondet Cæſar, licere unicuique populo non tantum pro ſe, ſed pro amicis quoque & ſociis, quinimo pro quibuscunq; aliis opem implorantibus bellum ſuſcipere. Tu inſtas forte, Cæſaris aliorumque Scriptorum Romanorum, qui eum ſecuti ſunt, fidem in hac cauſa eorum propria ſuſpectam habendam eſſe; at ego reſpondeo, aut iis plane fidendum, aut judicium de juſtitia bellorum Cæſaris cum Germanis geſtorum prorſus ſuſpendendum eſſe, dum Germanorum annales coævi, quibus contrarium demonſtrari queat, deficiunt, ut ipſe docet Noſter ſupra *§. 4. Proleg. cui adde Animadv. ad §. 1. ibid.* Unde titulus, quo Germani hodie terras Romanorum cis Rhenum & trans Danubium juſte tenent, nobis aliunde arceſſendus videtur. Unde vero? an forte a jure extremæ neceſſitatis, quo Germanis inopia victus & multitudine hominum laborantibus provincias Romanas occupare licuerit? ita quidem videtur, modo talis neceſſitas probari queat, neque in contrarium demonſtretur, Germanos in terras olim ditioni Romanæ ſubjectas, incultis horridisque ſedibus ſuis relictis, magis commoditatis quam veræ neceſſitatis cauſa transgreſſos eſſe. Etjuſtior forte videtur titulus a Germanorum imperio Romano arceſſitus, cum Exarchatu omnia jura veteris Romani imperii Occi-

cidentis in alios pactione aut derelicti occupatione non tranſcripta complectens. Sed & ante imperium hoc ad Francos Germanosque translatum a Græcis Auguſtis poſſeſſionem Galliæ aliarumque provinciarum imperio Romaoo deciſarum Regibus Francorum, quorum jura pro parte ad Germanos per diviſionem regni Francici devoluta ſupra *ad §. 14. c. 5.* diximus, confirmatam veteres teſtantur. vid. *§. 4. extr. c. 5.* & Schurtzfleiſch. *diſſert. in de antiquit. Franc. §. 20.*

AD CAP. VII.

De Forma regni & imperii Romano - Germanici.

§. 1.

S*Equitur*) rationem connexionis vide ſupra in annot. ad rubr. *c. 5.*

2. *conſtituit poteſtas*) cui ex adverſo reſpondet obligatio parentium. ſupra §. 7. *c. 1.*

3. *Dei vice*) qua quidem loquendi ratione autoritas ſummi imperii civilis valde ſtabilitur, ſed non minus ea ſummi imperantes officii ſui admonentur, ut quemadmodum Deus ipſe per imperium ſuum ſolam hominum utilitatem promovet; ita pariter Principes quoque, ſi Vicarii Dei audire, hocque nomine autoritatem ſuam ſuffulcire velint, imperium civile ad publicam & communem reipubl. ſalutem exerceant, neque ab ea utilitatem privatam ſeparent, certiſſime perſuaſi, nihil ſibi in civitatem licere, quod bono communi, cujus ſolius cauſa illa con-

conflata eſt, adverſatur. adde §. *2. c. 21. & ibi not. ir. §. 12. c. 3. Autonom. jur gent.*

§. 2. *vel relativa*) quo nomine Noſter ſuperioritatem territorialem Imperii Ordinum innuit, ut apparet ex §. *7. c. 21.* quæ non ſumma ſeu abſoluta eſt, ut poteſtas regia, ſed ſubalterna ſeu ſubordinata Regi regnoque, dum actus eorum, jus territorii reſpicientes, a Cæſare ex juſta cauſa irriti reddi queunt, & Imperio ſinguli Status ſubſunt, non ſolum fidelitatis & feudi, ſed obſequii inſuper lege, ut dicitur §. *14. art. 4. pac. Oſnab.* Neque Statibus privilegio de non appellando mactatis ſummitas jurisdictionis tribui poteſt, quia nihilominus ex cauſa nullitatis, ut & protractæ aut denegatæ juſtitiæ ad Cæſarem provocatio datur, per Animadv. *4. ad §. 13. c. 14.* Et ita ſe habent Status ad Regem, qua ut ſinguli & inita provinciarum ſuarum ratione conſiderantur. In quantum enim in Comitiis cum Rege de præcipuis regni negotiis deliberant, & jure ſuffragandi utuntur, adeoque ut univerſi & in complexu ſeu corpore conſiderantur, poteſtas eorum ſubalterna & Regi ſubordinata dici nequit. Et hactenus univerſos cum Cæſare imperare, ſingulos autem parere recte dicitur. adde infra §. *2, 3. & 4. c. 21. & Animadv. 2. ad §. 8. c. 8.*

2. *vel mixta*) qua ſcil. modus adminiſtrandi cum forma ſeu poteſtate miſcetur, ut ſi in Ariſtocratia quædam jura regia per unum hominem Optimatum jure & nomine exerceantur. Nam qua diverſæ reipubl. formæ, ut Regis & Optimatum poteſtas, miſcentur, diviſio hæc cum prima ſe-

L te

re convenit, cum, ubi ſumma poteſtas civilis limitatur, id plerumque tali mixtione fieri ſoleat. Ubi inprimis monendum, regiam poteſtatem, etſi limitatam, aliquando ſummam manere, quando nimirum vel omnium vel quorundam duntaxat jurium regiorum exercitium cum Proceribus & populo communicatur, exemplo regni Germaniæ, ubi Imperator omnibus Majeſtatis partibus profanis ſeu ſecularibus pollet, Procerum & populi arbitrio tantum quoad majoris momenti negotia temperatis; aliquando vero Regem per limitationem ſeu reſtrictionem Majeſtatis alteri ſubjici, ubi ſcil. is parte quadam ejus in alterum collata prorſus caret, quo pertinet, quando Rex Germanorum in cauſis religionis & fidei, quæ vulgo eccleſiaſticæ audiunt, Pontifici fidelitatem & ſubjectionem jurat, apud Autorem der Grundveſte in actu electionis & coronationis Joſephi *p. m. 106.* Etſi vero quantum ad ea negotia Regni, in quibus Rex Germanorum conſenſum Procerum & populi adhibere tenetur, tantum abeſt, ut hiſce ſubjiciatur, ut potius in ejusmodi negotiis non minus, quam in reliquis, quæ a ſolo Rege expediuntur, ſummitatem imperii teneat; *infra §. 39. extr. c. 20.* Ordinibus regni tamen, non quidem ſingulis ſed univerſis, quoad prioris generis negotia non minus quam ipſi Regi ſummitatem imperii competere inde videtur, quod iis diſſentientibus huic quicquam ſtatuendi poteſtas regulariter ademta ſit, ut docet Noſter *infr. c. l.* adde Animadv. *2. ad §. 8. cap. 8.*

§. 3.

§. 3. *plurium formarum*) Monarchiæ, Ariſtocratiæ & Democratiæ, ut de regno Germaniæ Noſter docet *infr.* §. *8. ſeqq. h. c.*

2. *plurium adminiſtrationum*) ut ſi in Monarchia jura quædam regia per Proceres & populum nomine & jure Regis adminiſtrentur. Ubi forma reipubl. ipſa ſeu ſumma poteſtas civilis vere Monarchica eſt, dum quod Rex per alios facit, ipſe facere putatur; modus adminiſtrandi vero partim Ariſtocratiam, partim Democratiam refert, externa ſcil. non interna ſpecie.

3. *vel forma & adminiſtrationis*) ut ſi in Democratia ſumma civilis poteſtas per Proceres ſeu Senatum Optimatum, nomine & jure populi, exerceatur, ubi forma reipubl. Democratica eſt, modus adminiſtrandi vero Ariſtocraticus, quemadmodum de antiquo Saxoniæ ſtatu ante Carolum M. Noſter docet ſupra §. *36. c. 3.* aliud exemplum de adminiſtratione Ariſtocratica formæ Monarchicæ juncta habes infra §. *12. h. c.* add. Pufendorf. *de jur. nat. & gent. l. 7. c. 5.* §. *13. & de ſtatu imp. Germ. c. 6.* §. *4.* item Autor infra §. *4. 5. & 6. cap. 15.*

§. 4. *quod re Germanicum*) tu vero contra repete Animadv. *ad* §. *16. c. 6.*

2. *optime dici poteſt*) ob rationem, quam ſupra Adnimadv. *3. ad* §. *1. c. 1.* dedimus.

§. 5. *regnum Italiæ & Arelatenſe*) quamdiu ſcil. utrumque hoc regnum proprios Reges habuit Germaniæ fiduciario jure obnoxios, quos nominatos habes ſupra §. *23. & 24. c. 5. &* §. *3. c. 6.* Po-

L 2 ſtea

ſtea enim, quam Germani, ſublatis iſtis Regibus, regnum Italiæ & Arelatenſe immediate tenuerunt, illud utrumque Germaniæ veræ ſubjectionis lege cohærere coepit. adde not. *ad. §. 34. c. 5.*

2. *ſtrictiore ſubjectione*) quaſi vero, propria ne an impropria? nam & tributi penſio, & fœdus inæquale, & feudum ſubjectione improprie accepta comprehenduntur, quæ tamen ſubjectionem proprie & ſtricte dictam minime inferunt, dum ad hanc præterea requiritur, ut quis alterius imperio & jurisdictioni in omnibus cauſis cum feudalibus tum allodialibus ſubjiciatur ejusque actus ab hoc ex juſta cauſa irriti reddi queant, quod, quantum ad Bohemiam, Poloniam, Hungariam, difficile probatu jam ſupra aliquoties diximus.

3. *Polonia*) adde: & Daniæ. Nam hæc non minus, quam Polonia, Bohemia & Hungaria, olim ad interregnum usque Germaniæ fidelitatis & feudi nexu obnoxia fuit. §. *50. c. 3.*

§. 6. *non eſt decidere*) deciditur tamen, quantum ad onera publica, infra §. *10. & 11. c. 30.* quæ quæſtio hodie otioſa eſt, poſtquam anno 1708. Bohemiæ Rex certam onerum publicorum partem in ſe recepit, qua de ſupra in Animadv. *2. ad §. ult. c. 1.* ubi inſuper, qua lege Bohemia Germaniæ regno juncta ſit, expendimus.

§. 7. *plurima ſuperſunt ſingularia*) hodie vero, reſtituto priſtino Bohemiæ Comitiorum jure, & recepta onerum publicorum parte, unicum ſingulare ſupereſſe videtur, quod Rex Bohemiæ vera & ſtricte dicta ſubjectione exemtus Germaniæ regno

regno feudi ſolum & fidelitatis nexu devinctus ſit. vid. Animadv. *2. ad §. ult. c. 1.*

2. *aliqui extra fines*) ut Sabaudiæ & Burgundiæ Dux, *§. 12. c. 19.*

3. *alii ne intra fines quidem*) ut Bohemi, Sileſii, Moravi, Luſati, Miſnienſes. Sed hos omnes, communi nomine Slavorum Orientalium appellatos, hodie jure civitatis Teutonicæ gaudere probatum dedimus ſupra *ad §. ult. ſect. 4. c. 3. & §. 70. ſect. 5. ejusd. cap.*

§. 8. *mixtum fuerit*) quæ mixtio, negotia Comitialia potiſſimum reſpiciens, non eſt plurium adminiſtrationum, ſed formarum. Qui enim adminiſtrator tantum eſt, jure & nomine ejus, a quo adminiſtrationem habet, agit, atque ad hujus voluntatem ſeſe accommodare tenetur. *§. 1. h. c.* . At in Germania non minus Proceres populusque quam Cæſar jure & nomine proprio in ejusmodi negotiis utuntur. Ut enim illis diſſentientibus hic ſolus regulariter nihil valide agit, ita nec Status Imperii, Cæſare invito, quicquam ſtatuendi poteſtate gaudent. vid. *§. 36. ſeqq. c. 20.*

§. 9. *tanquam potiore*) non minus re, quam nomine. Etſi enim Rex, quantum ad negotia Comitialia, invitis Ordinibus, regulariter nihil decernere valet, adeoque hi, in complexu ſeu corpore conſiderati, hactenus illi pares videntur; Regis tamen, quam Procerum & populi, poteſtas nihilominus potior videtur. Præterquam enim quod (1.) decreta Comitialia ſolo nomine regio promulgantur & expediuntur; (2.) de quibusdam inſuper

L 3 nego-

negotiis publicis, adhibito aliquando conſilio, aliquando etiam conſenſu Electorum tantum, inconſultis reliquis Ordinibus, ſoli Regi ſtatuendi poteſtas relicta eſt, ut expreſſe habetur in Capitul. Carol. VI. *art. 3. & infra §. 8. ſeqq. c. 14. it. c. 24.* & præterea (3.) regalia quædam, ut monetæ, vectigalium, ſtapulæ, belli offenſivi &c. exercet, quæ ſuperioritate territorii Statuum nequaquam continentur, de quibus infra *c. 22. & 23.* quin etiam (4) Rex ſolus tum in mediatos in ſecunda & aliquando in prima inſtantia, tum in immediatos non quidem ut univerſos, ſed ſingulos jus dicit, qua de re infra *c. 32.* agitur; ut alia ejus generis nunc ſilentio omittam. add. Animadv. ad *§. 2. h. c.*

2. *ex æquo temperatam*) quod temperamentum ad ſola negotia Comitialia reſtringendum videtur, dum in ceteris regia poteſtas, ea, quæ Statuum eſt, omni jure major potiorque habetur.

§. 10. *interfuiſſe dicitur*) adde infra §. *13. 14. & 15. c. 20.*

§. 11. *contracts-*Weiße) quod qua ratione capiendum ſit, obſervamus infra *ad §. 38. c. 20.*

§. 12. *ex lege regia*) ita dicta ab objecto, quia regiam poteſtatem reſpicit, quæ Principi a Senatu populoque Romano data eſt, ut dicitur in cit. *l. 1. ff. de Conſtitut. Princ. & §. 6. Inſt. de jure nat. gent. & civil.* eaque Princeps legibus civilibus ſolutus jactatur in *l. 31. ff. de legib. l. 3. C. de teſtamentis l. 14. ff. de manumiſſ. & l. un. §. penult. C. de Caduc. tollend,* ſcil. non directe, ſed per conſequentiam.

Qui

Qui enim ſumma reipubl. poteſtate pollet, ut Princeps Romanus, eam per legem regiam adeptus, is, qua talis, legibus civilibus amplius devinciri nequit. Hugo Grot. *l. 2. de jure bell. & pac. c. 4. §. 12.* Unde eadem lex imperii, lex Auguſti, & Auguſtum privilegium nuncupatur *dd. ll.* Diſquiritur vero inter eruditos, an talis lex a Senatu populoque Romano unquam lata ſit, quibusdam hoc negantibus eamque vel ab ipſis Principibus Romanis, vel ab adulatoribus aulicis, conciliando juſto imperii titulo, confictam perſuaſis; aliis vero contra affirmantibus, quorum ſententiæ & ego ſubſcribendum puto. Non tamen exiſtimo, legem hanc regiam more veteri *§. 4. Inſt. de jur. nat. gent. & civil.* deſcripto, aut ſemel tantum, Octavio Cæſare imperium Romanum ſuſcipiente, latam, qua hujus non tantum, ſed omnium ſimul ſucceſſorum ejus poteſtas regia a Senatu Romano firmata ſit. Talis enim lex nusquam apud veteres memoratur, neque etiam imperio electivo, quale Romanum ſemper & perpetuo fuiſſe Autor noſter docet. *§. ſeqq. 13. & 17. h. c.* convenit. Imperium enim ad Senatum populumque Romanum toties redit, quoties electus Imperator vita exceſſit, & proinde is tum lege regia, qua huic imperium ante delatum fuit, prorſus ſolvebatur. vid. Animadv. *3. ad §. 5. c. 1.* Unde quoties novus Imperator eligebatur, nova lege regia, qua ipſi imperium a Senatu Romano deferretur, opus erat. Scil. Regia lex eſt ipſe ille modus, quo a Senatu primum; deinde, evulgato imperii arcano, poſſe Principem alibi,

quam Romæ fieri, ut ait Tacit, *l. 1. Hiſt. c. 4.* a milite, ſenatoribus annuere coactis, Principi ſumma poteſtas conferebatur. Ut adeo lex Regia idem quod titulus imperii, electione populi & acceptatione Principis conſtans, denotet. Nec officit, hanc legem in citata ante lege *14. ff. de Manum.* Auguſti legem nuncupari; quandoquidem hoc nomen non ſoli Octavio Cæſari, ſed omnibus ejus ſucceſſoribus commune fuit. Non negamus tamen, Auguſto Senatus populique Romani decreto regiam poteſtatem collatam eſſe, certo perſuaſi, imperium ejus Senatus voluntate, cum tacita tum expreſſa, ſtabilitum fuiſſe. De illa teſtatur Tacitus, cum *l. 1. Annal. c. 1. & 2.* ait, Auguſtum, cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis ſub imperium accepiſſe, primum Conſulem ſe ferendo & ad tuendam plebem Tribunitio jure contentum; poſtea, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgendo paulatim, & munia Senatus, magiſtratuum & legum in ſe trahendo, *nemine adverſante*; De hac vero Dio Caſſius, *l. 53.* referens, Auguſtum, ne imperium, variis artibus quæſitum, invitis Romanis retinere videretur, in Senatu, diſpoſitis, qui ceteris omnia ex Principis voto de imperio confirmando cenſendi auctores eſſent, orationem de deponendo imperio reddendaque republ. habuiſſe, quaſi feſſum laboribus & invidiæ imperium ſingulare comitanti imparem; eaque finita imperium illi confirmatum hancque confirmationem poſtea iterum iterumque repetitam eſſe. Add. Boecl. *in not. Polit.*

lis ad Tacit. Annal. l. 1. c. 2. §. *9. p. m. 66. & 67.* Sed & Tiberio, qui Auguſto vita functo ſucceſſit, eodem modo imperium a Senatu delatum eſſe memorat idem Tacit. *c. l. c. 12. & 13.* Idque non minus de inſecutis Tiberii ſucceſſoribus apud hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores memoriæ proditum reperitur, quanquam nomen legis Regiæ re ipſa recentius eſſe diffiteri nolumus. Atque hæc cum iis, quæ cit. l. 1. ff. *de Conſtit. Princ.* & §. *6. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.* habentur, apprime conveniunt. Neque enim ibi nominatim Octavii Auguſti mentio fit, ſed de Principe Romano generatim prædicatur, quæ ei placuere, legis vigorem habere. Et ne de hac conſtitutionum Principis efficacia dubitare poſſis, illico cauſa legislatoriæ poteſtatis Imperatori cuique competentis cum proxima, imperium ſummum videlicet, cujus ea pars eſt, tum remota, quam populi voluntas conſtituit, adjungitur. Ceterum hinc liquet, Capitulationem Cæſaream, (quam latinius formulam Germaniæ dixeris) perperam legem regiam a Carpzovio nuncupari. Hæc enim electione Regis ejusque acceptatione abſolvitur; *infra* §. *7. n. 13. & 14. c. 8.* Illa vero ſumma poteſtas regia temperatur; qui actus ceu diverſi ſedulo ſecernendi ſunt.

2. *adminiſtratione temperatum*) quam ab ipſa forma ſeu ſumma poteſtate, quæ in republ. Romana penes Imperatores fuit, Noſter recte diſtinguit ſupra §. *1. 2. & 3. h. c.* Fuit ergo forma ejus reipubl. Monarchica Senatorum adminiſtratione mixta. Quanquam enim referente Tacito *l. 1. An-*

L 5 *nal.*

nal. c. 15. ſub primis Cæſaribus Senatui Romano quorundam magiſtratuum creatio relicta eſſet, isque inſuper Senatusconſulta, quæ vim legis obtinebant, conderet, de quibus *§. 5. Inſt. de jur. nat. gent. & civil.* ſimulacra tamen hæc quædam erant ſummæ poteſtatis, non ipſa ſumma poteſtas, quæ penes Cæſares reſidebat, dum Patribus non licebat magiſtratus novos deſignare, qui Principi diſpliçuiſſent, neque Senatusconſulta aliter, niſi præeunte Cæſare, vel oratione in Senatu habita, vel epiſtola ad Senatum miſſa, fiebant. Quæ cauſa eſt, quamobrem Senatusconſulta & oratio atque epiſtola Principis in jure Romano promiſcue nuncupentur. add. Boecl. *in not. Polit. ad c. 2. Annal. Taciti.*

3. *formula Germania*) quæ tamen a formula Italiæ aliquantum diverſa fuiſſe videtur. Si enim, ut Noſter docet ſupra *§. 8. h. c.* poteſtas regia in Germania ab omni memoria & a prima ſua origine populari & Ariſtocratico ſtatu temperata fuit, hocque nomine non adminiſtratio innuitur, ſed ipſa poteſtas ſumma deſignatur, quemadmodum Idem ſupra *§. 1. 2. & 3.* vocabulum ſtatus expoſuit; Regem Germanorum, ut hodie, ita olim etiam, in præcipuis Regni negotiis Procerum Germaniæ conſenſum adhibere oportuit, quod & Lehm. docet. *l. 2. Chron. Spir. c. 39.* ſecus atque in Italiæ regno, ubi Procerum ejus conſilio tantum ille in ejusmodi negotiis olim uſus videtur, ut loca Radevici hoc §. excitata arguunt. quibus addeſis *§. ult. h. c. & Animadv. ad §. 20. c. 6.*

4. *ſin-*

4. *ſingulorum vero Principatuum civitatumque*) tam in Germania quam in Italia, de qua Autor loqui videtur. Significanter vero hic dicitur; *Principatuum civitatumque*, non, *rerum publicarum*. Inſigniter enim falluntur, & ut alios fallant, operam impendunt, qui Germaniæ regnum pro Syſtemate plurium rerumpublicarum foedere inæquali junctarum habent, vel odio regii imperii impulſi, vel formæ ſive ſtatus Germaniæ imperiti. Neque enim ſinguli Principatus civitatesque liberæ, atque Nobilitatis immediatæ diſtrictus diverſarum ſeparatarumque rerum publicarum juſtam formam exhibent, aut exhibere valent, imperio ſummo quippe, ad Regem regnumque ſpectante, deſtituti, nec coetus perfecti rationem habentes, quæ duo tamen ad omnem rempublicam proprie ſtricteque intellectam neceſſaria ſunt, ut ſcholæ Politicorum omnium nos erudiunt. vid. *§. 1. c. 17.* & add. Grot. *l. 1. de jure bell. & pac. c. 1. §. 14. & c. 3. §. 7.* it. Pufendorf. *de jur. nat. & gent. l. 7. c. 2. & 6.* Quare melius nobis ſentire videntur, qui Germaniæ Principatus ſingulos civitatesque atque nobilitatis liberæ diſtrictus partes & membra unius reipubl. eſſe docent.

5. *valde variant*) de qua varietate, quantum ad Germaniæ ſingulos Principatus civitatesque videſis Hertium *de ſpecialibus Romano-Germanici imperii rebusp. earumque diverſis nominibus & figuris Vol. 1 opuſc. tom. 2. p. m. 81. ſeqq.* cui jungatur Autor infra *§. 13. c. 17. & §. 52. c. 23.* & ibi Animadverſ.

§. 13.

§. 13. *& imperium Romanum*) quod probat Noſter infra §. *17. h. c.* nec minus adſtipulatur magnus Hugo Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 10. n. 5. extr. & l. 2. c. 9. §. 11.* & ibi Gronov. *in not.*

2. *Regnum Germanicum*) conſentit Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 3.* Neque ab hac ſententia ons dimovent, quæ de cootinua & fere non interrupta ſucceſſione Merovingorum, Carolingorum, Saxonum, Francorum, Suevorum &c. ab aliis in contrarium objiciuntur, poſtquam hujus argumenti futilitatem egregie demonſtravit Autor infr. §. *16. h. c.* Quod niſi admittas, regnum Germaniæ mortuo Ludovico Infante ad alteram familiæ Carolinæ lineam Fraoco-Gallicam, tum adbuc ſuperſtitem, jure agnationis devolutam atque adeo Conradi I. & ſubſequentium Germanorum Regum electiones injuſte factas fatearis neceſſe eſt.

§. 18. *libera olim Regum collatione*) idem hoc latius docet Autot infra §. *43. c. 15. 11. §. 10. 11. & 12. c. 21.* quæ aliorum etiam & tantum non omnium ſententia eſt, a qua tamen ego cum Furſtenerio *de jure ſuprematus & legationis Principum Germaniæ c. 14. ſeqq.* & Verpoortennio *de Ducatibus in veteri Germania regna hereditariis*, dudum diſceſſionem feci, propterea, quod (1.) ut ipſe Autor ſupra §. *8. 11. 13. 14. 15. & 16. h. c.* docuit, tam regnum Francicum quam, quod poſt inde enatum eſt, Germaoicum ab nmni memnria & prima ſua origine electivum fuit atque Optimatum pnpulique arbitrin aliqua parte temperatum. Quod cum

cum vulgari de Principum Comitumque Germaniæ adminiſtratorio jure ſententia aperte pugnat. Neque enim adhuc a me impetrare potui, ut perſuadear, nudos adminiſtros Regios, quales olim Principes atque Comites fuiſſe vulgo perhibetur, Regum Francorum & deinde Germanorum jus ſucceſſionis ſufflaminare aut abſolutam eorum poteſtatem temperare valuiſſe; (2.) perquam veroſimile eſt, & a Noſtro etiam ſupra §. *11 h. c.* comprobatum, Francorum Principes ceu libertatis tenaciſſimos, cum Pharamundum Regem *ſponte* eligerent, ſe aut populum priſtina libertate minime exuiſſe, ſed eum ſummæ poteſtatis ſocium tantum feciſſe. In qua conditione infecutos Francorum Germanorumque Reges manſiſſe tam diu pro certo habeo, quoad mutationem ſtatus eorum factam certis & liquidis argumentis non demonſtratur. Tantum vero abeſt, ut talis mutatio probari queat, ut potius (3.) quicquid Francicæ & Germanicæ antiquitatis ſupereſt, ei adverſetur. Quis enim ignorat, Reges Francorum veteres tam Carolinæ quam Merovingicæ ſtirpis ſemper & perpetuo non tantum conſilium, ſed aſſenſum etiam Procerum in arduis Regni negotiis adhibuiſſe? id quod certiſſimis rerum argumentis demonſtravit Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 39.* Nec quenquam rerum Francicarum peritum fugere credo, Regibus Francorum propaginis Merovingicæ a Proceribus populoque Majores domus hereditarios, quaſi Curatores, eo potiſſimum fine datos eſſe, ne iſtis poteſtate regia abutendi aut libertate Principes exuendi

ullus

nullus locus relinqueretur. Ex quo Regum Franciæ adeo decrevit autoritas, ut fere omnis poteſtas regia Majorum domus eſſet, qua hi tandem adeo elati memorentur, ut Pipinus, Childerico III. ultimo Merovingicæ ſtirpis Rege Procerum Franciæ atque Pontificis Romani autoritate depoſito inque monaſterium condito, faſtigium nomenque regium occupaverit. Quis itaque credat, vergentis Merovingicæ domus Reges omni fere poteſtate per Majores domus hereditarios exutos Principum Francorum libertatem imminuere nedum prorſus infringere valuiſſe? Sed nec Pipinum aut hujus filium Carolum M. nuper quippe ad faſtigium regni, Procerum populique Franciæ favore evectos & gravibus bellis adverſus exteros ſuſceptis diſtractos, id potuiſſe aut voluiſſe certo perſuaſum habeo ; Ludovicum Pium vero talia auſum nos ſimplicitas ejus credere non ſinit. Cujus poſteros crebris regni Francici diviſionibus & enatis inde bellis adeo infractos legimus, ut nequidem a majoribus parta tueri potuerint, ſed integra regna, ut Burgundicum, Longobardicum, quin ipſum imperium Romanum, aliis ea invadentibus relinquere coacti ſint. *ſupra §. 23. c. 5. & §. 2. & 3. c. 6.* qui adimendæ Procerum libertati tanto minus pares cenſeri debent, quanto magis duos Carolinæ gentis Francorum Reges, Ludovicum Pium & Carolum Craſſum vid elicet, ab illis regno mulctatos teſtantur veteres. Quodſi vero (4.) Proceres Franciæ ante Pharamundum libertate deſtitutos contendas, non tamen ideo valebit, ut eandem olim

Prin-

Principum Comitumque, quæ hodie cernitur, conditionem fuiſſe probare neceſſe habeam. Cum enim jus eorum modernum a multis ſeculis hereditarium & quodammodo proprium ſit, is ſane, qui id olim diverſum atque temporarium fuiſſe affirmat, in mutatione ſtatus, quæ facti eſt, ſe fundat, & proinde probandi onus jure declinare nequit. Quam probationem ubi in te ſuſceperis, demonſtrare neceſſe habes, quis tam inſignis ſtatus Germaniæ converſionis autor extiterit, ſingulıne an univerſi ſimul Proceres? quorum neutrum facile perſuadebis. Singuli enim tantæ moli impares videntur, & univerſi raro conſentiunt; deinde quo tempore, modo & quibus auxiliis id factum ſit. Nam tantam mutationem absque magnis motibus contigiſſe exiſtimari nequit. At non minus de his circumſtantiis, quam de mutatione ipſa altum apud veteres ſilentium, quos tamen eam ceu rem maximi momenti & memoratu digniſſimam, ſi veris certisque argumentis niteretur, nequaquam ſilentio prætermiſſurus fuiſſe cenſendum eſt. Quæ enim ex Nicolao Cuſano *de concord. Catholicæ*; Beat. Rhenano *de rebus Germaniæ*; Joach. Vadiano *de Collegiis & monaſteriis Germaniæ vet.* Paulo Aemilio *de rebus geſtis Franc.* Seb. Munſter. *Coſmograph.* teſtimonia in contrarium adferuntur, nimis recentia ſunt atque ab antiquitate hujus rei, de qua jam quærimus, longiſſime remota, & proinde majorem fidem non merentur, quam quæ a modernis Scriptoribus de mutata Procerum Germaniæ conditione jactantur; quem-

admodum

admodum nec Taciri, utpote origine Francorum regni, unde ea res arceſſenda eſt, longe antiquioris, autoritatem hic admitto, ſed Autores ei origini æquales, vel ſuppares ſaltem, deſidero. Idoneis itaque veterum teſtimoniis deficientibus, plerique vulgarem de converſo Procerum ſtatu ſententiam conjecturis ſuffulcire ſatagunt, quos Autor noſter ſequens infra §. *43. c. 15.* tempus cauſamque ejus ad interitum familiæ Carolinæ refert, atque ex eo Imperii Ordines ſui juris factos novos ſibi reges reſervata poteſtate hereditaria elegiſſe autumat. Quanquam vero in perſcrutando Germaniæ ſtatu antiquiori conjecturis multum tribuo, quinimo eas, ſi ex eventis rerum & congruis factorum circumſtantiis depromantur, ipſis verbis Scriptorum veterum ſæpius dictione minus accurata utentium præferendas cenſeo; jam memotata tamen Autoris conjectura, adminiculis jam dictis quippe deſtituta, mihi nequaquam veroſimilis videtur. Si enim, ut is ſupra §. *13. h. c.* recte docuit, regnum Francicum & deinde Germanicum a prima ſua origine, etiam ſub Merovingis & Carolingis electivum fuit, Proceres Franciæ Germaniæque non demum deficientibus Carolingis, ſed pridem ante & toties quidem, quoties aliquis Carolinæ ſtirpis Regum mutatus eſt. ſui juris facti ſunt, atque adeo illis occaſio citius emergendi non defuit. Quod ergo datur accipio, indeque Franciæ & Germaniæ Principes Comitesque ab eadem regni Francici prima origine hereditarios fuiſſe merito pronuncio. Deinde in unoquoque regno, ſive ſucceſſivo, ſive electivo,

electivo Rex ea lege atque conditione conſtitutus cenſetur, qua anteceſſores id tenuerunt, niſi novi quid additum aut detractum reperiatur. At electo poſt Ludovici Infantis, Carolingorum ultimi, exceſſum Conrado I. alias atque a prioribus diverſas regiminis leges præſcriptas eſſe a nullo ejus temporis Scriptore æquali aut ſuppari memoratur. Quapropter is priſtino regendi jure electus cenſeri debet. Tu inſtas forte, ſimultates, quas jam dicto Conrado I. cum potentiſſimis Saxoniæ, Bavariæ & Sueviæ Ducibus interceſſiſſe memoravit Noſter ſupra *§. 9. 23. & 86. c 3.* aliquam ſtatus regii & Procerum mutationem arguere; at ego has diſcordias inde potius enatas cenſeo, quod Duces iſti Conradi I. priſtino jure regio utentis juſſa ob impotentiam ejus parui putaverunt atque a corpore regni Germanici diſcedere animum induxerunt. Eſto vero, eos majorem ſibi tum, quam antea moris erat, poteſtatem ſumſiſſe, inde tamen illos cum Rege præciſe de hereditario jure certaſſe minime conficitur. Neque etiam a Furſteneril Verpoortenniique ſententia me dimovet, quod quidam obganniunt, quarundam Germaniæ provinciarum, ut Bavariæ, Bohemiæ, Sueviæ Duces, autoribus Francorum Regibus, a populis earum electos eſſe. Præterquam enim quod hic quæſtio ſit non de populi, ſed Regum libera collatione, hæcque potiſſimum contra Autorem noſtrum a me negetur; iſtæ electiones nequaquam liberæ, ſed ad certas familias, ut ad Zechicam in Bohemia, ad Agilolfingicam in Bavaria, reſtrictæ fuere, ita quidem, ut ſi

M gradu

gradu propior indignus aut incapax poteſtatis Ducalis videretur, is impune præteriri & gradu remotior, ejuſdem tamen familiæ Ducalis, Dux conſtitueretur, qui inde non minus, quam in regno electivo Rex, veram propriamque poteſtatem, Regi tamen regnoque ſubordinatam, conſecutus eſt; nec, omnes alias Germaniæ provincias idem pariter inſtitutum ſecutas eſſe, facile probari poteſt. Denique pro ſtabilienda contraria opinione fruſtra proferuntur loca quorundam Scriptorum veterum, qui ſtili Romani imitatione Principes Comitesque Germaniæ præſidum & judicum ſeu magiſtratuum nomine aliquando efferunt, dum modo, ut par eſt, Romanorum Præſides & magiſtratus temporarios a Germanorum hereditariis propriaque poteſtate inſtructis diſtinguas. Ceterum noſtræ ſententiæ valde adminiculatur, quod (5.) Principum Comitumque filii impuberes, quin infantes, non minus quam adulti, iis vita functis, ſucceſſerunt, quales tamen alias ab officiis, liberæ collationi Regis relictis, removeri ſolent; nec (6.) ullus eorum Principatu Comitatuve a Rege mulctatus memoratur, niſi ſe perduellionis crimine obſtrinxerit, aut hoc ei per invidiam ſaltem objectum ſit, quæ hodie etiam idonea juſtaque proſcriptionis cauſa cenſetur. Ut ne prorſus ſilentio omittam (7.) frequentia matrimonia, quæ Duces priſci Germanorum cum Regum filiabus cognatisque, & viciſſim, contraxerunt. *§. 18. c. 33.*

2. *illud patet*) at ſemper fuit diverſa ratio ſtatus Longobardiæ & Germaniæ, diverſum etiam utrius-

utriusque jus feudorum. *vid. Animadv. ad §. 20 c. 6. & ad §. 12. h. c.* Unde ex jure feudali Longobardico, Principatus Comitatusque Germaniæ olim a libera Regum collatione pependiſſe, probari nequit, quia a diverſis ad diverſa nulla valet conſequtio. Nec obſtat, non minus jure feudali Germanico utroque, Saxonico & Alemannico, quàm antiquo Longobardico, quod Autor excitat *h §.* cautum, ne feuda jure ſanguinis & hereditario in alios præterquam in filios transferantur, quia utrumque id Germanorum jus neceſſitatem ſimultaneæ inveſtituræ reſpicit, qua deſtituti agnati nec hodie, in Saxonia ſaltem, in feudis ſolo ſanguinis jure, ut liberi, ſuccedunt; nemo tamen ideo feuda Germaniæ hodie hereditaria & familiæ quodammodo propria eſſe negaverit. vid. Schilt. *in Comm. ad jus feud. Alem. c. 43. §. 2. & 3. it. c. 65.* Sed & feuda regalia, de quibus jam ſermo nobis eſt, a feudis minoribus, quæ ſtilo moderno nobilia audiunt, in hac quæſtione ſecernenda eſſe monet Illuſtr. Dn. Thomaſ. *in diſſert. de libri veteris de beneficiis autore, fato & vetuſtate §. 26.* Et quanquam Schilt. *c. l. ad c. 42. §. 21. ſeqq.* inter feuda ſeu territoria Principum Fürſten-Lehn, & officia Principum feudalia, Fürſten-ambacht diſtinguat, atque his illa citius hereditaria facta eſſe contendat, eam tamen diſtinctionem jam ſatis refellit Autor ſupra *§. ult. c. 1.* & infra *§. 12. & 15. c. 12. item §. 9. & 12. c. 15.* ubi officia & territoria Principum a prima regni Francici origine inſeparabiliter cohæſiſſe, & Principes jus provinciarum vel territoriorum ſuorum ſequi docet, quod & de

Electoratibus expreſſe rapetituin in A. B. *c. 7. & 20.* Unde territoria & officia Principum ejusdem ſemper conditionis jurisque fuiſſe ſequitur. Neque textus jur. feud. Alemann. a Schiltero ibid. excitati contrarium probant, ſed potius Fürſten-Lehn & Fürſtenambacht idem ſignificare inouunt. Et tam officia quam territoria Principum ſeculo 14. quo jus feudale Alemannicum compoſitum, jam hereditaria fuiſſe apud omnes in confeſſo eſt. Illud probat Illuſtr. Dn. Thomaſ. §. 39. *ſeqq. ſelect. feudal.* add. Conring. *de orig. jur. Germ. c. 30.*

AD CAP. VIII.

De Rege & Imperatore Romanorum.

A*D rubric.*) Ratio ordinis hæc eſt. Poſtquam Autor *cap. praced.* 7. de forma regni Germanici, quæ tum juribus tum officiis Regis, Procerum & ſubditorum abſolvitur, egit, nunc ea jura officiaque ſpeciatim exponere incipit, a Rege, ceu primo in imperio, initium faciens. *adde Animadv. ſupra ad rubr. c. 5.*

§. 2. electum fuiſſe) petita tamen prius Papæ approbatione & relaxatione ſacramenti, quo Franci Childerico III. tanquam legitimo Regi antea ſeſe obſtrinxerant. Capti namque ſuperſtitione & ſingularis ſanctitatis Romanæ opinione Franci Regem novum depoſito priori eligere, poſthabita Papæ autoritate, quæ jam tum hominum, ſimplici-

um

um quippe, mentes occupaverat, religioni ducebant. Falſum itaque, Regem Pipinum, depoſito Childerico, a pontifice ſolo creatum eſſe; verum tamen, id a Proceribus Franciæ, ſede Romana operam navante, factum. vid. Lehm. *l. 3. Chron. Spir. c. 22. p. m. 194. b.*

2. *hodie ſolos*) ceu perpetuos populi Germanici vicarios, ut exerte dicitur in formula Germaniæ oovisſima i. e. Capitulatione Carol. VI. art. 3, ibi: auch ihrem (der Churfürſten) von dem heil. Reich tragenden Amt und Pflichten nach.

§. 3 *receptus eſt*) quæ receptio ſit vel expreſſe, ut ſi peregrinus ſeu extraneus qui eſt in jus civitatis Teutonicæ conſenſu publico litteris aut verbis declarato, cooptetur; vel tacite, quando peregrinus de provincia juri Germanico innexa inveſtitur, aut in Regem Germaniæ eligitur, quæ poſterior tacitæ allectionis ſpecies illico apud Autorem ſequitur. Princeps enim vel Comes jus provinciæ ſequitur, nec Rex eſſe poteſt ſine jure civitatis Germanicæ. Cui ergo a Germanis provincia Teutonici juris, aut regia poteſtas, confertur, ei etiam civitas Teutonica tacite conceſſa intelligitur, ſecundum illud vulgatum: *Qui vult conſequens, vult etiam antecedens.*

2. *locus nativitatis*) aut conceptionis. vide ſupra Animadverſ. *2. ad §. 17. c. 6.*

3. *nihil huc facit*) ſed ſolus domicilii parentum locus, de quo ſupra dict. Animadv.

4. *valde ventilatum fuit*) magis tamen ex odio eorum & favore in Galliarum Regem, in cu-

M 3 jus

jus electionem tum quidam propendebant, quam ex vero. Quamvis enim Carolus V. hujusque frater Ferdinandus I. Philippo Auſtriaco, Caſtiliæ in HiſpaniaRege, nati, peregrini eſſent, tales tamen legibus Germanorum ſcriptis vel non ſcriptis regia dignitate nunquam indigni habiti ſunt, ut exemplo Richardi Angli & Alphonſi Hiſpani. quin etiam ex Autoris noſtri, Bohemos pro peregrinis habentis, ſententia, Caroli IV. ceu Bohemi, conſtat. adde ſupra §. *17. ext. c. 6.*

5. *legem hanc*) talis vero lex ſcripta vel non ſcripta Germanorum nusquam extat. Et contraria opinio, valde vulgatis tamen, a confuſione imperii Romani cum regno Germaniæ originem traxit. Cum enim ab Ottonum ævo huic illud perpetuo innexum ſit, hincque ab eo tempore Romani ſemper & neceſſario Imperatorem habeant eum, qui Germanorum Rex eſt, recte quidem ſtatuitur, Imperatorem Romanum eſſe debere Germanum, vel nativitate, vel allectione eum expreſſa tum tacita; at regni Germaniæ peregrinum incapacem eſſe, inde nequaquam probatur. Quare extraneus etiam, ex probabili cauſa, Rex Germaniæ eligi poteſt. Regulariter enim Germanum originarium, velut juris & morum patriæ peritiorem & amantiorem, peregrino præferendum eſſe, ratio ſuadet. add. Animadv. ad §. *12. c. 11.* Nec eſt, quod quis exiſtimet, fruſtra *h. & ſeq. §. 4.* diſputari, qualis eſſe debeat ad regium Germaniæ faſtigium evehendus, dum Regis electio a ſolo Electorum arbitrio pendeat; hoc enim legibus publicis ſcriptis &

non

non ſcriptis obnoxium eſſe, nemo, puto, eſt, qui dubitet, cum earum autoritas univerſorum Procerum decreto & approbatione innitatur, cui a ſolis Electoribus, inconſultis reliquis, derogari nequit.

§. 4. *legitime natus*) nec in contrarium exemplum Arnulphi nothi quicquam valere poteſt, propterea, quod tum temporis, aliter atque hodie, conditio nothorum & legitime natorum fere par habebatur, ut adnotavi ſupra *ad §. 21. c. 6. Animadverſ. 5. & 9.*

2. *impubes quoque*) exemplo Ludovici Infantis, Ottonis III. Henrici IV. & Divi Leopoldi. Quin nothos etiam & fœminas ex cauſa probabili, i. e. neceſſitate & utilitate publica ſingulari ſuadente, eligi poſſe non dubito. Leges enim feruntur ad utilitatem hominum, cui illas cedere æquum aſt.

§. 5. *Francofurti*) cujus inſtituti origo patet ex Animadv. *ult. ad §. 88. c. 3.*

2. *invitis Ordinibus regulariter*) quando ſcil. graviſſima cauſa reſignationem urget, aut hæc ſine incommodo Imperii fiat, quia exceptio: *tua non intereſt*, omnem agentem repellit. Extra hoc enim reſignationem, invitis Ordinibus factam, invalidam eſſe puto, cum imperium Regi per modum pacti deferatur, quod uni paciſcentium, invito altero, violare non licet. Nec obſtat Rec. Imperii de anno 1559. ſed contra firmat meam ſententiam, dum ibi expreſſe dicitur, reſignationem Caroli V. ex graviſſimis cauſis & conſentientibus Electoribus factam eſſe.

3. *ex cauſis graviſſimis*) quæ, tanquam res odioſa, jure publico Germaniæ nusquam expreſſæ, & proinde ex jure gentium definiendæ ſunt, ut ſi Rex hoſtem Imperii agat, aut rem publicam peſſundet, aut ſtatum ſive formam Imperii invertere audeat, aut officio ſuo prorſus defungi nolit, aut poteſtate ſibi conceſſa inſigniter abutatur; ex ejusmodi enim cauſis Regem impune ab officio removeri nullum dubium eſt, Princeps enim propter populum eſt, non populus propter Principem. Minora vero Regis vitia, intra humanum modum conſiſtentia, a ſubjectis patienter toleranda ſunt. vid. Hugo Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 8. n. 15. & c. 4.* & Autor ſupra *§. 10. c. 4. it. § 2. c. 21.*

4. *Comite Palatino*) quem Noſter judicem Regis dicit, quando hic ex cauſa publica ſeu imperii convenitur. *infra §. 14. c. 16.* ubi tamen nos in Animadv. id judicium Comitis Palatini ad cauſas Regis privatas reſtringimus.

5. *ex voluntate Principum Electorum*) accuſantiumne, an judicantium? Si illud Autor vult, omnis judicandi facultas hac in cauſa Palatino Comiti relinquitur, quæ tamen omnibus pariter Electoribus tribuenda eſt, juxta illud vulgatum: *Ejus eſt deſtitutio, cujus eſt inſtitutio.* at Regis inſtitutio ſine dubio ad univerſos Electores ex æquo ſpectat, *ſupra §. 2. h. c.* Nec exemplum Regis, ſolius Comitis Palatini judicio deſtituti, oſtendi poteſt; Sin hoc, Comitis Palatini judicium ad conditionem judicis pedanei Romani detruditur, qui in actionibus

ſtricti

ſtricti juris ex voluntate, & formula Prætoris ſententiam ferebat. Quod ſane perquam iniquum eſt ſtatuere. Quare rectius dicitur, Comitem Palatinum Rheni juxta cum aliis Electoribus de Rege deponendo, cognita cauſa, ſententiam ferre; niſi hi judicium hoc iſti ſoli committant, de qua ſpecie Noſter fortè hic loquitur.

§ 6. *ex neceſſaria & probabili cauſa*) qualis habetur, ſi Imperator perpetuo aut nimis diu extra Imperium degat, aut ob grave ſenium vel adverſam valetudinem perpetuam officio ſuo fungi nequeat, aut inſignis neceſſitas publica electionem Regis Romani expoſcat, ut quando bellum aut jam flagrat, aut certo imminet, ubi, Imperatori vitam exhalanti paratum ſucceſſorem eſſe, reipubl. permultum intereſt. Quæ cauſæ definitæ ſunt art. 3. *Capitul. noviſſ.* Extra quas Electoribus Regem Romanorum, invito Cæſare vivo, eligere non licet, ne ei per hoc injuria inferatur.

2. *judicium eſt Electorum*) quod tamen nunc per cit. Capitul. noviſſ. expreſſis ibi cauſis alligatum eſt.

§. 7. *non a Capitulo*) quia Regis electio, tanquam functio publica, ad perſonas Electorum Eccleſiaſticorum per A. B. reſtricta, Capitulis competere nequit. conf. infra §. 20. *extr. c. 20.*

2. *conductus*) qui olim maxime neceſſarius erat, ob ferum jus manuarium, quod adhuc Caroli IV. ævo, qui id per A. B. *c. 17.* certis legibus circumſcripſit, Germanis in uſu fuit. de quo vid. Datt. *de pac. publ.* Poſtquam vero per Maximilianum I.

eo jure prorſus abrogato, pax publica plene & in perpetuum ſtabilita, neceſſitas conductus deſiit, hicque ex eo tempore fere negligi coepit.

3. *non per litteras*) quod ideo ſtatutum videtur, quia electio Regis maximi momenti negotium eſt, quod felicius ſalubriusque, communicato coram conſilio collataque deliberatione, quam per litteras expeditur.

4. *etſi in arcanis*) ſeu ſpeciali mandato ad certam perſonam reſtricto. Vereor tamen, ne hac ratione ſanctioni A. B. fraus inferatur, quippe quæ nuncios Electorum generali mandato inſtrui jubet, ne ſcil. per ſpeciale ſeu arcanum mandatum communicatio conſilii, de idonea Regis perſona eligenda, impediatur. Quare ſi nuncius fines ejusmodi mandati exceſſerit, electio nihilominus valida erit, per ea, quæ Hugo Grotius docet *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 11. §. 12. & l. 3. c. 20. §. 4. n. 1.* Ceterum deciſio quæſtionis: an nuncius propterea mandanti ſuo teneatur? a deciſione alterius quæſtionis: an ejusmodi mandatum, legi publicæ, ut videtur, adverſum, validum vel obligatorium ſit? pendet; quod qui negaverit, haud facile erroris ſupini argui poterit.

§. 8. *Capitulatio*) ita dicta a diverſis articulis, qui ea comprehenduntur, & in Decretalibus Gregorii IX. capitulorum nomine veniunt, unde, ut alia multa, ita hoc nomen etiam, deſumtum videtur. Capitulatio itaque eſt complexus multorum capitulorum, quibus ſummum imperium pacto Regis & Procerum temperatur. vid. *Princip. Capit. Carol.*

Carol. VI. Hinc ſequitur, (1.) omnia jura Majeſtatis, per Capitulationem cum Electoribus, aut univerſis Ordinibus, non communicata, ad ſolum Imperarotem ſpectare; (2.) quæ ab Imperatore contra Capitulationem ſuſcipiuntur, nulla eſſe, non ex vi ſuperiore, ſed ex libera illius voluntate, *art. 16. d. Capit.* Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 16. n. 2.* (3.) Succeſſorem Capitulatione Anteceſſoris non teneri, niſi qua per articulum, priori Capitulatione comprehenſum, in poſteriori vero omiſſum, jus publ. non ſcriptum induitur. Eſt enim pactum, quo quidem heres, minime autem Succeſſor, ut eſt Imperator, qua talis, obſtringitur. add. *not. ad §. 29. h. c.*

2. *nihil penitus derogat*) quod reſtringendum ad ſummitatem imperii civilis, quæ Imperatori ſalva manet, etſi quædam partes ejus, vel cum ſolis Electoribus, vel cum univerſis Ordinibus, per Capitulationem communicentur. dico: *communicentur;* quia nulla Majeſtatis pars Imperatori per eam prorſus adimitur, aut ſolis Electoribus vel univerſis Statibus addicitur. Tu inſtas tamen, Imperatorem jure Sacrorum deſtitui; verum ego reſpondeo, id non fieri per Capitulationem, ſed pacto Regum, olim cum Pontificibus Romanis inito. *infra §. 20. 21. & 22. c. 18.* nec usquam id jus quoad univerſum Imperium ſolis Statibus, in complexu conſideratis, attributum reperitur. Quinimo Imperatori in cauſis Eccleſiaſticis ſua jurisdictio eſt, ut Noſter docet infra *§. 8. & 9. c. 32.* ubi Animadv. noſtræ. Neque etiam officit, ſingulis Stati-

Statibus in ſuis territoriis imperium hereditarium & quodammodo proprium competere. Hoc enim relativum tantum & ſubordinatum eſt, non ſummum, quippequod, ſingulorum Procerum reſpectu, Imperatoris & Imperii eſt. *ſupra* §. 2. c. 7. & *infra* §. 7. c. 21. At tu porro inſtas, Imperatorem tamen, quantum ad jura, vel cum ſolis Electoribus, vel cum Statibus univerſis, communicata, his ſuperiorem non eſſe; quia alioqui talis communicatio a Cæſare ſuperioritatis obtentu pro lubitu eludi poſſet, & proinde inanis prorſus foret. Etſi vero id ultro concedam, inde tamen Ordines Rege ſuo ſuperiores eſſe, nequaquam ſequitur, ſed hoc ſolum, huic illos in tantum fere pares eſſe, dum in negotiis ejusmodi communicatis, Cæſare aut Ordinibus diſſentientibus, regulariter nihil valide agitur. *infra* §. 39. c. 20. Sed dicis, ita, contra omnium civilis prudentiæ peritorum placita, duo in una republica dari ſumma imperia, quæ contradictionem inferant; reſpondeo, non duo, ſed unum tantum, per plura tamen ſubjecta, quantum ad communicationem quarundam partium ejus potentialium, per Capitulationem diviſum, in republ. Germanorum dari imperium. *infra* §. 4. c. 21. Quamvis itaque Majeſtas Cæſaris quoad certas ejus partes potentiales ad conſenſum vel Statuum univerſorum, vel Electorum tantum, per Capitulationem reſtricta ſit, ſalva nimirum in partibus reliquis non circumſcriptis ſolitaria Majeſtate illius, propterea tamen ſumma eſſe non deſinit. Cui enim definitio, ei etiam definitum competit. Sed

Impe-

Imperatoris poteſtas ubique in republ. Germanica ſumma eſt, etſi temperata; ergo Majeſtas Cæſari abjudicari nequit. vid. omnino Hugo Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 16.* & adde, ſi lubet, Animadv. *ad § 2. c. 7.* Illud vero, Proceres, quantum ad partes Majeſtatis ſecum communicatas, non tantum ſollicitudinis & curarum, ſed ipſius ſummæ poteſtatis etiam participes eſſe, facile concedo, contra quam ſtatuit Schütz. *in prælect. jur. publ. l. 1. tit. 1. poſit. 10 p. m. 74.* aliique.

3. *ejus uſus ſemper fuit*) add. Specul. Saxon. *l. 3. art. 54.* ratio eſt in §. *8. & 13. c. 7.* quia nimirum regnum Francicum & Germanicum perpetuo mixtum & electivum fuit. Prima autem Capitulatio ſcripta Caroli V. eſt. Antea ergo valebat regula, quod in dubio Rex electus cenſeatur, ſalvis juribus, quibus Proceres populusque ex recepto more antiquo gaudent.

4. *hæc fere ſunt*) neque vero putandum eſt, omnibus & ſingulis hiſce articulis Majeſtatem regiam temperari. Quibusdam enim officium tantum regium ex jure gentium deſcribitur, ut quando Imperator promittit Eccleſiæ defenſionem, juris & juſtitiæ adminiſtrationem, reſidentiam in imperio, curam commerciorum & Ordinationis politicæ, item renovationis inveſtiturarum, abſtinentiam alienationis rerum Imperii, liberam Regis electionem, defenſionem Procerum adverſus ſubditorum factiones, celerem expeditionem legatorum, qui a Statibus mittuntur, legitimam juris ſui executionem, poſtarum Imperii conſervationem, & id

ge-

genus alia, utpote ad quæ Rex plena etiam poteſtate gaudens tenetur; quibusdam vero partium Majeſtatis exercitium reſtringitur, idque, vel cum ſolis Electoribus, vel cum univerſis Statibus, communicatur, quod fit, ubi Cæſar conſenſum eorum ſe adhibiturum pollicetur, quo e. g. pertinet jus fœderum, monetæ, vectigalium, ſtapulæ, legum ferendarum & interpretandarum, belli & pacis aliaque infra *§. 8. ſeqq. c. 14. & §. 29. ſeqq. c. 20.* recenſita. Quæ tamen communicatio non impedit, quominus Imperator ſolus ejusmodi negotia, prudenter & e re Imperii, expedire valeat, ubi periculum moræ Proceres conſuli non patitur; quandoquidem ſalus reipubl. ſuprema lex eſt.

5. *ſalvis pacis Weſtphalicæ alienationibus*) quæ exceptio art *10. noviſſ. Capitul.* expreſſe inſerta eſt, eaque comprehenduntur provinciæ Franco-Gallorum Regi cum ſupremo dominio imperioque ceſſæ *§. 70. ſeqq. Pac. Monaſt. add. §. 80. ibid.* nequaquam vero Regi Sueciæ & Electori Brandenburgico adſcriptæ *artic. 10. 11. & 12. pac. Oſnabr.* In has enim ſupremum imperium dominiumque Germaniæ ſalvum manſit, & proinde alienatæ dici nequeunt. *vid. §. 19. c. 9.*

6. *ex tranſactione ann. 1657.*) cujus ſumma exhibetur infra *§. 24. b. c. p. 193.*

7. *nec Rex adminiſtret*) quis vero interim, mortuo Imperatore, adminiſtrabit? Reſpond. Vicarii *tit. 5. A. B.* confirmati. vid. *§. 12. cap. 16.*

8. *jura fiſci*) provincialis ſcil. qui Superiori-

tate

tate territoriali comprehenditur, atque ſupremo dominio imperioque regni ſubeſt; a quo fiſcus Imperatoris ceu ſummus differt, de quo infra §. *18. ſeqq. c. 9. it.* §. *51. c. 23.* & §. *16. c. 32.* add. art. *21. Capit. noviſſ.*

9. *in ſua adverſus ipſos cauſa*) h. e. quando Imperator actoris vices ſuſtinet, ubi Auſtregarum & ſummorum Imperii tribunalium juriſdictioni locus eſt; add. art. *21. Capitul. noviſſ.* cum vero is ex cauſa civili conveoitur, ex A. B. judicium Comitis Palatini eſt. *infr.* §. *14. c. 16.* ubi Animadv.

10. *in arduis conſilium*) a quo ſedulo conſenſus ſecernendus eſt. Hic enim Majeſtatem Cæſaris temperat; illud nequaquam. vid. pac. Osnabr. *art. 5.* §. *55.*

11. *proſcribendi ſtatum*) quo de jure vid. infra §. *15. c. 23.* & ibi Animadv.

12. *feudorum caducitati*) quæ pro datisne an oblatis habenda ſint, infra *ad* §. *13. c. 16.* diſquiritur.

13. *jus adcapitulandi*) de quo vid. infra Animadv. ad §. *30. c. 20.*

§. 9. *alias ubique*) quæ tamen facile conciliari queunt, ſi ſuffragium primum de primario intereſt eteris, ita ut illud Trevireoſi, hoc Mnguntino tribuatur, quamvis ultimo loco proferatur. adde Animadv. *3. ad h.* §.

2. *id contra Colonienſem*) quod ſi verum, ex ſententia Autoris primo Trevirenſis, deinde Moguntini & Colonienſis Electoris ſententia rogandus eſt, cum tamen cit. tit. 4. A. B. votum Moguntini

tioi in ultimum locum rejiciatur.

3. *poterit, ſi velit*) at hoc cit. A. B. loco adverſari videtur, ubi ſuffragio Moguntino ultimus locus aſſignatur, prudenter ſane, ne ſcil. ſi Electoris Moguntini ſuffragio primus locus detur, is, velut Archicancellarius & Præſes, cujus ſemper, maxime vero cum A. B. conderetur, inſignis fuit auctoritas, reliquos Electores 10 partes ſuas trahat; nec injuſte, cum, ſervato ordine in A. B. c. I. præſcripto, primario illius voto nihil prorſus detrahatur, ſed contra majus pondus concilietur, dum Præſes, ultimo loco ſuffragium ferens, paria reliquorum Collegarum ſuffragia imparia, imparia autem paria reddere valeat, ita, ut in priori ſpecie ſuffragio ultimo vis decidendi inſit, in poſteriori autem id reliquorum ſuffragia inania efficiat.

4. *proloquium potius*) quod ſemper Electori Moguntino, velut Archicancellario & Præſidi, competit.

§. 10 *etſi non omnes*) vel ex negligentia Moguntini, vel ob delictum, quo Electorum aliquis jure eligendi ſe indignum reddidit. Qua de cauſa Electores Colonienſis & Bavarus, ob perduellionem proſcripti nec dum reſtituti, a nupera electione Carol. VI. Auguſti excluſi ſunt. *vid. princ. Capitul. nov.* ubi horum mentio propterea omiſſa eſt. Quod ſi vero Electorum aliquis, qui ad electionem non vocatus ſponte venit, ab ea injuſte removeatur, neque is poſtea electionem ab aliis factam ratam habeat, hæc indubie invalida erit. vid. Schütz. *Prælect. ad jus publ. l. 1. tit. 2. poſit. 6.* Ceterum electionem,

voca-

Google

vocatione ex negligentia Moguntini omiſſa, a ceteris Electoribus, qui ei interfuere, peractam, valere, juri communi *in c. 28. X. de Elect.* adverſatur, cui per A. B. hac in parte nusquam derogatum. At nihilominus talem electionem validam eſſe affirmat Autor, ob utilitatem publicam ſcil. & quia etiam non vocatis jus veniendi datum, §. *cum autem ad hoc &c. tit. 1. A. B.* cui tamen ſententiæ obſtat §. *ſeq. Princeps vero Elector &c. ibid.* ubi Elector, qui ad electionem non venit, tum demum ſuffragio ſuo privari dicitur, ubi rite vocatus eſt, & cit. §. *cum autem ad hoc &c.* de eo caſu loqui videtur, quando nullus Electorum ex negligentia Moguntini vocatus eſt.

2. *nam aliis caſibus*) quando nimirum Imperatore aut depoſito, aut reſignante, aut imperium adhuc tenente, novus Rex eligitur. Sed & mortuo Imperatore, omiſſione vocationis eorum, qui electioni ſponte non interſunt, hæc vitiari videtur per Animadv. præced.

3. *ex æquo & bono*) quinimo ipſo jure communi tam civili in *l. ult. C. ad SCtum Macedon.* quam canonico in *c. 28. X. de Elect.* & naturali.

§. 11. *nec ante dimittuntur*) at quis univerſos Electores, re infecta abire volentes, retinere valebit? Sane nec Imperator vivus, nec Moguntinus, ceu Præſes, neque etiam ceteri Imperii Proceres, quanquam, eos Imperio ad Regem idoneum quantocius eligendum devinctos eſſe, certum ſit. Quod ſi verò, unus alterve illorum, Rege nondum electo, abeat, ſuffragio ſuò, quantum ad eam electionem, carebit.

N

rebit. A. B. *tit. 1. §. Princeps vero Elector &c.*

2. *etſi ab alio*) add. Illuſtr. Dominus Berger *in Reſol. Lauterb. tit. quod cujusque univerſ. nomine vel contra eam agatur, quaſt. 1.*

§. 12. *eſt actus ſolennis*) qui, ut omnes aliæ ſoleonitates, jure divino, naturali vel morali, prorſus incognitus, adeoque juris poſitivi eſt, arbitrio humano obnoxii, *ſupra §. 1. & infra §. 21. h. c.* Peragitur ille a Clericis, qui ut alia multa, v. g. decimas, primitias, oblationes, commodis ſuis inſervieotia, ita ritum inaugurationis etiam a jure particulari Hebræorum, quorum Reges inuoctos ſacra teſtatur pagina, arceſſiviſſe videntur, quo magis autoritatem ſuam ſtabilirent & Regum animos ſibi devincirent. Primi omnium Caroligi hoc ritu initiati dicuntur, cum antea Franci Reges ſuos Merovingicæ propaginis, quando hi ad regiæ dignitatis faſtigium evehebantur, clypeo militari in altum elevato impooereot. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 3. & l. 3. c. 22.* Schurtzfleiſch. *diſſert. 10. de Antiquit. Franc. §. 25. & diſſert. 11. de reb. Burgund. c. 6. §. 1. not. lit. a.* ad quam elevationem verba; Zur Ehr und Würde des Römiſchen Königlichen Nahmens und Gewalts erhoben, erhöhet und geſetzet ſind, quæ io principio capitulationum Cæſarearum reperiuntur, alludere quibusdam videtur. Sed & hodie elevatio Regis in actu inaugurationis adhibetur, dum is in ſolio collocatur.

§. 13. *& fieri poteſt*) idque expreſſe reſervatum *tit. 28. A. B.*

§. 15.

§. 15. den Hoff-Aemtern) hodie vero talia emolumenta Vicariis Electorum hereditariis indifferenter cedunt, ſive officio ſuo ipſi fungantur, ſive vices eorum Miniſtri Regis aulici gerant. Capit. nov. *art. 3.* §. Wir wollen auch die Verfügung thun *&c.*

§. 16. *Abbas Fuldenſis*) non ut primatius Reginæ Epiſcopus, ut Autor retur, ſed ut Archicancellarius ejusdem, cujus munus in Reginæ inauguratione in eo conſiſtit, ut, ubi, poſcente ritu conſueto, corona de capite ejus demenda, eam Abbas Fuldenſis demat, retineat, & rurſus imponat. Ipſa enim inauguratio a Moguntino aut Colonienſi Archiepiſcopo, ſecundum tranſactionem infra §. *24. h. c.* deſcriptam, peragitur, & proinde Abbatis Fuldenſis Epiſcopali munere hac in re minime opus eſt. vid. loca ab ipſo Autore excitata.

§. 20. *cui innititur*) add. Schurtzfl. *diſſert. 67. de diviſione imperii Carolini* §. *ult. p. m. 912. b. & 913.*

§. 21. *non præciſa neceſſitatis*) dum ipſa ſumma poteſtas Regi non per inaugurationem, ſed per ſolam electionem confertur, *ſupra* §. *11. & 12. h. c.* Et quanquam illa non minor eſt in republica Ariſtocratica aut Democratica, quam Monarchica, tantus tamen unctioni ſacræ honor defertur, ut propterea regii legati iis, qui a populo aut Optimatibus mittuntur, ordine præfetantur. vid. *art. 3. Capitul. noviſſ.* §. nachdemmahlen ſich auch *&c.*

§. 24. *in ceteris*) quibus locis etiam provinciæ ſeu territoria ſuffraganeorum utriusque Ar-

 chiepi-

chiepiſcopatus Moguntini & Colonienſis, quæ & dioeceſis nomine veniunt, comprehenduntur in tabulis apud Sprenger. *c. l.*

§. 25. *competit Majeſtas*) non tantum eminentiæ, ſed imperii etiam, quam poſteriorem quidam malevoli Imperatori noſtro detrahere audent.

2. *nedum Regem Galliæ*) add. Animadv. ad *§. 14. c. 5.*

§. 26. *nec ab Imp. bannitus*) quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. *l. ult. ff. de jurisd.* quæ regula principiis naturalibus innititur.

§. 27. *vivo & invito Auguſto*) quod concedo, ubi Rex, ob periculum imminens aut præſens, tantum per electionem, ceu certus ſucceſſor, deſignatus eſt; ſecus, ſi is ob grave ſenium, vel perpetuam valetudinem adverſam, vel abſentiam diuturnam vivi Imperatoris, quibus hic officium ſuum obire impeditur, electus. Tum enim ab Electoribus Imperatori Rex ea mente adjunctus videtur, ut vel ſolus imperium regat, vel ſaltem in regiminis ſocietatem admittatur. adde. Animadv. ad *§. 6. h. c.*

§. 28. *ſed ſi*) repetatur hic Animadv. ad. §. præc. *27.*

§. 29. *valide obligatus fuit*) excipienda hic ante omnia Capitulario Cæſarea, qua etſi antecesſor valide obligatus fuit, ea tamen, qua tali, ſucceſſor minime tenetur. Eſt enim pactum juratum & perſonale, quo quidem heres, at non ſucceſſor obligatur. Dico: *qua tali.* In quantum enim

Capitu-

Capitulatione mos vetus Regni continetur, aut novus inducitur, ſucceſſor omnino obſtrictus eſt. Deinde facta anteceſſoris publica a privatis ſedulo ſecerni debent. Hæc ſucceſſor, qua talis, ſervare, aut æs alienum privatum a deceſſore contractum exſoluere,minime tenetur, niſi ſimul ſit heres, ubi tamen ultra vires hereditatis nequaquam obſtringi poteſt, jure gentium videlicet, quo unio perſonarum heredis & defuncti, quam jus civile Romanum fingit, eaque de cauſa heredem ultra vires hereditatis onerat, ignoratur. add. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 7. §. 19.* Facta publica quod attinet, iis quidem, quæ pactorum nomine veniunt, ſucceſſor obſtrictus eſt, in quantum, ex probabili cauſa inita ſunt, etſi eventus voto non reſponderit. Idem Grotius *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 14. §. 10. 11. & 12.* Hinc ſucceſſor æris alieni, publico nomine a deceſſore v. c. ad gerendum bellum ex probabili cauſa ſuſceptum conflati, exſolutioni jure ſe ſubducere nequit. Ea autem facta deceſſoris publica, quæ ad pacta referri nequeunt, ſed alterius generis ſunt, ut legislatio, privilegiorum conceſſio, diſpenſatio, magiſtratuum conſtitutio & ſimilia, regularitera ſucceſſore mutari queunt, ſi aut ab initio ſaluti publicæ vehementer repugnent, aut poſtea repugnare incipiant. vid. Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 7. n. 1. & l. 2. c. 14. §. 13.* Summa enim Regis poteſtas aliunde, quam ex fine reipubl. qui ſalute publica conſtat, æſtimari nec ſolet, nec debet. Ceterum hæc in Germania fruſtra fere diſputantur, dum apud nos Rex poriſſima Majeſtatis

 jura

jura cum conſilio & conſenſu Procerum exercet, & proinde neque ſucceſſor neque Ordines facta deceſſoris publica facile irrita reddere valent,

§. 30. *in utrosque tamen*) ego hic ſubſiſto. Etſi enim conjux & liberi Auguſti dignitatis regiæ participes videantur, Majeſtate tamen ſeu ſummo imperio ipſo deſtituuntur. Quomodo ergo Majeſtas eorum læſa dici poterit? Injuriam tamen atrocem in eos committi poſſe ultro concedo, per §. 9. *Inſtit. de Injur.* Ceterum quantum ad regem Romanorum vide diſtinctionem ſupra ad §. 27. *h. c.* adhibitam.

AD CAP. IX.

De Terris Regni immediatis.

§. 1.

G*Ermanici reginnnie*) quibus verbis cohærentia capitis præſentis cum duobus proxime præcedentibus innuitur. Poſtquam enim Noſter ibi regiam poteſtatem generatim expoſuit, hic eam pro diverſitate terrarum mediatarum & immediatarum diverſam, in his ſcil. majorem, in illis vero minorem, fuiſſe contendit.

2. *mediatam vel immediatam*) quam diviſionem Autor late explicat *c. 13. 14. 15. 16. 17. & 18. Autonom. jur. gent.* Quanquam autem ea hodie fundamento non deſtituitur, dum alia ratio eſt Comitum, Baronum, Nobilium, civitatum in terris immediatis, quam mediatis, ut §. 5. *& 10. h. c.* tradi-

traditur; eam tamen olim, & ante interregnum quidem, magnum uſum habuiſſe, merito dubitatur, ut ex ſeqq. Animadv. patebit. In anteceſſum autem imprimis notandum eſt, ex Autoris noſtri mente, Franciam Sueviamque terras immediatas fuiſſe, eo etiam tempore, cum utraque Duces adhuc haberet, prout is aperte docet §. *41. c. 15.* & §. *5. c. 25.* Unde omnino ſequitur, hos cum fiſci, tum propriæ poteſtatis jure caruiſſe, & temporarios Regum Præfectos tantum fuiſſe, per §. *2.* & *3. h. c.* quod mihi quidem vero diſſimile videtur.

§. 2. *ea lege ſubjectæ ſunt*) hanc vero legem, prout hic & in Autonom. jur. gent. *cit. c. 15.* per tria diverſa capita deſcribitur, Autor, quantum ad Germaniam, nusquam probatam dedit. add. Animadv. ad §. *6. h. c.*

2. *proprio jure*) ſed tali jure non minus populos terrarum immediatarum, ut Franciæ, Alemanniæ, Saxoniæ, qua Weſtphalia continetur, Ripuariæ, & Burgondiæ, quam mediatarum olim gaviſos, codices antiquarum Germaniæ legum teſtantur apud Conringium *de origine jur. Germ. c. 6. 7. 9.* & *10.* Neque minus terrarum mediatarum quam immediatarum jura particularia olim a Regibus confirmata probant Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 27.* Conring. *d. l. c. 13.* Kulpiſ. *diſſert. 10. de German. leg. vet. ac Rom. jur. in republ. noſtra origine autoritateque præſente p. m. 356. ſeqq.* Quem morem vetuſtum, ad recentiora usque ſecula perductum, exempla earum Germaniæ provinciarum nos docent, quarum Proceres conſtitutiones ſuas, quæ

 vulgo

vulgo provinciales audiunt, a Regibus confirmari ſatagerunt. Quare ſententia eorum, qui talem confirmationem magis ex ſimplicitate, quam neceſſitate moris priſtini petitam contendunt, mihi nequaquam probatur.

3. *fiſco*) qui eſt locus, cui Regis aut Procerum annui reditus inferuntur. At Ducibus, quin Comitibus etiam & qui his pares habentur, Baronibus, ſuos reditus perpetuos fuiſſe, generatim & nullo terrarum mediatarum & immediatarum diſcrimine interjecto, docet Autor infra *c. 15. §. 9.* ſed & inſuper fatetur, in provinciis tam mediatis quam immediatis certos reditus in fiſcum regium coactos eſſe, infra §. *3. & 20. ſeqq. h. c. u. §. 17. c. 15.* Quod ſane ejusmodi eſt, ut proprio fiſci jure provinciæ mediatæ ab immediatis diſcerni nequeant.

4. *magiſtratuque*) graviter vero obſtat, Comites, in provinciis immediatis etiam, magiſtratum hereditario & quodammodo proprio jure geſtiſſe, nec magis, quam Principes terrarum mediatarum, poteſtatem ſuam Regibus Francorum, ceu victoribus, acceptam tuliſſe. Comites cum nomino, non qui nudo officii jure pagis vicisque, Dörffern und Flecken, ſed qui propria poteſtate, ut Hennebergici, Waldecci, Lippenſes, Erpacenſes, aliique perplures, provinciis præfuere, innuo; quam Comitum differentiam ipſe Autor agnoſcit *infra §. 35. c. 15. & cap. 6. Autonom. jur. gent. Append. 1.* add. ſupra § *23. & 85. c. 3.* & infra §. *13. h. c. item Animadv. ad §. 3. h. c.* Sed & Palatinos Comites res & juriſdictionem Regis in provinciis mediatis

non

nonminus quam immediatis curaſſe. Idem docet infra *§. 3. h. c. & §. 16 ſeqq. c. 15.*

5. *libertati reſtituta)* quæ reſtitutio quomodo capienda explicat Autor *d. Append. & c. 22. §. 28. Autonom. jur. gent.* add. Animadv. ad *§. 37. & 38. c. 3.*

6. *Ducem Germanum)* ſed vid. Animadv. ad *§. 70. 71. & 72. c. 3.* Neque enim Ducatum Marchiæ, pro tuenda hujus dignitate, contra clara veterum monumenta, fingi neceſſe eſt, dum Marchiones Imperii, libertatis & hereditariæ poteſtatis ratione inita, Ducibus olim inferiores fuiſſe probari nequit. vid. Animadv. ad *§. 39. c. 15.*

§. 3. regia Cameræ) at Regem in provinciis etiam mediatis fiſcum ſuum habuiſſe, nec immediatas jure aut magiſtratu proprio deſtitutas fuiſſe notat, ante ad *§. præced. 2. h. c.*

2. *ut adeſſent)* non tamen magiſtratus provinciæ, ſed Regis potius nomine. Atque huc inprimis Comites Palatini pertinent, a Rege in provinciis tam mediatis quam immediatis, hereditario feudi jure, conſtituti, *infra §. 16. ſeqq. c. 15.* Unde Proceribus olim juriſdictionem in provinciis ſuis cumulative, non, ut hodie, privative conceſſam eſſe colligitur, quod & exerte dicitur in Specul. Saxon. *l. 3. art. 60.* niſi quis eorum privilegio de non evocando a Rege mactatus eſſet, de quo infra *§. 13. c. 14.* ubi Animadverſ.

3. *magiſtratus minores)* quorum illos, qui pagis vicisque præfecti, Comites appellatos Autor docet *in Append. 1. Autonom. jur. gent. c. 6. p. m. 519.*

Hique nudo officii tantum jure præfuiſſe videntur, add. Animadv. 4. *ad §. præc. 2. h. c.*

§. 5. *Goslaria &c.*) ut hodieque Mulhuſia, Northuſia, & olim Erfordia, Altenburgum, Zwickau, Chemnizium &c.

2. *vid. cap. 17.*) adde: §. 11. ubi tamen Animadv. Ceterum exhioc ſatis liquet, olim ſaltem, diſtinctionem terrarum mediatarum & immediatarum exigui vel nullius prorſus uſus fuiſſe. qua de re plura ad §. *ſeq. 6. h. c.*

§. 6. *cauſa autem*) minime autem veroſimile eſt, Regum Francorum hanc poteſtatem fuiſſe, ut provincias, §. 4. *h. c.* deſignatas, demto proprio jure & magiſtratu, immediate fiſco ſuo pro lubitu adſcribere valuerint. *vid.* §. 8. & 13. *c.* 7. Neque hanc legem ſeu formulam, ſupra. §. 1. & 2. aſſertam, Autor usquam demonſtravit. Et admiſſa hac ejus ſententia ſtatuamus neceſſe eſt, Duces Franciæ Sueviæque proprio fiſci & poteſtatis jure caruiſſe, ſublatoque olim Ducum aliquo, reliquos provinciæ Proceres ſua poteſtate cum legislatoria tum fiſci & judiciarie, ſuffectis Præfectis regiis, ſimul cecidiſſe, quod mihi vero perquam abſimile, imo injurioſum, videtur. Quin neminem Ducum, quoad familia Ducalis ſuperſtes extitit, niſi perduellionis lege ſublatum, certum eſt. vid. Animadv. ad §. *ult. c. 7.* Præterea hæc formula loquendi: *fiſco regio adſcribi*, ſi quando Scriptores æquales vel ſuppares ea uſi ſunt, ab ea: *in poteſtatem Francorum redigi*, quod omnibus Germaniæ provinciis pariter convenit, minime differre videtur. Quare

re ego ſic ſeotio, olim oon magis Franciam, terram Rhenenſem, Sueviam & Weſtphaliam, quam Saxoniam, Bavariam, Vandaliam & Moraviam terras immediatas fuiſſe, dum, ſalvis Procerum juribus hereditariis, Rex ubique poteſtatem judiciariam, in prima etiam inſtantia, juxta cum hereditariis ſeu propriis provinciarum magiſtratibus, exercoit, conſtitutis ad id Palatinis Comitibus, qui inſuper proveotus regios in fiſcum ejus cogerent, ut Animadv. ad §. *2. & 3. h. e.* demonſtravi. Quid quod ſubditos mediatos etiam Comitiis olim interfuiſſe Noſter ipſe docet infra *§. 13. c. 20.* E quibus ſatis, puto, evincitur, tum temporis vel nullam vel valde exiguam inter ſubditos mediatos & immediatos fuiſſe differentiam. Quod vero hodie plures in terris immediatis quam mediatis Comites, Barooes, Nobiles & civitates immediate Regi ſubſunt, inde eveniſſe veroſimile eſt, quod, imminutis paulatim poſt interregnum juriſdictione & fiſci juribus, quæ antehac Regibus in Procerum terris competebant; atq; immutata Comitiorum ratione, Principes viribus autoritateque valentes, inter quos præcipui Bavariæ Saxoniæque Duces, Landgravii Thuringiæ & Haſſiæ, Marchiones Miſniæ & Brandenburgi &c. dicta jura regia ad ſe traherent & ſibi ſolis juriſdictionem primæ inſtantiæ in reliquos provinciarum ſuarum inferiores ordines ſumerent, hosq; jure Comitiorum, quantum poterant, ſubmoverent; contra vero Weſtphaliæ Comites civitatesque, proſcriptis Guelphis, oec minus, Henrico V. & Conradino deficientibus, Sueviæ atque

Fran-

Franciæ, qua moderna terra Palatina ad Rhenum comprehenditur, in varia quippe eaque modica dominia diſtractarum, Proceres, libertatem ſtatumque priſtinum, ſubinde mutuo foedere inito, acriter defenderent, adeo quidem, ut nec Palatinus Comes eam infringere valuerit, ex cauſis, quas ex Animadv. *ad §. 83. & 98. c. 3.* colligere licet. adde infra *§. 20. c. 15.* ubi nos in Animadv. cauſam, quare, ſublatis poſt interregnum reliquarum provinciarum Palatinis Comitibus, ſolus Franciæ Præfectus adhuc ſuperſit, expendimus.

§. 7. *ſuperiorem & inferiorem*) quarum illa terræ juris Francici ſeu Suevici; hæc vero ea comprehenduntur, quæ ad jus provinciæ Saxonicæ pertinent, ut explicat Noſter infr. *§. 9. c. 16.* Sed & præterea pars Germaniæ immediata in ſuperiorem & inferiorem diſpeſcitur §. *ſequ. 8. h. c.*

2. Oſterlanden, *trans Salam*) quæ pars ſunt Germaniæ ſuperioris, & ſpeciatim Thuringiæ, qua hæc ad Orientem vergit, Oſt-Thüringen. vid. omnino Schilt. *ad jus feud. Alemann. c. 7. §. 6.*

3. *antiquus Autor de beneficiis*) quem juxta cum ſelectis hiſtoriæ jur. feud. capitibus anno 1708. edidit adjectisque duabus diſſertationibus illuſtravit Illuſtr. Dom. Thomaſius.

§. 10. *immediatum aulicum Rothwilenſe*) hoc argumentum probat ſolum, non minus in Suevia, Francia & tractu Rhenenſi, quam in aliis, etſi hodie mediatis, provinciis jurisdictionem Regi cum Proceribus olim in prima inſtantia communem fuiſſe, minime vero, illum ſolum, his excluſis, in dicto Judi-

cii

di Rothwilenſis diſtrictu, poteſtatem judiciariam exercuiſſe, ut quidem Autor contendit ſupra *§. 2. & 3. h. c.* Et quanquam poſtea reliquis Imperii Statibus jurisdictio privative conceſſa, *Ordin. Cam. de anno 1495. §.* Item ein jeder ſoll ſein Unterthane *&c. & de anno 1555. part. 2. tit. 1. §. 1.* Rothwilenſe tamen judicium cum omnibus Statuum ejus diſtrictus tum inferioribus tum ſuperioribus judiciis etiamnum concurrentem jurisdictionem exercet, in prima ſcil. inſtantia; quando ab illo contra horum decreta ſententiasque quaslibet nullæ prorſus appellationes recipiuntur. vid. illuſtr. Dominus de Ludolph *in comment. de jure Camer. ſect. 2. §. 25. p. m. 377. & Append. 5. p. 220.* Cujus rei cauſa mihi videtur, quod Francia, Suevia & tractus Rhenenſis, poſt Ducum ſuorum deceſſum in parva dominia diſtractæ, huic regiæ jurisdictioni excutiendæ impares fuerunt. Unde ſimul apparet, quare jam nominatarum provinciarum Proceres abrogationem ejus judicii regii a multo jam tempore adeo vehementer adhuc urgeant, ut habet Noſter infra *§. 45. c. 32.* dum nimirum deterioris, quam ceteri Status, conditionis eſſe nolunt.

2. *nullibi ſunt*) fuerunt tamen olim in tertiis non immediatis tantum, ſed & mediatis Regum Palatini Comites. Neque tamen diffiteor, frequentiora olim in illis, quam in his, judicia regia fuiſſe, ob cauſam Animadv. præced. allatam, quæ quantum ad terras mediatas, ceſſat.

§ 11. *Hinc quoque*) unde vero niſi ex eo, quod ſupra *§. 4. & 8. h. c.* dictum, Weſtphaliam Sueviamque

Franciæ, qua moderna terra Palatina ad Rhenum comprehenditur, in varia quippe eaque modica dominia diſtractarum, Proceres, libertatem ſtatumque priſtinum, ſubinde mutuo foedere inito, acriter defenderent, adeo quidem, ut nec Palatinus Comes eam infringere valuerit, ex cauſis, quas ex Animadv. *ad* §. *83.* & *98. c.3.* colligere licet. adde infra §. *20. c. 15.* ubi nos 10 Animadv. cauſam, quare, ſublatis poſt interregnum reliquarum provinciarum Palatinis Comitibus, ſolus Franciæ Præfectus adhuc ſuperſit, expendimus.

§. 7. *ſuperiorem & inferiorem*) quarum illa terræ juris Francici ſeu Suevici; hæc vero eæ comprehenduntur, quæ ad jus provinciæ Saxonicæ pertinent, ut explicat Noſter infr. §. *9. c. 16.* Sed & præterea pars Germaniæ inmediata in ſuperiorem & inferiorem diſpeſcitur §. *ſequ. 8. h. c.*

2. Oſterlanden, *trans Salam*) quæ pars ſunt Germaniæ ſuperioris, & ſpeciatim Thuringiæ, qua hæc ad Orientem vergit, Oſt-Thuringen. vid. omnino Schilt. *ad jus feud. Alemann. c. 7.* §. *6.*

3. *antiquus Autor de beneficiis*) quem juxta cum ſelectis hiſtoriæ jur. feud. capitibus anno 1708. edidit adjectisque duabus diſſertationibus illuſtravit Illuſtr. Dom. Thomaſius.

§. 10. *immediatum aulicum Rothwilenſe*) hoc argumentum probat ſolum, non minus in Suevia, Francia & tractu Rhenenſi, quam in aliis, etſi hodie mediatis, provinciis jurisdictionem Regi cum Proceribus olim in prima inſtantia communem fuiſſe, minime vero, illum ſolum, his excluſis, in dicto Judi-

cii

cii Rothwilenſis diſtrictu, poteſtatem judiciariam exercuiſſe, ut quidem Autor contendit ſupra *§. 2. & 3. h. c.* Et quanquam poſtea reliquis Imperii Statibus juriſdictio privative conceſſa, *Ordin. Cam. de anno 1495. §.* Item ein ieder ſoll ſein Unterthane *&c. & de anno 1555. part. 2. tit. 1. §. 1.* Rothwilenſe tamen judicium cum omnibus Statuum ejus diſtrictus tum inferioribus tum ſuperioribus judiciis etiamnum concurrentem juriſdictionem exercet; in prima ſcil. inſtantia; quando ab illo contra horum decreta ſententiasque quaslibet nullæ prorſus appellationes recipiuntur. vid. illuſtr. Dominus de Ludolph *in comment. de jure Camer. ſect. 2. §. 25. p. m. 377. & Append. 5. p. 220.* Cujus rei cauſa mihi videtur, quod Francia, Suevia & tractus Rhenenſis, poſt Ducum ſuorum deceſſum in parva dominia diſtractæ, huic regiæ juriſdictioni excutiendæ impares fuerunt. Unde ſimul apparet, quare jam nominatarum provinciarum Proceres abrogationem ejus judicii regii a multo jam tempore adeo vehementer adhuc urgeant, ut habet Noſter infra *§. 45. c. 32.* dum nimirum deterioris, quam ceteri Status, conditionis eſſe nolunt.

2. *nullibi ſunt*) fuerunt tamen olim in tertiis non immediatis tantum, ſed & mediatis Regum Palatini Comites. Neque tamen diffiteor, frequentiora olim in illis, quam in his, judicia regia fuiſſe, ob cauſam Animadv. præced. allatam, quæ quantum ad terras mediatas, ceſſat.

§ 11. *Hinc quoque*) unde vero niſi ex eo, quod ſupra *§. 4. & 8. h. c.* dictum, Weſtphaliam Sueviamque

amque, autonomia exutam, ad conditionem terrarum immediatarum, ſupra §. 3. deſcriptam, detruſam eſſe? quam tamen conſecutionem, quantum ad Weſtphaliam, ſibi in mentem veniſſe Autor *append. 1. Autonom. jur. gent. c. 7. p. m. 537.* diffitetur, dum a ſola hac qualitate terræ origo ſervitutis inferri nequit.

2. *ſed utraque plane ſubjugata*). at Sueviam non magis, quam Bavariam, a Clodovæo M. tribus illis autonomiæ partibus, quas ſupra *§. 2. & 3. h. c.* deſcripſit Autor, mulctatam eſſe, demonſtravimus jam ſupra ad §. *21. c. 3.* idem de Weſtphalia demonſtraturi infra ad § *12. & 13. h. c.*

3. *tot mancipia*) quæ verba eo accipi vult Autor, ut quosdam tantum Weſtphalos, nequaquam vero omnes, ad conditionem ſervilem belli jure a Carolo M. redactos eſſe, hoc loco affirmare videatur, *cit. Append. 1. c. 5. p. 508.* Ad hæc idem *d. l. c. 5 p. 504.* concedit, ut aliis Germaniæ populis, ita Weſtphalis non minus, ſervos ſuos ante id bellum fuiſſe, ut Tacitus teſtatur *de morib. German. c. 24. & 25.* Quod pariter de Suevis quoque dicendum. Quare Autor Chron. Mind. non tantum, ſed Cruſius, quin ipſe Lehm. etiam, ad h. §. citati, inſigniter falluntur, quando ſervitutis in Suevia & Weſtphalia originem bellis, cum Regibus Francorum geſtis, acceptam ferunt.

4. *Gregorio Turonenſi*) quis vero eſt Gregorius Turonenſis hoc loco allegatus? ego certe alium, rerum Francicarum ejus nominis ſcriptorem, quam qui ſupra *§. 27. Prolegom.* Merovingorum

ætate,

ætate, & ſeculo poſt natum Chriſtum ſexto quidem, floruiſſe dicitur, ignoro. Quodſi ergo is hic etiam innuitur, fides ſervitutis, per Carolum Magnum in Saxoniam, & ſpeciatim Weſtphaliam, demum illatæ, inde fruſtra arceſſitur.

§. 12. *Saxoniæ detracta*) quam Weſtphaliæ à reliqua Saxonia ſeparationem Noſter hic & ſupra *§. 1. c. 4.* ad tempora Caroli M. rejicit, nos vero *ibid. in Animadv. 2.* cum aliis quibusdam ad Friderici Aenobarbi ævum felicius forte produximus, ut ex ſequentibus patebit.

2. *in plerisque*) in quibus vero? explicat Autor ipſe *Autonom. jur. gent. §. 28. c. 22. & cit. Append. 1. c. 5. 6. & 7.* atque ad unam tantum trium autonomiæ partium ſupra §. *2. b. c.* deſcriptarum, judiciariam nimirum poteſtatem, reſtringit, duas reliquas illius partes, quæ proprio jure & fiſco continentur, Weſtphaliæ non minus, quam reliquæ Saxoniæ, a Carolo M. conceſſas eſſe, confitens. Sed nec, judiciariam poteſtatem illi magis, quam huic, aut Bavariæ, ab ullo Francorum Rege ademtam eſſe, ea, quæ in contrarium movet Autor, evincunt.

3. *initio quidem*) neque enim de Weſtphaliæ a reliqua Saxonia ſeparatione in Capitulatione *de partibus Saxon.* quam Schilt. *tom. 2. Inſt. jur. publ. tit. 4. p. m. 24. ſeqq.* Autor Monument. Paderborn. *p. m. 301. ſeqq.* Conring. *de orig. jur. German. p. m. 332. ſeqq.* exhibent, verbulum extat, ſed contra ibi Saxones populi omnes pari jure cenſentur. Quare Autor Weſtphalis poſtea demum ipſo facto,

facto, quod §. *ſeq* 13. exponit, poteſtatem judiciariam a Carolo M. ablatam contendit, ſed perperam.

§. 13. *immediate*) quod etſi verum eſſet, nusquam tamen, Weſtphalis has terras, detracta judiciaria poteſtate, datas eſſe, memoratur. Unde cadit primum Autoris argumentum.

2. *Tum deinde*) neque hoc argumentum quicquam probat. Non magis enim in terris immediatis quam mediatis a Regibus olim judicia inſtituta eſſe ex Animadv. *ad* §. 3. & 10. *h. c.* conſtat.

3. *quod occultum*) quo de infra §. 43. *cap.* 32.

4. *ipſa terra tota*) ſed nec hoc argumentum ſtabiliendæ Autoris ſententiæ ſufficit, dum non minus terrarum mediatarum Duces Principesque, quam provinciarum immediatarum Comites & Barones, bellica quippe vi Francorum pariter ſubacti, Regem regnumve jurisdictionis & poteſtatis ſuæ autorem agnoſcunt, hereditario licet & quodammodo proprio jure præditi.

5. *in* 4. *Comitatus*) etſi enim, ut alii contendunt, ſingulis fere pagis vicisque Weſtphaliæ ſui Comites ſeu Præfecti minores fuerint, his tamen quatuor illos, quorum Autor hic meminit, ceu præcipuos & primarios præfuiſſe, Idem late docet *cit. c.* 6. *Append.* 1. *Autonom. jur. gent.*

6. *non proprio magiſtratu*) quod ſi verum, quid cauſæ eſt, quare Carolus M. Comitibus univerſæ Saxoniæ, qua Weſtphalia, velut pars ejus, com-

comprehenditur, conventus publicos, Miſſorum regiorum autoritate non interveniente, habere interdixerit ? ut dict. Capitul. *de partib. Saxon. &c.* memoriæ proditum. Ego ſane aliam cauſam non video, quam quod dicti Comites propri- um Saxonum magiſtratum, Miſſi regii vero ſolius Regis vices geſſerint.

7. *Trutmannum*) quo nomine quidam omnes promiſcue Saxones Francis fideles deſignari autumant; at hoc falſum eſſe, idque certo cuidam Weſtphaliæ Comitum velut proprium hæſiſſe, validiſſimis argumentis Autor propugnat *dict. c. 6. Append. 1.*

8. *ſed in Saxonia orientali*) inter quos etiam Henricus I. memoratur, quem tamen juxta cum reliqua Saxonia Weſtphaliam quoque & Angriam tenuiſſe, ipſe docet Autor *cit.* §. *42. c. 3.* ſupra. Nec minus, ceteros Saxoniæ Duces eam utramque in ſua ditione habuiſſe, inde patet, quod, Henrico Leone proſcripto demum, Angriæ Weſtphaliæque Ducatus ſedi Colonienſi ceſſit. vid. Animadv. ad §. *43. c. 3.*

9. *hodie quoque*) quod argumentum eo valet, ut, qui antiquiori tempore Prælatos, Comites & civitates Weſtphaliæ jure Comitiorum deſtitutos, adeoque hanc tum etiam mediatam fuiſſe, aſſerit, ut ego, id probare teneatur. Neque enim ſtatus alicujus mutatus cenſeri debet, quoad mutatio non demonſtratur, quemadmodum ipſe argumentatus ſum ſupra Animadv. 1. ad §. *ult. c. 7.* Verum ſalva res eſt, dum ipſe Autor vim hujus argumen-

ti, quantum ad præſentem quæſtionem, infringit, atque contrarium probandi munere fungitur *ſupr. §. 10. c. 7.* & infra *§. 13. c. 20.* ubi mediatos pariter ac immediatos Imperii ſubditos olim Comitiorum jure gaviſos docet. Quod ergo ab Autore datur, accipio, hincque, Prælatos, Comites & civitates Weſtphaliæ, etſi mediatos, olim juxta cum Ducibus ſuis in Comitiis ſuffragatos eſſe, juſta ratione infero, & quæro, quis eos, proſcripto Henrico Leone, & Saxonia dehinc in varias partes diſtracta, Comitiorum jure prohibere, idque, illis excluſis, ſibi ſoli vindicare valuerit? Sane non novus Saxoniæ Dux, Bernhardus Aſcanius, ut qui tantæ Weſtphaliæ converſioni prorſus impar fuit, & ne quidem Holſatiæ Comites, Guelphis Ducibus antehac obnoxios, ſub obſequio retinere potuit; Neque etiam Weſtphaliæ Epiſcopi, quippe quos ex eo tempore demum ad plenam ſuperioritatem territorialem paulatim adſpiraſſe ipſe Noſter docet ſupra *§. 45. extr. c. 3.*

§. 15. *Terrarum Germaniæ acceſſiones)* ut, quæ *h. & ſeqq. §§.* Autor tradit, clariora evadant, notandum (1.) non tantum ipſum territorium, ſed quicquid præterea rerum & jurium eo continetur, ad univerſi populi id inſidentis patrimonium & proprietatem pertinere (2.) in ſtatu Ariſtocratico & Monarchico Regi aut Optimatibus adminiſtrationem & gubernationem tantum regulariter conceſſam cenſeri, proprietate ipſa penes populum manente, ſiquidem talis conceſſio obtinendo fini reipubl. qui ſalute publica conſiſtit,

omnino

omnino ſufficit, & proinde, præter adminiſtrationem & gubernationem, ipſum etiam dominium jurium & rerum territorio comprehenſorum a populo in Regem aut Optimates translatum, ubi id expreſſum non eſt, in dubio exiſtimari nequit; (3.) ſublatis Optimatibus univerſis, aut Rege, vel, ubi regnum ſucceſſivum eſt, familia Regis, eam gubernationem & adminiſtrationem ad univerſum populum redire, ita, ut huic de nova ejus forma ſtatuendi libera facultas ſit. Unde ſequitur, (4.) alienationem, niſi aut populus in eam ſpeciatim conſentiat, aut imperium ab eo generatim cum tali poteſtate delatum ſit, a Rege aut Optimatibus pactione vel teſtamento factam, regulariter irritam eſſe, ſive ea totum territorium cum inhærentibus rebus & juribus, ſive pars tantum comprehendatur. Alienandi ſiquidem facultas dominio rerum juriumque cohæret, quod in dubio penes populum manſiſſe creditur. Dico: *regulariter*, quia alienatio urgente neceſſitate publica, injuſſu populi licet, facta, favore ejus merito ſuſtinetur, tum præſertim, quando, hunc a Rege vel Optimatibus prius conſului, moræ periculum vetat; conf. Ziegl. *ad Hug. Grot. l. 2. de jur. bell & pac. c. 6. §. 11. & 13.* (5.) inſigniter falli, qui regnum patrimoniale, quod in Regis privato patrimonio ſit, confingunt, quale neque datur, neque dari poteſt, ut adverſus Grotium, Puſendorfium aliosque ſupra Animadv. 3. *ad §. 5. c. 1.* adnotavimus; (6.) populi eſſe non tantum quæ ipſe, ſed ea etiam, quæ nomine ejus, h. e. publico, Rex vel Optimates, procuratoribus quippe

in tantum ſimiles, acquirunt. Ita regnum Longobardicum, a Carolo M. Francorum auſpiciis armisque quæſitum, horum, non illius, fuit, (7.) dominia ſingulorum ſeu privata publico dominio ſubordinata eſſe, ita quidem, ut, neceſſitate vel utilitate publica exigente, illa huic cedere debeant, ac proinde hactenus majus ſit reipubl. in bonis ſingulorum, quam horum, dominium. vid. Grot. *de jur. bell. & pac. l. 1. c. 1. §. 6. it. c. 3 §. 6. n. 2. & l. 2. c. 13. §. 20. n. 3. it c. 14. §. 7. & l. 3. c. 20. §. 7. & 52* Joh. Frider. Hornius *de civitate l. 2. c. 4.* Significanter dixi: *neceſſitate vel utilitate publica*, ut inde Principis neceſſitatem vel utilitatem privatam, affectatam & culpoſam præſertim, ſemoverem. Neque enim huic cum illa par jus eſſe poteſt; (8.) quicquid in ſingulorum dominia privata transſcriptum non reperitur, ad res civitatis publicas referendum eſſe, ut ſylvas, feras beſtias, flumina, littora, vias publicas, metalla, loca inculta aliaque infra *c. 23. §. 38.-51.* enumerata; add. Grot. *l. 2. de jure bell. & pac. c. 2. §. 4. & c. 8. §. 9.* (9.) Si quid dominio privato carere incipit, non fieri occupantis, ſed ad rempubl. velut ſuperiorem dominum redire, neque hanc ad exſolutionem æris alieni, a privatis ante poſſeſſoribus, quibus ea non hereditario, ſed proprio jure ſuccedit, contracti, lege naturali obligari. Idem Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 19.* (10.) In civitate ſeu republ. adeſpota ſeu hero privato carentia, ſemota lege civili, non dari, ſed ad fiſcum vel ærarium publicum pertinere. infra *§. 49. c. 23.*

2. *ſed*

2. *ſed & juribus*) regalibus ſcil. tam majoribus, quam minoribus, de quibus infra *c. 23.* agitur. Quamvis enim illa magis oneroſa quam fructuoſa habentur; in republ. Monarchica vel Ariſtocratica tamen eorum adminiſtratio uſusque ab ipſa proprietate & dominio, quod populi eſt, ſedulo diſtingui debet.

§. 18. *Domania*) quorum adeo proprietas ad rempubl. fructus vero ad Regem ſpectant. Unde conficitur, (1.) ea neque Regem, neque populum ſolum, alienandi facultatem habere, ſed ad alienationem utriusque conſenſum requiri; (2.) ea, regno vacante, a ſolo populo alienari poſſe, dum Regi eligendo jus nondum quæſitum; (3.) alienationem a Rege, inconſulto populo factam, ceu invalidam, ab hoc revocari poſſe; (4.) talia bona, velut publica, præſcriptioni nequaquam obnoxia eſſe, ut quæ jure civili inducta, quo populus aut Rex ſolutus eſt; vid. Animadv. *2, ad §. 37. c. 5.* & proinde (5.) non omnes reuniones promiſcue iniquitatis vitio, ut vulgo putatur, laborare, dum nemo debet ignarus eſſe ejus conditionis, cum quo contrahit, quod & Pontifex comprobat in c. 33. X. *de jurejurando*; (6.) etſi pleraque Germaniæ bona jura-que publica, Regis olim ſuſtentationi deſtinata, poſtero tempore Proceribus feudi jure conceſſa ſint, ſalvo ſcil. directo ſupremoque Imperii dominio, ea tamen propterea Domanialium jure minime cenſenda, neque adeo inalienabilia eſſe, dummodo Rex vel agnati ſaltem conſentiant, nec alienatio in damnum Imperii vergat; (7.) eorundem Proce-

rum bona juraque vel feudalia eſſe vel patrimonialia, neque ſpeciem intermediam dati; (8.) pro feudalibus ea tantum habenda, quæ in Auguſtis inveſtiturarum litteris nominatim deſcribuntur; cetera omnia vero patrimonialia, quæ agnatis invitis etiam alienari queunt, & vulgo nomine Der Cammergüther veniunt, a quibus tamen jura fiſcalia, ceu feudalia, accurate diſtingui debent. Sed nec bonorum patrimonialium alienatio alicubi libera eſt, ſi pactis familiaribus ita cautum, add. omnino Illuſtris Dom. de Lynker *Reſolut.* 137.

§. 19. *cum conſenſu Statuum*) qui tamen ad primam tantum conceſſionem ſeu inveſtituram neceſſarius eſt; infra §. *9. c. 14.* Nam renovatio ejus a ſolo Rege peragitur, quando vel vaſallus vel Rex ipſe, relicto ſucceſſore, vita excedit. vid. §. *3. c. 24.*

2. *nihil alienat*) concedo quantum ad renovationem primæ inveſtituræ, de hac vero nego, cum & ipſa alienationis ſpecies ſit, qua dominium utile, quod hactenus Imperii fuit, in novum vaſallum transfertur. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 6. §. 9.* add. Animadv. *praced.*

3. *irrevocabile eſt*) donec ſcil. cum conſenſu univerſorum Procerum aliud ſtatutum non fuerit, ut *art. 5. §. 26. extr. Pac. Osnabr.* cautum & *noviſſ. capitul. Cæſar. art. 1.* denuo repetitum.

§. 20. *tales publicos fuiſſe conſtat*) ac etiamnum eſſe, e *ſect. 2. c. 23.* apparet. Ceterum reditus publicos, olim fiſco regio illatos, maximam partem recenſet Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 44. & l. 5. c. 67.*

c. 67. cui adde Autorem §. *11. extr. c. 10.* §. *13 c. 14.* §. *5. c. 22.* §. *38. 39. & 40. c. 23.*

2. *cenſus, quem Saxones regi*) Saxones enim, ceteraliberi, prius vectigales & tributarii Francorum a Caroli Martelli ævo fuerunt, quam imperio horum penitus ſubjicerentur, ut probavi ſupra Animadv. *1. ad* §. *39.* & Animadv. *4. ad* §. *57. c. 3.* Hoc ergo facto, neceſſario priſtinus ille tributarius nexus deſiit, atque in ſubjectionis legem commutatus eſt. A quo tempore, Reges Carolinos in Saxonia pariter ac in aliis Germaniæ provinciis, imperio eorum obnoxiis, jus fiſci, more tum recepto, exercuiſſe, nullus dubito, quod & Capitulatio Caroli M. *de partibus Saxoniæ* ſupra *ad* §. *12. h. c.* excitata luculenter teſtatum facit. Nec mihi errare videtur, qui cit. Adami Bremenſis locum non de cenſu futuro, ſed prætetito tantum interpretari velit.

3. *quibus Rex Wilhelmus*) miror vero, nec immerito, Autorem in perquirendis publicis Regis & Procerum reditibus adeo anxium hærere, eosque e longinquo arceſſere, qui tamen & hodie ubivis obvii ſunt, nec olim minus cogniti fuere.

§. 21. *aliaque reſervata*) olim e ſingulis Germaniæ provinciis fiſco regio illata. Quæ autem fuerint iſta reſervata maximam partem Lehmannus loc. ſupra ad §. *20. Animadv. 1.* excitato exponit.

2. *de Saxonia traditum eſt*) ſed vide tamen Animadv. *2. ad* §. *20. h. c. & 1. ad* §. *39. c. 3.*

3. *cetera liberi*) quod vix admittendum videtur,

tur, ſiquidem Italiæ Duces & reliquos Proceres Germanorum Regibus non tantum feudi, ſed inſuper veræ proprieque dictæ ſubjectionis nexu obſtrictos fuiſſe, ex 2. Feud. 56. colligitur. Add. Animadv. 1. ad §. 5. & 3. ad §. 12. c. 7. it. ad §. 20. c. 6.

4. *reditus Cameræ regiæ*) non omnes, ſed quosdam tantum & definitos quidem; quando, ut in aliis provinciis, ita in immediatis non minus, Comitibus & Baronibus aliisque Dynaſtis, velut hereditaria & propria quaſi poteſtate inſtructis, ſuos reditus fuiſſe, certo perſuaſus ſum, per ea, quæ ſupra ad §. 2. 3. & 6. h. c. adnotavi.

5. *itidem provinciarum Ducibus*) quod dicitur tantum, nusquam vero a Noſtro probatum memini. Quin contra manifeſtum eſſe puto, Regibus in Ducum non minus, quam aliorum Procerum provinciis reditus ſuos ad interregnum usque integros manſiſſe, quod vel ſolo Palatino Comitatu, ſingulis Ducum terris & regionibus impoſito, luculenter evincitur, ut qui poſt interregnum demum paulatim deſinere coepit. add. §. 19. h. c.

AD CAP. X.

De ſummis regni officiis & in ſpecie de Archicancellariatibus.

§. 1.

R*Ex cum ſtatibus*) abſolutis ergo illius cum officiorum poteſtate, de quibus ſupra c. 7. 8. & 9. actum; nunc Autor noſter Statuum etiam jura officiaque

ficiaque pertractare incipit, optima ſane methodo, quam ſupra Animadv. *ad rubr. c. 5*, delineavi.

2. *hodie Status*) an ergo Ducum poteſtas in ſuis provinciis olim major fuit, quam reliquorum Principum in ſuis territoriis? Id quidem affirmat Noſter paſſim, inprimis infra *§. 39. ſeqq. c. 15.* ubi omnes alios Principes, exceptis Comite Palatino Rheni & Marchione Brandenburgico, Ducibus antehac paruiſſe, adeoque non ſummam a Rege, ut hos, ſed ſubordinatam tantum poteſtatem habuiſſe, contendit; verum, hanc ejus ſententiam idoneis argumentis deſtitui, jam ſupra adnotavi ad *§. 25. c. 2.* & amplius demonſtrabo infra ad *l. c.*

§. 4. *habitationi Regis*) qua re aula a Curia ſolenni differt. Hac enim conventus Regis & Procerum donotatur, quæ extra ordinariam illius ſedem in Germania haberi ſolet, ut hodie Ratisbonæ, quod ad Statuum dignitatem libertatemque pertinet. add. ſupra *§. 90. c. 3.*

2. *Cancellaria*) quæ etſi ab aula Regis quoad officia diſcernitur, hanc tamen, ut pars ejus, fere ſequitur. Loquor cum Autore de Cancellaria Regni. Conſtat enim Statuum, aliquot provinciarum poſſeſſorum, diverſas eſſe in ſingulis fere Cancellarias, quarum primaria quæ eſt, aulam eorum pariter ſequitur, ceteris, velut ſecundariis, ſuo loco perpetuo affixis.

3. *juſtitiæ enim tuendæ cauſa*) quemadmodum ergo Rex, & multo magis aula ejus, eſt propter juſtitiam, cui rite expediendæ Cancellaria inſervit; add. ſupra *§. 10. c. 4.* & infra *§. 2. c. 21.* ita Archi-

cancellarii reliquos Archiofficiales aulicos ordine præcedere ſolent.

§. 5. *negotiis & cauſis moderandis*) quæ ut accurate intelligantur, notandum (1.) Cancellariam ab ipſo judicio diverſam eſſe, tam loco quam objecto, dum ibi ipſi Judices & Conſiliarii conſident, &, prout æquum juſtumque eis videtur, de cauſis controverſis eo delatis decernunt ac judicant; ibi vero decreta & judicata ejusmodi a Secretariis, Protonotariis, Regiſtratoribus, Scribis, Magiſtro nunciorum &c. expediuntur; (2.) olim cauſas civiles ad Comitis Palatini, cauſas eccleſiaſticas vero ad Cancellarii Aulæ regiæ juriſdictionem ſpectaſſe, Rege tamen, ubi negotii gravitas aut difficultas id expoſceret, interveniente; ceterum ſolius Cancellarii moderamini expeditionem Cancellariæ relictam fuiſſe; (3.) abdicata a Regibus poteſtate eccleſiaſtica, inque Pontificis Romani jus transſcripta, *infra §. 20. ſeqq. c. 18.* Cancellarii munus in tantum deſiiſſe, indeque eum hodie ſoli Cancellariæ præeſſe, cauſis eccleſiaſticis, qua adhuc ad juriſdictionem Cæſaris referuntur *infra §. 9. c. 32.* pariter ac civilibus Comiti Palatino, quem nunc Auguſtum judicium aulicum refert, relictis; (4.) Cancellarium ipſum nec olim hoc munere in Aula regia functum, neque hodie fungi, vices ejus alio gerente, qui ab ipſo conſtituitur, indeque Vice-Cancellarius vulgo audit. Cujus inſtituti ratio duplex habetur, tum quod officii hujus conditio vicarium deſideret, ut habet Autor *§. 15. extr. h. c.* tum quod Archicancellario, ceu Archiepiſcopo,

dere-

derelicta eccleſia ſua, Aulam regiam ſequi non liceat, per tit. X. *de Cleric. non reſident.* (c.) Hunc Vicecancellarium, hodie ſaltem, ſimul Conſiliarii aulici imperialis munus obire. add. Autor infra §. *5. c. 11. & §. 5. c. 30.* Lehm *l. 2. Chron. Spir. c. 7. 8. & 9.* & Capitul. Cæſar. noviſſ. *art. 24. & 25.*

2. *primaria totius regni officia*) aulæ Regis tamen deſtinata, qua illa terminantur, neque adeo per ſe ad Regni negotia protendi queunt, ut paulo ante *h. §.* Autor dixerat, Quare potius dicendum videtur, hos Archiofficiales negotiis Regni & olim interfuiſſe & hodie intereſſe, ut Status & ratione territoriorum ſuorum, quibus Archiofficia ipſa inhærent. A. B. *tit. 7. & 20.* Unde vero jura eorum præcipua, quæ Noſter *h. §.* generaliter prædicat, & infra integro *c. 14.* exponit, originem traxerint? quæris forte. Ad hoc vero perfacilis reſponſio eſt. Primo enim naturale eſt, ut Status, primaria aulæ officia obeuntes, reliquis omnibus, etiam extra eas functiones, autoritate præſtent; Deinde conſtat, antiquos Germaniæ Duces, infra *c. 12.* memoratos, omnibus reliquis Principibus ordine ſemper prælatos eſſe infra *§. 14. c. 15.* add. A. B. *tit. 6.* Unde & illis ſolis, ceu Regi proximis, Archiofficia aulica collata ſunt, & conferri par fuit, ceteris inferioris ordinis Principibus poſthabitis, quoad ſcil. integer Ducum numerus manſit. Hoc enim, extinctis Franciæ Sueviæque Ducibus, imminuto nec reſtituto, atque priſtino Lotharingiæ Archiofficio evaneſcente, Comes Palatinus & Marchio Brandenburgicus demum ad Archiofficia admiſſi

miſſi ſunt, eosque admitti neceſſitas ſuaſit, prout hæc omnia late exequitur Noſter infra *d. c. 12.* At quia illi Duces illi antiqui & inde Archiofficiales, ceteros auctoritate, dignitate atque ordine præcedunt, næ, illis præcipui quid juris facile tribuitur.

§. 7. *nullo reliquorum præjudicio*) cum Colonienſi & Trevirenſi Archicancellariis ſua munera ſalva & integra maneant, quando, Rege in Italiæ aut Arelatenſi regno commorante, negotia Cancellariæ inde delata ibidem expediuntur. Quod tamen raro, imo nunquam fere, præſertim quoad Arelatenſe regnum, hodie ſaltem, accidit.

§. 11. *nec ſubditi ejus*) quod tamen dudum communi Imperii jure cautum, & proinde non ſoli Electori Moguntino, ſed aliis Electoribus, quin etiam omnibus reliquis Proceribus convenit, ut ipſe Noſter docet infra *§. 7. c. 21.* cui add. *art. 27. Capitul. Cæſar. noviſſ.*

2. *ejusque directorium*) ut quod in omnibus collegiis & corporibus ei, qui primus in ordine, competit. Et quanquam Moguntini Archicancellariatus munus totum imperium & conventum univerſorum Procerum reſpicit, & proinde in collegio Electorali, ceu particulari, ceſſare videtur; propterea tamen is a directione ejus nec removetur, neque removeri poteſt. Qui enim in toto Imperio Regi proximus atque adeo inter omnes Status primus eſt, ut Moguntinus, ceu Archicancellarius, ei etiam in collegio Electorali, velut parte ejus, merito primus locus, cumque hoc ipſum præſi-

præſidendi & dirigendi jus datur, quo tamen juriſdictio aut imperium proprie dictum, quod ſoli Regi competit, nequaquam comprehenditur.

§. 12. *jus vero ſuendi*) Hoc enim ſolius Regis eſt, qui tamen id abſque univerſorum Imperii Statuum conſenſu exercere nequit, ut adnotavi ſupra ad §. 19. c. 9. *Animadv. ult.*

2. *privilegium contra omnia privilegia*) id ſiquidem non ſolius Electoris Moguntini proprium eſt, ſed ei cum omnibus aliis Electoribus commune, eo nimirum valens, ut omnia privilegia regia, ſive ante, ſive poſt Aur. Bull. quibuscunque conceſſa, in quantum Electorum juribus adverſantur & derogant, invalida atque irrita haberi debeant, ut luculenter ſancitum in A. B. *tit. 13.*

3. *infra dicetur*) §. 14. c. 18. ubi tamen Animadv. noſtræ.

AD CAP. XI.

De IV. officiis regni Aulicis in genere.

§. 1.

O*Mnis aularum adminiſtratio*) quod repetitur infra §. 5. h. c. ubi Animadv.

2. *Pincerna*) quem aliquando Butellarium dictum probat Illuſt. Dn. Thomaſ. *in Diſſert. de libr. veter. de Benefic. autore, fato, vetuſtate* §. 40. *ſeqq.*

§. 2. *Caroli III. ſeu Craſſi*) quam tamen alii pro

pro ſuſpecta habent, alii vero eam veram quidem eſſe fatentur, ſed ad ſeculum XI. usque producunt, propterea, quod vox feodi ſive feudi ibi reperiatur, quæ Caroli III. ſive Craſſi ævo multum recentior ſit, atque tum temporis incognita prorſus fuerit. Boecl *in Not. imp. l. 15. c. 2. & de reb. ſec. IX. in Carolo III. p. m. 186. ſeq.* Sed vid. tamen Illuſtr. Dn. Thomaſ. *c. l. §. 15. ſeqq. imprimis* 22. & Thulemar. *de Octovir. c. 20. n. 39.*

2. *extat apud Goldaſtum*) & Lehmann. *l. 2. Chron. Spirenſ. c. 42.*

3. *ubi dicitur*) unde quatuor officia hereditaria in aulis Archi-Principum enata dicuntur *§. 11. h. c.*

4. *mos perpetuus*) quem apud Scythas jam olim obtinuiſſe ex Herodoto oſtendit ante laudatus Illuſtr. Dom. Thomaſ. in *diſſert. de colliſione mor. cum jure ſcripto §. 57.*

§. 3. *unitumque fuit*) quod infra §. *24. c. 33.* ad Carolingorum tempora reſtringitur; poſtero enim tempore hæc officia diſtincta fuiſſe, certum eſt.

§. 4. *non ipſa miniſteria*) admittenda videtur Bodini ſententia, quantum ad Curias ſolennes, in quibus Archiofficiales vel ipſi vel per nuncios ſuos Regi miniſtrant. Aur. Bull. *tit. 26. 27. & 28.* & Capit. Cæſ. noviſſ. *art. 3.* Als auch uns geziemen will *&c.* Ceterum illos præterea cunctis imperialis Curiæ officiis præeſſe, expreſſe dicitur *tit. 29. A. B.*

§. 5. *omnia aularum officia*) quod & exerte dici-

dicitur *d. tit. 29. A. B.* quæ cauſa eſt, quamobrem hodie novi Archiofficii aulici conſtitutio difficillima ſit, quinimo in effectum deduci neque poſſit neque debeat, niſi illo conſentiente, cujus Archiofficio antiquiori novum illud jam comprehenſum eſt. Huic enim per uſum longævum, & claram A. B. ſanctionem, ante excitatam, jus pridem quæſitum ipſo invito auferri vel imminui nequit, ſuffragantibus licet omnibus reliquis Electoribus.

2. *Dapifero*) qui & Magiſter coquinæ dicitur *tit. 29. A. B.* Quæritur ergo, quo jure Archimareſchallo per A. B. præferatur Comes Palatinus & Archidapifer? Sane Archimareſchallatus officium longe nobiliſſimum & ampliſſimum ſemper fuit, eu cum juriſdictione & directione quadam conjunctum, nec in Aula regia ſolum, ut Archidapiferatus, verum in conventu Procerum etiam ſe exſerens, perpetuoque antiquorum cuidam Ducatuum inhæſit, quibus Comitatus Palatinos poſtpoſitos Noſter docet infra *§. 14. ſeqq. c. 15.* Videtur itaque, Archidapiferum aut Regum favore, aut Ducatus Bavariæ, velut antiquiſſimi, qui, quo tempore Comitatus Palatinus Franciæ effloreſcere coepit, cum hoc conjunctus fuit, obtentu, aut Magiſterii aulæ, quod Noſter ſupra § *3. & 13. extr. h. c.* cum Comitatu Palatino conjunxit, nomine, Archimareſchallo prælatum eſſe.

§. 6. *Mareſchallo*) adde infra §. *14. c. 14. & §. 5. c. 12.*

§. 10. *Dn. de Limburg*) cujus ſtirpis ultimo, Volrado, anno 1713. defuncto, ſequente anno

1714.

1714. familia Comitum de Althan ſuffecta dicitur.

§. 12. *Germanis originariis)* diſtinguendæ ſunt hoc loco regulæ prudentiæ a præceptis juſtitiæ, quorum illæ quidem ſuadent, in conferendis honoribus atque officiis originarios cives, velut morum & jurium patriæ peritiores amantioresque, peregrinis anteferendos eſſe; hæc vero minime vetant, extraneos in numerum Archiofficialium adſciſci, ſuffragantibus iis, quorum conſenſus ſecundum Imperii leges neceſſarius eſt. *art. 11.* §. Wenn auch ins künfftig *&c. Capitul. Nov.* Nec in contrarium nos movet alleg. Spec. Suev. ut quod privata autoritate exaratum, multisque inſuper fabulis refertum, & proinde ei nec vis legis ineſt, nec inde idoneum de certo Germanorum antiquo more teſtimonium hac in re arceſſi poteſt. Quin tantum abeſt, ut peregrini officiis aulæ Regiæ hereditariis ſive ſummis ſive Vicariis indigni judicati ſint, ut iidem potius ad ipſum regni faſtigium aliquoties evecti memorentur, ut ſupra ad §. *3. c. 8.* adnotavi. Ad hæc verba, quæ citatum Specul. Suev. locum proxime præcedunt, evidenter arguunt, hunc ad invidiam Regis Bohemiæ, cui ſeculo XIII. a Ducibus Bavariæ & Comitibus Palatinis Rheni de Archipincernatu lis mota fuit, confictum eſſe. adde not. ſupra ad §. *ult. c. 1.* & infra ad §. *15, c. 12.* ſed nec Capitul. Ferdinandi III. *hoc.* §. excitata contrariam ſententiam quicquam juvat, quanquam, per Capitulationes Cæſareas regulas prudentiæ legum vim accipere, minime inficias eam; dum di-

ctam

ſtam Capitulat. Ferdinandeam de officiis Regis aulicis temporariis loqui manifeſtum eſt. *add. art, 23. Capitul. noviſſ.* Unde, officia hereditaria aulæ regiæ tum primaria tum vicaria in tantum nulla adhuc certa lege circumſcripta eſſe, conſequitur.

AD CAP. XII.

De IV. Archiofficialibus regni ſeu Electoribus ſecularibus: ubi demonſtratur, numerum ſeptemvirorum nulla lege definitum, ex ipſis rationibus reipubl. Germanicæ ultro fluxiſſe.

§. 1.

Dux *Rhenenſis*) quod nomen quidem Lotharingiæ Duci, quem Autor illico ſeorſim nominat, minime vero Comiti Palatino convenit, qui ab illo ut re, ita nomine pariter, ab omni ævo diverſus fuit, ſive Comitem Palatii ſimpliciter, ſive cum adjectione Rheni dicas. Et de utroque apud Luitprand. *c. l.* altum eſt ſilentium. Ceterum quid alter horum ab altero differat, oſtendi ſupra Animadv, *ad §. 92. c. 3.* Illud tamen, Archiofficium Lotharingiæ poſtero tempore deſiiſſe, & contra Comitatum Palatinum Franciæ Archidapiferatu auctum eſſe, minime diffiteor. Franciæne vero, an Lotharingiæ, aut Sueviæ Archiofficium hoic Palatinatui acceſſerit, nunc non diſputo. adde

P Ani-

Animadv. ad §. *25. c. 2.* & ad §. *6. h. c.*

2. *terram Rhenenſem*) inde tamen, Giſelbertum ſimul Comitis Palatini munus geſſiſſe, minime ſequitur. vid. Animadv. ad §. *95. c. 3.*

3. *Moravica*) quæ tamen indubie juris Germanici particeps facta, poſtquam Rex Bohemiæ Archipincernatus officio ſeculo XII. mactatus eſt; §. *8. h. c.* cum ejusmodi munus a nemine, niſi Germano cive, vel nativitate vel allectione tali, obiri queat. infra §. *12. & 15. h. c.* quibus add. Animadv. ad §. *ult. c. 1. &* §. *3. c. 8.*

4. *Vandalica*) qua comprehenduntur Marchia Brandenburgica, Pomerania & Mecklenburgenſis regio, quarum illam ſeculo X. iſtam ſeculo XII. hanc ſeculo XIV. Germanorum civitati innexam eſſe docuit Autor ſupra *ſect. 5. c. 3.*

5. *tum nondum*) adde, quod Marchia Brandenburgica, antequam Archicamerariatus officio augeretur, quod ſeculo XII. factum Noſter infra §. *7. h. c.* docet, inter antiquos Germaniæ Duces, de quibus hic ſermo eſt, connumerari non potuit.

§. 3. *diſtinctio* der Vier Fürſten und der Vier Landen) unde manifeſtum fit, diſtinctionem quatuor Germaniæ provinciarum numero totidem Ducum ſeu Archiofficialium inniti. Nec obſtat, olim quinque Ducatus ſeu provincias præcipuas fuiſſe Archiofficiorum participes; quia, ut recte obſervat Noſter ſupra §. *1. h. c.* perpetuo ad interregnum usque unus quinque Ducum illorum Rex fuit. Quibus deinde duæ novæ provinciæ, velut æque præcipuæ, acceſſere, ex quo Bohemia & Marchia

Marchia Brandenburgica ſeculo XII. Archipincernatus & Archicamerariatus dignitate auctæ ſunt, §. 7. & 8. *h. t.* Atque hoc pacto habes ſeptem provincias præcipuas, in quas Autor Germaniam partitus eſt. Sed cavendum tamen, ne alias Germaniæ provincias, Archiofficiis deſtitutas, indeque minus nobiles, propterea illis quoque ſeptem nobilioribus aliquando ſubjectas fuiſſe exiſtimemus, qua de re ſupra Animadv. ad §. 25. *c. 2.*

§. 6. *Hetil Palatinus*) qualis vero? utrum aulæ, an provinciæ Franciæ Comes? illum hoc loco innui vix credo, quia nudo & temporario officii jure præfuit, prout ſupra §. 96. *c. 3.* Noſter docuit, & nos obſervavimus ibid. Animadv. *ad* §. 92. talis vero Præfectus Ducum Archiofficiis impar fuiſſe videtur, quippe quæ integris indeque præcipuis provinciis perpetuo innexa reperiuntur; neque etiam hunc deſignari mihi perſuadere poſſum, quia ſeculo X. in quod Ottonis III. inauguratio incidit, Comes Palatinus Rheni ex Autoris noſtri ſententia nondum extitit §. 96. *c. 3.* & *c. 33. infra.* adde Animadv. ad §. 98. *d. c. 3.* ubi ejus originem, quæ certa ſit, ad ſeculum duodecimum produximus. Quapropter vero propius accedere videtur, cit. Dirmari loc. Hezilonem Franciæ Ducem, Conradi Salici patrem, & Ottonis, itidem Franciæ Ducis, nepotem, deſignari, ut ex Wippone *in vita Conradi Salici tit. de Elect. reg.* apparet.

2. *Francum deſiiſſe*) at vid. Animadv. præced. §. 9. *ſuo jure*) nec quicquam veriſſimæ huic ſententiæ obſtat, ante ſeculum duodecimum idem

P 2 Archiof-

Archinfficium non, ut poſtea ad noſtram uſque memoriam ſervatum, in eisdem Ducum familiis perpetuo hæſiſſe, ſed ſubinde variatum atque ab una ad aliam, Ducalem tamen, tranſiiſſe. Præterquam enim, quod nihilominus Archiofficia penes quinque priſcos Germaniæ Duces, excepto Rege, perpetuo ſteterunt, neque ad inferioris ordinis Principes unquam delata ſunt, quamdiu ſcil. numerus illorum integer manſit, quod Autor integro h. e. egregie probatum dedit; dictam varietatem ex duabus potiſſimum cauſis, ſalvo tameo atque integro Ducum proprio Archiofficiorum jure, artam manifeſtum eſt, tum quod ab exceſſu Carolingorum ad ſeculum duodecimum uſque culmen regium per diverſas memoratorum quinque Ducum familias circumactum, hincque Archiofficia inter easdem variari neceſſe fuit; tum, quod extinctis Franciæ Sueviæque Ducatibus, atque deſinente Lotharingiæ Archiofficio, tres Præfecturæ aulicæ iis hactenus innexæ, ad elios, Regem Bohemiæ ſcil. Comitem Palatinum Franciæ, & Marchionem Brandenburgicum, neceſſario deferendæ fuerunt, dum neque Rex ſibi Archiofficium, quo ante regiam dignitatem Ducatus jure fungebatur, præſtare poterat, oeque vacatio ejus cum Regni honore convenire videbatur. Et ſi quando Ducum aliquo, numero eorum adhuc integro, abſente, alii inferioris ordinis Principi officium in Curiis ſolennibus demandatum apud veteres memoratur, id non pro ſummo, ſed vicario ſolum munere accipiendum.

2. 4.

2. *Aquisgrani poſſeſſor)* quo jure? non Ducatus, dum Aquisgranum ſemper fuit civitas & primatium palatium regni, & proinde Ducis poteſtati exemtum, ut concedit ipſe Autor *§. 11. ſeqq. c. 1. Append. 2. Autonom. jur. gent.* per ea, quæ habentur ſupra *§. 4. & 5. c. 9.* nec jure Comitatus Palatini, quia, hunc penes Giſelbertum fuiſſe, nulla ratione probari poteſt, quanquam Aquisgranum olim in Ducatu ejus ſitam eſſe certum. Falſum enim, omnia palatia regia Comitem Palatinum habuiſſe; deinde Comites Palatini in provinciis a Ducibus plerumque diverſi fuerunt, eosque diſtingui e re Cæſaris, cujus res & jurisdictionem illi curabant, putabatur. Quare Giſelbertum Aquisgranum poſſediſſe vero abſimile videtur. Quid vero faciemus Witechindo illum locum ad Giſelbertum pertinuiſſe dicenti ſupra *§. 5. h. c.*? reſp. eum aut minus accurate locutum, aut verba: *locus ille*, de procuratione omnium rerum, quam Noſter hic Archicamerariatum vocat, ſupra *§. 7. c. 11. & §. 2. c. 13.* deſcriptum, capienda eſſe, vel iis ipſam Lotharingiam ſeu terram Rhenenſem, in qua olim Aquisgranum ſitum, innui, quæ ſignificatio poſterior moti antiquo oppido convenit, quo provinciarum Duces &c. Regis apud ſe commorantis ſuſtentationi neceſſaria procurare tenebantur. Nec eſt, quod quis, Giſelbertum in Ottonis I. inauguratione Archicamerariatus officium geſſiſſe, inde falſum eſſe dicat; quia unius rei affirmatio non protinus pro alterius negatione habenda eſt, & Giſelbertum cum ceteris tribus Ducibus Ottoni I.

 poſt

poſt finitum inunctionis actum cibi capiendi cauſa ad menſam ſedenti, miniſtraſſe, rotunde traditur apud Witechind. *c. l.*

§. 10. *unde & meos*) seu corporis Regii partes, quo nomine ſinguli Archiprincipes *cit. A. B. l.* inſigniuntur, ex ſingulari ſcil. privilegio. Jure communi enim in ſolum Regem aut univerſum imperium crimen majeſtatis admittitur, non etiam in Electores, ſumma quippe in territoriis ſuis poteſtate, quam vera majeſtas requirit, non minus, quam ceteri Principes, deſtituti, vid. Animadv. ad §. 2. *c. 7.* & §. 8. *c. 8.* Unde ſequitur, in hos, ut ſingulos, crimen majeſtatis nequaquam committi, ſed injuriæ atrocis duntaxat, ita videlicet, ut quidem pro ratione circumſtantiarum aliquando ultimo ſupplicio, at non confiſcationi omnium bonorum, locus dari queat, quia hoc Princeps cit. A. B. loco non vult, ibique jus ſingulare continetur, quod in conſequentiam non trahendum. Nec in contrarium me movet, ſicubi Principes & Status reliqui, præter Electores, Cæſareæ Majeſtatis membra dicuntur in R. I. Præterquam enim, quod jus ſingulare, eoque nec prædictum Electorale privilegium, ad cauſas vel perſonas ſimiles nequaquam extendendum eſſe vulgo putatur, etſi eadem vel major etiam ratio id ſuadere videatur; dictæ Imperii leges non de ſingulis, ſed univerſis Statibus in complexu ſeu corpore loquuntur, in quos velut Majeſtatis Cæſareæ, quantum ad negotia Comitialia, participes, crimen hoc admitti, minime negamus.

2. *omnibus regni ſubditis*); an & Statibus ſingulis

gulis non Electoribus? vide A. B. *c. l.* ceterum horum ſubditos cujuscunque dignitatis, conſpiratione de nece vel ſingulorum vel univerſorum Electorum facta, læſæ majeſtatis regiæ reos fieri certum eſt per A. B. *c. l.*

3. *committitur*) facta ſcil. conſpiratione, ut Animadv. 2. *ad h. c.* dictum. Injuriæ enim verbales ut a Rege, ita ab Electoribus pariter, regulariter negligi debent. *l. un. C. ſi quis Imperatori maledixerit.* Quare hæc lex ceteros Status, injurias verbales ſibi illatas, ceu atroces, ulciſcentes, minime obſtringit.

§. 12. *Boëmiæ Slavici*) contrarium tamen oſtendi jam ſupra Animadv. *ad §. ult. c. 1.* ubi ſimul cauſas, quamobrem Rex Bohemiæ, ſalvo civitatis Teutonicæ illi competentis jure, aliquamdiu Comitiis regni depulſus ſit, expendimus.

§. 13. *Unde apparet*) at cauſas veroſimiliores nos ſupra d. Animadv. *ad §. ult. c. 1.* attuliſſe confidimus.

2. *nec unquam aliter*) præterquam in Capitul. noviſſ. de anno 1711. ubi ſimpliciter Electorum ſit mentio, omiſſo eorum numero, tum quod Colonienſis & Bavarus eo tempore proſcripti necdum reſtituti erant, tum quod Bohemo jam anno 1708. jus ſuffragandi priſtinum reſtitutum, & proinde cauſa eum a reliquis Electoribus in tantum ſeparandi ceſſabat.

§. 14. *Ottoni Illuſtri data*) interpoſito tamen avo, Ottone de Wittelsbach & patre Ludovico, a quibus Bavaria ad Ottonem Illuſtrem ſucceſſionis

jure devoluta, cui hic demum, ducta Henrici Saxonis Palatini Comitis filia, Palatinatum Franciæ junxit, vid. Animadv. *1. ad §. 12. c. 3.*

§. 15. ceu Slavici juris) eſto vero, fuerit Bohemia Slavici juris usque ad ſeculum 14. id tamen ſine controverſia cum civitate Germanica, etſi non expreſſe verbis vel litteris, attamen tacite ſaltem & ipſo facto, commutatum eſt, ex quo Bohemiæ Rex Archipincernatus munere cum Electionis jure ſeculo 12. auctus eſt, quippe quod nemini, niſi Germano vel originario vel adſcito, competere poteſt, add. Animadv. *3. ad §. 1. h. c.*

2. *exercitium ejus, non jus*) ita quidem in utroque Speculo, Saxonico & Suevico cumprimis, dicitur, verum ex invidia magis quam ex vero.

3. *nec poteſt hoc intelligi*) diſputat hæc Autor adverſus Petrum Lambecium, qui cit. Speculum Suevicum de Rege Bohemiæ, parentibus peregrinis nato, interpretatur apud Illuſtr. Dn. Thomaſium *in ſelect. capit. jur. feud. §. 47.* Quanquam autem peregrinitatis perſonæ nulla ratio habenda eſt, ubi provincia, quam illa poſſidet, jure Germanico gaudet, ut Noſter hic & ſupra *§. ult. c. 1. it. §. 12. h. c.* recte præcipit; hoc tamen inani peregrinitatis obtentu Bavariæ Duces cum Palatinis Franciæ Comitibus, Regi Bohemiæ de Archipincernatu controverſiam moventes, uſos, ex allegato utroque Speculo colligere licet. vid. §. *12. c. 11.* ibi: vom Vater und Mutter, ubi de Archiofficio Bohemico ſermo. His enim verbis jus Teutonicæ civitatis perſonale requiri, neque adeo reale, provinciæ inhærens,

tens, ſolum ſufficere, aperte declaratur, contra ea, quæ hic Noſter recte docet.

4. *ne recipiantur*) quod tamen ſupra Animadv, ad §. 12. c. 11. negavimus. Et ponamus licet, id ita more majorum conſtitutum eſſe, ut Noſter, Speculum Saxun. & Suev. ſecutus, aſſerit, Germanos tamen, Regem Bohemiæ ſeculo 12. Archipincernam & Electorem imperii renunciando, ipſo hoc facto peregrinitatis vitium, ſi quod fuit, remiſiſſe & remittere valuiſſe certum eſt.

§. 16. *defenſus eſt*) injuſte ſane, quando, ut recte obſervat Autor ſupra §. 15. *ineunte*, exercitio, i. e. quaſi poſſeſſione Archipincernatus atque Electionis, quæ in judicio poſſeſſorio potiſſimum reſpicitur, Rex Bohemiæ ſuffultus fuit. Quare rectiſſime judicare mihi videtur laudatus ante Illuſtr. Dn. Thomaſ. judicii acumine nulli ſecundus, *c. l.* §. 49. *not. lit. g.* in diſtinctione judicii poſſeſſorii, de quo *h.* §. & petitorii, quod §. *ſeq.* 17. *h. c.* memoratur, colorem tantum & decidendi prætextum latere, quo Rudolphus I. uſus ſit, veram autem decidendi cauſam fuiſſe diſtinctionem inter Rudolphum hoſtem Ottocari, Bohemiæ Regis, ex cauſa ſupra §. 12. c. 3. tradita, & ſincerum ac amicum Wenceslai filii & ſucceſſoris iſtius. Quin Ottocari inimicus non tantum erat Rudolphus, ſed ſocer etiam Ludovici Severi, Palatini Franciæ Comitis, cujus maxime intererat, Archipincernatum illi abjudicari & contra conſanguineo ſuo, Bavariæ Duci, addici, quo inpoſterum ſolus & quietus Archidapiferatum, ad Bavari jura ſpectantem, poſſideret.

deret. Hinc Rudolphus I. favore Palatini generi ſui, & odio Ottocari inimici, in judicio poſſeſſorio pro Duce Bavariæ ſententiam tulit, ſed quam poſtea Wenceslai commodo, qui filiam Rudolphinam ſibi thori ſociam junxerat, immutavit, ut Autor habet *ſeq. §. 17. h. c.*

§. 19. *orta lis illa funeſta*) ſi, quod verum, dicere licet, cauſa Bavari, olim Archidapiferatum ſibi aſſerentis, quam Palatini, juſtior videtur, (1.) quod Bavariæ Ducatus ſeculo jam quinto ortus, *ſupra §. 5. c. 3.* cum contra Palatinus Franciæ Comitatus initium ſuum ad ſeculum duodecimum referat; *ſupra §. 98. d. c. 3.* (2.) quia hæc illius, Ottoni Illuſtri, Bavariæ Duci, ducta Henrici Palatini filia, acceſſio facta, non contra, ut ex cit. §. *98. c. 3.* liquet. add. Schilt. *l. 1. Inſt. jur. publ. tit. 21.* §. 6. Unde Archiofficium, quod pridem ante eam conjunctionem Bavariæ fuit, *ſupra §. 5. & 6. h. c.* huic prius, quam Palatinatui, quæſitum videtur. Atque hanc ſententiam Gewoldus Conſiliarius Bavarus *de Septemvir.* tuetur, quam contra oppugnandam ſuſcepit Freherus *epiſtola reſponſoria de Electoratu S. R. I. Comitiva Palatinæ Rheni antiquitus annexo*, ut refert Strauch. *diſſert. jur. publ. 3.* §. 2. & 3.

Ad Cap. XIII.

De novis Officiis Architheſaurarii & Archivexilliferi, & de vexillo imperii.

§. 1.

S*Ed de ipſo Archiofficio*) qua de re vide infra §. 6. *c.* 16. & ibi Animadv.

2. *in caſum extinctæ*) qui anno 1706. civiliter ſaltem accidit, proſcripto Bavariæ Electore. Quare biennio poſt Archidapiferatus cum priſtina Electorali dignitate & Palatinatu ſuperiore Comiti Palatino Rheni reſtitutus eſt. Quo facto etſi nova Architheſaurariatus dignitas, quæ hactenus penes domum Palatinam ab anno 1648. fuit, ſecundum pac. Osnabr. *art.* 4. §. 9. ſanctionem, expungi debuit, hac tamen abrogatione tum quidem ſuſpenſa, is novo Electoratui Hannoverano acceſſit, cum quo etiamnum conjunctus eſt. Unde Bavariæ Electore per pacem Cæſareo-Gallicam d. 6. Martii anno 1714. Raſtadii concluſam, & deinde d. 7. Sept. ejusd. anni Badæ in Helvetia ſubſignatam, in priſtinum ſtatum pleniſſime reſtituto, Elector Palatinus tam Architheſaurariatus quam denuo Archidapiferatus jacturam fecit.

§. 2. *non cum Palatinatu ſuperiore*) etenim non huic, ſed Palatinatui inferiori ad Rhenum Archiofficium cum electionis jure inhæret. *infra* §. 7. *c.* 16. Ceterum quo jure & quando Palatinatus ſupe-

ſuperior in domum Bavaricam illatus, tradit Imhof. *in Not. Proc. imp. l. 2. c. 6. §. 9. & 11.*

§. 3. *an liceat?*) quidni? neque enim certus Electorum aut Archiofficiorum Imperii numerus jure divino definitus eſt, ſed a mero arbitrio humano pendet, ut vel ſolum Archithesaurariatus munus, per pacem Osnabr. anno 1648. antiquis quatuor officiis aulicis additum, abunde edocet. de quo §. 1. *h. c.*

2. *an conducat?*) conducit ſane, eo nimirum, ut, propoſita eximii hujus præmii ſpe, Principes majori fide operaque Imperium ſibi devincire ſtudeant. Et quamvis demus, novi Archiofficii inſtitutionem nihil Imperio conducere, eam tamen huic nequicquam officere ſufficit. Neque ceteris, hoc pacto corpus ſuum imminui, & Electorum contra augeri, juſtam conquerendi cauſam præſtare poteſt; quandoquidem damnum, quod ſibi metuunt illi, vel nullum, vel incertum, aut privativum ſaltem eſt, cujus in jure nulla habetur ratio. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 21. §. 10.* Unicuique enim, atque adeo Principibus etiam, ad dignitatem Electoralem adſpirantibus, conditionem ſuam meliorem facere licet, dummodo per id aliis injuria ſeu damnum poſitivum non inferatur, aut jus quæſitum adimatur. Jam vero Proceres, qui Collegio Principum comprehenduntur, de non mutanda hac conditione ſua nunquam ſibi invicem fidem dederunt, aut illi ſe jungentes fortunæ meliori in anteceſſum nuncium miſerunt, & proinde uno alterove eorum in ſocietatem Electorum juſta ex

cau-

cauſa adſumto, jus ceterorum, quod nullum eſt, violatum dici nequit. Omitto jam, ſocietatem in centum licet anoos contractam derelinquere permitti, cum hæc juris civilis ſanctio bonorum ſocietatem, quæ meri lucri pecuniarii cauſa initur, reſpiciat, a qua coonſociationem Imperii Ordinum, per tria diverſa Collegia diſperſam, velut communis imperii cauſa inſtituram, aliquantum abire puto. Neque enim ab uno horum in alterum tranſiens, ea conſociatione eximitur.

3. *an neceſſum ſit?*) hoc ego quidem non affirmaverim.

4. *commode fieri*) quod negatur per Animadv. *1. ad* §. *5. c. 11.*

5. *Cui liceat?*) videtur quidem ſoli Cæſari conſentientibus Electoribus, & horum eo inpr mis, de cujus Archiofficio detrahendum quid, novoque addicendum, id licere, per ea, quæ Autor habet ſupr. §. *5. extr. c. 1.* cui add. Aoimadv. *2. ad h.* §. & *art. 1. tt. 11. Capitul. Caſ. noviſſ.* Sed hanc quæſtiooem ego nunc quidem in medio relinquo. Et vid. art. *3. Capit. noviſſ.* ubi Electoratus nonus cum conſenſu univerſi Imperii inductus dicitur.

6. *omnium ſtatuum conſenſu*) cujus quæſtionis deciſio nihil prorſus ad rem facere videtur, dum Archiofficiorum numerus non demum per A. B. definitus, ſed eum pridem ante receptum, aliud quaſi agendo, ibi Carolus IV. recenſuit duntaxat. Ceterum hæc generatim eo valet, ut ſi A. B. conſenſu omoium Statuum coofectam ſtatuamus, ea neque ex parte neque in univerſum ex ſolo Electo-

rum

rum aſſenſu mutari queat, dum nihil tam naturale potatur, quam eo modo quicquam diſſolvi, quo colligatum eſt. Quanquam vero in ſingulis fere A. B. titulis Electorum tantum conſenſus conſiliumque memoratur, nusquam, niſi, in præfatione ejusdem extrema, reliquorum Principum cen aſſidentium mentione facta; id tamen horum juribus & dignitati nihil vel parum derogare valet, quando omnia, quæ A. B. continentur, capita, aut ad privilegia, aut deciſiones cauſarum inter Electores antehac controverſarum, aut legislationem referri poſſunt, quorum priora duo eo præſertim, quo A. B. condita eſt, tempore, a Regis arbitrio pendent, qui ubi Electoribus demulcendis hos in conſilium adhibet, vel etiam conſenſum eorum requirit, ſibi quidem quicquam, Principibus ceteris autem nihil prorſus detrahit; quantum ad poſtremum caput vero his per §. 2. *art. 8. pac. Osnabr.* hodie ſatis cautum videtur, dum legum novarum ſanctio aut veterum abrogatio conſenſu univerſorum Procerum circumſcripta ibidem reperitur. ut ne omittam, plurima A. B. capita priſcos Germanorum mores, communi conſenſu inductos, referre, & pauciſſimis contra jus novum contineri.

7. *myſticis aut politicis rationibus*) quod rectiſſime negavit Noſter ante per integrum c. 12.

§. 13. *Draco ingens*) de cujus fabulæ origine plura habes apud Datt. *de pac. publ. l. 2. c. 3 §. 69. ſeqq. p. m. 250.* ubi præ aliis eorum ſe nobis commendat opinio, qui pro illius autoribus Arianos habent, ab hisce inde arceſſitæ, quod ſeculo quarto

ro Georgius quidam natione Cappadox, Conſtantio III. Cæſare ſubornante, ſedem Alexandrinam occupaverit, ejecto Athanaſio Epiſcopo, qui ab illis, ceu adverſariis, Draconis imagine deſignatur.

§. 16. *mere militare*) quod & Kulpiſius Conſiliarius quondam Wurtembergicus fatetur *in not. ad Monzamb. de ſtatu imperii Germanici c. 2. §. 8. p. m. 492. part. 1.* Sed nec primarium imperii vexillum Wurtembergicum, de quo *§. 17. h. c.* quibusdam videtur. Qua de re plura habentur in Duceliı Elect. jur. publ. curioſis de anno 1694. *p. 111. ſeqq.* & Pierre Marteau de anno 1696. *p. 1. - 69.* quod poſterius ſi idoneis argumentis, ut aliis videtur, innititur, illud Wurtembergicum, velut inferioris ordinis, non impedit, quo minus novum officium militare primarium conſtitui queat.

2. *functiones aulicæ*) tales vero omnes, quæ ad militiam referuntur, officio Archimareſchallatus jam comprehenſæ, inde, Electore Saxoniæ diſſentiente, eximi nequeunt, per ea, quæ habet Autor *§. 6. c. 11. it. §. 5. c. 12. & §. 14. c. 14.* quibus add. *Animadv ſeq.*

3. *etſi modus*) olim ſcil. uſitatus, ubi inveſtituræ feudorum regalium earumque renovationes intervenientibus vexillis, ceu ſymbolis, fiebant, ut late probat Alteſerra *de feud. Gall. c. 7.* add. Autor *infra §. 13. c. 16. & §. 22. c. 6. ſupra; it. §. 18. tit. 3. Hypomn. feud.* Specul. Saxon. *l. 3 art. 60.* Quo modo dudum antiquato, hodie in collatione feudorum regalium gladius adhibetur, qui vaſallis illuſtribus a Vicario Archimareſchalli hereditario ad oſculandum

dum porrigitur. vid. Appeod. *1. ſeqq.* Exam. jur. feud. Stryk. Sed reducendus eſſet vetus inveſtiendi ritus, ſi novo Archivexilliferatus officio ex mente Aut. locus daretur.

4. *ceſſiſſe dicitur*) confer §. *11.* & *12. c. 3.*

§. 17. *vexillum illud*) cujus figuram exhibet Kulpiſ. *cit. loc. p. m. 484. lit. B.* ubi etiam originem ejus, & quo jure ad Wurtembergicos Duces pervenerit, late exponit *a pag. 478.*

§. 19. *illud Argentinenſe*) quam origine & forma deſcriptam dedit Kulpiſ. *cit. l.*

§. 20. *alia minora*) Cum enim quatuor vel quinque Archiofficia aulica hactenus expoſita cunctis imperialis curiæ præſint officiis, ut in A. B. loco ſupra §. *10. c. 12.* cit. dicitur, officia reliqua *h.* §. commemorata illis ſubeſſe & proinde minora haberi neceſſe eſt.

AD CAP. XIV.

De juribus Archiofficiorum.

§. 6.

R*Ejectum eſt*) add. inprimis Lehm. *l. 5. Chron. Spir. c. 17.* ubi ea, quæ Noſter h. & præced. §§. quinque docet, egregie illuſtrantur.

§. 7. *reliqui Archiprincipes*) præſentes quidem, ſed in electione diſcordes. Hinc Ludouicus Comes Palatinus Rheni, mox Rudolphi Regis gener futurus, ab iis componendæ huic diſcordiæ arbiter, non procurator, conſtitutus eſt.

§. 8.

§. 8. *propria ac peculiaria*) quorum originem cauſasque expendimus ſupra Animadv. *2. ad §. 5. c. 10.*

§. 9. *non maximi momenti*) quæ diſtinctio valde anceps eſt, nec per novam explicationem Autoris inſequentem ſatis declaratur. Adhæc incertum relinquitur, cui tales res diſcernendi æſtimandique facultas competat, Cæſarine, an Electoribus, an ceteris Statibus. Præterea ſpecies, quas Autor *n. 1. 2. 5. 7. & 8.* ſiſtit, ad res exigui momenti referri nequeunt. Quid? quod Imperator *art. 3. Capitul. noviſſ.* in rebus Imperii gravioribus etiam conſilium Electorum adhibere diſerte obſtringitur. Et quandoque negotia, maximi momenti licet, ad communem Statuum univerſorum conſultationem deferri, moræ periculum vetat. Nec conſilium cum conſenſu miſcendum. Quate jura Electorum præcipua magis ex jure Germanorum ſcripto vel non ſcripto, quam ambiguo rerum magni & levis momenti diſcrimine, metienda videntur. Unde ſequenres conſtituo regulas: (1.) liberam eſſe Regis poteſtatem, niſi qua lege Imperii ſcripta vel non ſcripta illa temperata eſt; (2.) in negoriis gravioris momenti, regio arbitrio relictis, coosilium tantum, non etiam conſenſum, Electorum Regi adhibendum eſſe. vid. *cit. art. 3. Capit. noviſſ. & §. 55. extr. art. 5. pac. Osnabr.* (3.) negotia etiam gravioris momenti, quæ alioqui ad Comitia pertinent, & infra *§. 29. ſeqq. c. 20.* deſcripta habentur, cum Electorum conſenſu tantum, vel etiam, pro re nata, a ſolo Cæſare expediri poſſe, ubi ſummum in mora periculum; (4.) conſenſum Electorum neque ne-

ceſſarium eſſe, neque ſufficere, niſi qua jus eorum præcipuum, lege ſcripta vel non ſcripta, clare definitum eſt.

2. *foedera facere*) quando nimirum utilitas & neceſſitas publica celeriorem expeditionem requirit. Regulariter enim foedera Imperii cum coosenſu univerſorum Statuum feriri debent. add. *art. 6. Capitul. noviſſ. & §. 2. art. 8. pac. Osnabr.*

3. *alienationes &c.*) ita quidem cit. Capitul. Leopold. & Joſeph. cautum; at ſecundum Capitul. noviſſ. *art. 10.* ceterorum inſuper Procerum conſenſus accedat neceſſe eſt. Quæ ſanctio a jure publico univerſali arceſſita non magis Germanorum, quam aliorum Regum, poteſtatem circumſcribit, per ea, quæ præcipit Noſter ſupra §. *17. 18. & 19. c. 9.* ubi Animadv. noſtræ.

4. nach Gelegenheit der Sachen) quæ verba Noſter de alienatione & oppignoratione rerum Imperii magni momenti interpretatur, com tamen ea, etſi res leviores comprehendat, nonquam non magni momenti eſſe videatur. Quapropter illis art. *10. & 11. Capit. Leopold. & Joſeph.* ubi alienatio & oppignoratin rerum Imperii indifferenter ad ſolum Electorum conſenſum reſtricta reperitur, aliud quid deſignari puto. Scil. ibi non ſolum alienaodi & oppignorandi facultas circumſcribitur, ſed præterea etiam repetitio rerum Imperii, antehac injuſte alienatarum, Cæſari injungitur, ita nimirum, ut illi ſolus Electorum conſenſus ſufficiat; ad hanc vero inſuper univerſorum Statuum conſilium auxiliumque neceſſarium ſit, ubi videlicet repetitio vi armata,

mata, unde periculum Imperio metuendum, ſuſcipienda eſt; *§. 2. art. 8. pac. Osnabr. & art. 4. Capitul. noviſſ.* ceterum injuſti ralium rerum poſſeſſores a Cæſare, ex conſilio Electorum tantum, de reſtitutione earundem compellentur; quæ ſanctio itidem *art. 10. Capitul noviſſ.* repetita, excepta tamen alienandi & oppignorandi facultate, quippe quæ ibid. cum univerſis Statibus communicata eſt. add. Animadv. *3. ad h. c.*

5. *jus monetæ*) ubi hodie per art. *9. Capitul. noviſſ.* inſuper conſilium ejus Circuli, cui is, qui hoc jure imperiri vult, innexus eſt, Cæſari expoſcendum.

6. *vectigalia*) auditis tamen prius, cum vicinis, tum eo Circulo, in quo novum vectigal exercendum. *art. 8. Capit. noviſſ.*

7. *regalia vacantia*) quod per art. *11. Capit. noviſſ.* ad ſolos Electoratus reſtrictum. Nam ſi denuo conferendi ſunt alii Principatus, Comitatus, Baronatus vacantes, Principum etiam; ſi civitates liberæ, aliæ præterea civitates Regi, Electoribus & Principibus adſentiantur neceſſe eſt.

8. *ordinationes facere*) at hoc pars legislatoriæ poteſtatis eſt, quæ Cæſari & Electoribus cum ceteris Statibus communis eſt. §. *2. art. 8. pac. Osnabr. & Art. 4. Capitul. noviſſ.* Nec obſtat R. I. de anno 1517. dum ibi non dicitur, Commiſſarios Cæſaris cum Electorum Conſiliariis novam Ordinationem Cameralem feciſſe, ſed hoc tantum refertur, ab iis perſonas Camerales, quibus decreta, ut vulgo vocantur, communia ſanciendi facultas

Q 3 ab

ab univerſo Imperio data, *per tit. ult. Ordin. Cam. de anno 1495. & tit. ult. part. 2. Ordin. Camer. de anno 1555. tt. §. 135. R I. de anno 1654. & alibi*, tum hac in re diſcordes, ex libera voluntate ad concordiam redactos eſſe.

9. *remiſſius modus ad Comitia*) qui per art. *20. Capit. noviſſ.* tandem ita definitus eſt, ut proſcriptio non aliter, niſi ex univerſorum Procetum ſententia a Cæſare decerni debeat. An vero idem hic proſcribendi modus Imperatori obſervandus ſit, ubi in mora periculum, ut ſi Procerum aliquis, multum potentia valens, perduellionis crimine ſe obſtringat, illico compeſcendus? diſquiritur. Quam quæſtionem, hic quidem, in medio relinquimus.

§. 10. *invito quoque Rege*) cui tamen ejusmodi conventibus præeſſe, ſi lubet, licet, ut clare ſancitum *cit A. B. tit. 12.*

2. *Capitulationes facere*) a quibus forma imperii pendet, quæ res omnium maximi momenti eſt, & proinde ceteris Statibus cum Electoribus communis eſſe debet. Nec contrarium probant loca ab Autore excitata, dum electionis actum a pacto Capitulationis, ceu re diverſa, ſecernas. add. Animadv. *ad §. 30. c. 20.*

3. *Curatoribus*) quorum munere hodie, ubi Rex impubes eligitur, duos Vicarios *tit. 5. A. B.* conſtitutos fungi, traditur infr. §. *12. c. 16.* per art. *47. Capitul. Joſeph.*

§. 11. *ab ea vero differt*) & præterea ab utraque ſecernendum foedus Electorum generale Rhenſenſe anno 1338. pro tuendis ſuis & Imperii juribus initum, quod exhibet Schilter. *tom. 2. Inſtit. jur. publ.*

publ. tit. 17. p. m. 122. & l. 6. de libert. eccl. Germ. c. 3. §. 3. Cujus cauſam impellentem prodit Lehm. *l. 7. Chron. Spir c. 17.*

§. 12. *In nullo vero horum*) quia ad regimen publicum Germaniæ ſpectant, a quo Rex Bohemiæ aliquamdiu excluſus, nunc vero ab anno 1708. ad id denuo admiſſus. Ex quo is cum ceteris Electoribus ubique pari paſſu ambulat. vid. Animadv. *2. ad §. ult. c. 1.*

§. 13. *ſine conſenſu Imperatoris*) quippe cui adminiſtratio dominii directi, quod Imperio in feuda ſua competit, relicta eſt, quorum adeo dominium utile a Vaſallis ejus illuſtribus invito Cæſare abalienari aut in alios, præterquam Electores, transferri nequit. vid. *2. Feud. 52.*

2. *jura fodinarum*) quæ olim fiſco regio innexa, & deinde ut ab aliis Proceribus, iis præſertim, qui tum viribus pollebant, ita ab Electoribus quoque in ſuis territoriis interregni magni licentia occupata, hi, majoris ſecuritatis cauſa, ſibi per A. B. coofirmari ſategerunt.

3. *hodie prope Statibus*) quin hos non minus, quam Electores, jam ab interregno magno hæc jura regia ſibi in territoriis ſuis propria feciſſe nullus dubito; quæ etſi non per Aur. Bullam, tamen longo uſu, quin etiam Imperii cum expreſſo tum tacito conſenſu, dudum firmata ſunt, vid. *§. 1. art. 8. pac. Osnabr. & artic. 1. Capitul. noviſſ.*

4. *privilegia de non appellando*) quæ tamen non impediunt, quo minus ex cauſa protractæ & denegatæ juſtitiæ provocatio ad ſumma Imperii

 tribuna-

tribunalis admittatur, ut expreſſe reſervatum *cit. tit. 11. A. B.* Sed nec querelam nullitatis regulariter per privilegium de non appellando excludi cum aliis recte docet Illuſtr. Dn. de Ludolph *in Comment. de jure Camer. ſect. 1. §. 14. n. 7. ſeqq. p. m. 196. ſeqq.* cui add. Ziegler. *l. 1. de jurib. Majeſt. c. 30. §. 15.* Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 4. §. 13.* Sunt enim diverſa appellatio & nullitatis querela, & proinde ab illa ad hanc hactenus nulla valet conſecutio. Ceterum neutri adverſus Regis Bohemiæ decreta ſententiasque locus eſt, ut ex tit. *8. A. B.* apparet.

5. *quod datur contra l. 58. ff. de jud.*) ex cujus tribus capitibus ſecundum potiſſimum huc quadrat, quando jurisdictio ſolvi dicitur vetante eo, qui majus in ea imperium habet. Concurrebat ſcil. olim Cæſar in prima quoque inſtantia cum magiſtratibus Germaniæ inferioribus, hancque concurrentem jurisdictionem non tantum in aula ſua, verum etiam per judicia in provinciis Procerum a ſe conſtituta exercere poterat. Quo ſane tempore privilegium de non evocando utiliſſimum fuit, quippe quo jurisdictio regia primæ inſtantiæ in territorio ejus, cui id beneficio Regis datum, tollebatur, eique ſoli judicandi facultas in ſua provincia, quantum ad primam inſtantiam, competebat. Hodie vero hoc privilegium nullius fere uſus eſt, poſtquam jurisdictio Regia primæ inſtantiæ in Procerum terris generaliter abrogata, & proinde jus de non evocando commune videtur, excepto diſtrictu Rothwilenſi, ubi Rex etiamnum jurisdictionem

ctionem primæ inſtantiæ per ſua judicia aulica & provincialia juxta cum Statibus illius exercet; & quibusdam cauſis, quæ, etiam aliunde delatæ, ſummorum Imperii tribunalium jurisdictionem primæ inſtantiæ fundant, quas Noſter recenſet infra *§. 11. ſeqq. c. 32.* add. Animad. *2. ad §. 3. & 1. ad §. 10. cap. 9.*

6. *contra Camerale, nedum Aulicum*) quantum ad primam inſtantiam ſcil. ſiquidem a judiciis illorum etiam Statuum, quibus privilegium de non evocando conceſſum, & olim ad judicium Regis aulicum vel Camerale provocare licebat, & hodie licet.

7. *& provincialia*) quæ etſi jure & nomine regio exercebantur, nihilominus tamen jurisdictio eorum, non minus in ſecunda, quam prima inſtantia, per privilegia de non evocando pleraque ſuſpenſa reperitur.

8. *non vero*) unde ſubditi ejus, qui privilegio de non evocando, quod ſola judicia regia reſpicit, gaudet, non tantum in foro contractus & rei ſitæ, ſed delicti etiam, ubicunque conveniri, &, pro re nata, arreſto detineri poſſunt.

9. *noviter quæſitas*) quod tamen non minus uſu certo, quam rationi repugnat, ut docet Illuſtr. Dn. de Ludolph. *in Comment. de jur. Camer. ſect. 2. §. 13. n. 9. ſeqq.*

10. *ratione Archiofficii*) ſed vid. Animadv. *ad §. 17. ſeqq. c. 29.*

§. 14. *non Imperator*) quod, ut alia omnia privilegia, juri communi repugnat, quod feuda cum

familia primi acquirentis extinguuntur, utili dominio cum directo conſolidato.

2. *Comiti Palatino Rheni*) cui ſubinde Auguſtorum, Rudolphi I. Ludovici Bavari, Caroli IV. & Ruperti, familiis innexo, indeque tam opulentia, quam eximia autoritate ſuffulto, per terras vicinas, in plura eaque modica & parum valida dominia diſtractas, uſitato tum jure manuario, jura præcipua h. l. deſignata acquirere, perquam facile fuit. Quare eos, qui inde generalem Electoris Palatini Comitatum per univerſum Imperium, excepta Saxonia, protenſum, evincere elaborant, oppido falli exiſtimo.

§. 18. *auferri non poterit*) quod probat Schurtzfleiſch exemplo Sigismundi, qui eodem tempore duos Electoratus, Bohemicum & Brandenburgicum, poſſediſſe dicitur, *differt. 45. de Henrico Leone* §. *5. not. lit. i.* Idque hodie eo minus dubium, quo magis Electorum numerus nunc auctus, nec Archiofficiorum uſus tantus ut olim, hæcque per legatos fere in Curiis ſolennibus expediri ſolent. Ceterum momenta controverſiæ, Henrico Superbo & Leoni ex hoc capite motæ, Noſter expendit §. *7. c. 3. Append. 2. Autonom. jurgent.*

AD CAP.

AD CAP. XV. SECT. I.

De Officiis reliquorum Statuum in genere.

§. 1.

Herren) quibus hoc §. Autor Principes etiam comprehendere videtur, quos tamen infra §. 8. *h.c.* a Dominis ſeparat.

2. *oneribus vel ſervitiis*) hæc anim magis ad jus privatum, quam publicum Germaniæ, cui nunc quidem intenti ſumus, referenda videntur, & libr. *ff.* 50. potiſſimum exponuntur. adde infra *c.* 31.

§. 2. *vel ſine dignitate eſt*) ut tutela, quæ primarió utilitatem pupillorum & minorum, ceu privatorum, reſpicit.

2. *vocatur honos*) qui vel Regni, ut Principum & Dominorom, vel provinciarum, ut Præfectura & Conſulatus.

§ 3. *innexa & implicita eſt*) cui adeo regulariter & ſine juſta cauſa, invito ſuperiore, vel eo, cui officium debetur, renunciari nequit. Nec obſtat, cuilibet juri ſuo renunciare liberum eſſe; quia hæc regula jura ſingulorum, in re vel ad rem competentia, & actiones reales vel perſonales producentia, nec cum officio, velut cauſa, conjuncta, duntaxat reſpicit.

§. 5. *Propria*) quæ in Germania vel Regis & Regni eſt, ſupra *c.* 7. 8. & 9. expoſita; vel Procerum, de qua hic; quarum illa independens &

ſumma; hæc contra ſubordinata & dependens habetur. vid. Animadv. *ad §. 2. c. 7. & §. 8. c. 8.*

2. *jure feudi*) adde: vel ſubjectionis. Illo ſolo obſtringitur regnum Bohemiæ, prout animadvertimus ſupra ad §. *ult. c. 1.* hoc inſuper alii Germaniæ Principes, qui ratione terrarum ſuarum non tantum directum, ſed & ſupremum dominium imperiumque Regis & Regni agnoſcunt. add. Animadv. ad *§. 2. c. 7. & §. 8. c. 8.*

3. *ſed eſſet plane ſumma atque exemta*) hanc conſecutionem ego quidem non capio. Multi enim Comitatus & Baronatus olim allodia fuere, conſolidato directo & utili dominio; *infra §. 35. h. c.* Quin etiamnum ſunt, qui non Imperii, ſed Principum tantum quorundam dominium directum agnoſcunt, ut habet Autor infra *cit. §. 35. it. 41. h. c. & §. 2. c. 19.* quorum tamen poteſtatem ideo ſummam, & exemtam prorſus, nemo, præter Noſtrum, facile dixerit. Quare diſtinguendum hoc loco videtur inter territoria Comitum Baronumque ipſa, & dignitatem poteſtatemque eorundem. Hæc namque ab Imperio dependent hujusque adeo & dominium & imperium ſupremum, a directo ubique ſedulo ſecernendum, agnoſcunt & agnoſcere tenentur, etſi territoria ipſa, quibus Comitum Baronumque poteſtas atque officium cohærent, vel aliorum Principum feuda, vel a nexu feudali prorſus libera, exiſtant. add. Animadv. 3. *ad §. 2. c. 19.*

4. *certo reſpectu*) ſubditorum provinciæ ſcil. Nam ratione Regis & Regni tam Principum quam

quam Comitum & Baronum poteſtas dependens & ſubordinata eſt, dum plerique eorum directum, omnes autem, intra Germaniam transrhenanam ſaltem, ſupremum dominium imperiumque Regis & Regni ſuſpiciunt, excepto Bohemiæ Rege, ut qui ei feudi duntaxat vinculo obſtringitur, quod neque ſubjectionem Vaſalli proprie ſic dictam infert, neque domino directo plenam poteſtatem tribuit. add. Animadv. ad §. *ult. c. 1. & §. 50. c. 3.*

5. infra ſect. 2.) adde: *§. 24.* & junge *§. 13. præf. ſect. 1. it. §. 2. c. 19. it. art. 1. Capitul. Carol. VI.*

§. 6. *nudi officiales*) ſive Aulæ, ſive Cancellariæ, ſive Militiæ, ſive Præfecturæ. vid. §. *13. c. 11. & §. 35. excurr. h. c.*

2. *poteſtas Comitum & Baronum*) exiſtimat ſcil. Noſter, diſcrimen Principum & Comitum Baronumve non tantum a diverſitate dignitatis & jurium iis competentium, verum etiam a modo habendi arceſſendum eſſe. *add. §. 13. h. c.* Et ad illam quidem quod attinet, eam ultro concedo; quantum ad hunc vero, diſcrimen inde depromtum prorſus inane videtur; ſiquidem differentia, quam Autor inter proprietatem & procurationem in rem ſuam conſtituit, originem ſuam ad jus Romanorum civile ſeu proprium refert, quo cautum, ut ne actiones directæ, oſſibus quippe ipſorum contrahentium inhærentes, alteri cedi queant. Quod & ipſi JCti Romani agnoſcunt, ceſſionario, ſeu procuratori in rem ſuam, actionem utilem, quantum ad effectum ſaltem, actioni directæ

ctæ æquipollentem, concedentes, ob rationem naturalem ſcil. cui id diſcrimen incognitum, vid *d. l. antepenult. ff. de negot geſt.* & Compend. jur. Lauterbach. *p. 332.*

§. 8. *Principum, Dominorum & Miniſterialium*) qui ordo tripartitus, quo Autor hoc loco Procerum dignitatem, officium & poteſtatem diſtinguit, longe expeditior, &, hodie ſaltem, majoris uſus eſt, altero illo, qui in Speculo Saxonico & Suevico a ſeptem clypeis militaribus depromitur, expoſitus a Schilt. *l. 1. Inſtit. jur. publ tit. 3. §. 6. & tit. 5. § 3. it. in Comment. ad jus feud. Alemann. c. 1.* Illuſtr. Dn. Thomaſ. *Diſſert. de lib. vet. de benef. uſu §. 12.* & Georg. Beyer. *l 1. Specim. jur. German. c. 10.* Ceterum uſum modernum dicti ordinis tripartiti exhibet Noſter *§. 13. h. c. & §. 30. ſeqq. c. 32.*

2. alterum officii) hereditarii tamen, add. infra §. *26. h. c.*

§. 9. 10. & 11.) ut quæ Noſter his §§. tradit, lucem foeneremus, ex mente ejus notandum (1.) feuda apud Francos ſub Regibus demum coepiſſe, & proinde (2.) ante hos in republ. illorum libera Procerum bona omnia allodialia fuiſſe; (3.) hæc diviſa in hereditaria ſeu privata, & familiaria ſeu publica, vulgo Salica ſeu Francica dicta, hodie Stammgüther; (4.) illa Proceres a privatis vel ſingulis; hæc a republ. tuendæ dignitatis & officii cauſa accepiſſe; (5.) illorum dominium plenum penes Proceres extitiſſe, & ad heredes utriusque ſexus transmiſſa; horum vero uſum & adminiſtrationem tantum; nec ad fœminas hæc devoluta, ſolis

maſculis

maſculis, ceu familiæ propagatoribus, ad ſucceſſionem admiſſis; adeoque (6.) feudum ſeu dominium utile, ſub lege fidelitatis conceſſum, quam allodium familiare, intra adminiſtrationem & uſum duntaxat conſiſtens, largioris naturæ eſſe; utrique tamen (7.) minime vero allodio hereditario, officia miniſteriaque publica & viciſſim ionexa eſſe. *add. infra* §. 3. *&* 4. *c.* 27. *cum* §. 1. 2. 3. *&* 4. *Hypomnem. feud.* Et, quantum ad (1.) & (2.), Autoris ſententiam quidem probat, quantum ad (3.) (4.) (5.) & (6.) vero, reprobat Illuſtris Thomaſius *in Select. capit. jur. feud.* §. 1. - 40. docens ibidem, Procerum bona allodialia non minus in ſtatu regio, quam populari, fuiſſe unius generis, hereditaria nimirum, & neque feudi, neque fideicommiſſi familiæ jure circumſcripta, ſed liberrima, ad heredes tamen maſculos ſolos, excluſis fœminis, familiæ favore, per ſucceſſionem transmiſſa; hisque apud veteres rerum Francicarum Scriptores nomen Salicum ſeu Francicum impoſitum eſſe. add. Idem *Diſſert. de lib. vet. de benef. uſu* §. 23. Unde porro efficitur, bona hæc allodialia hereditaria dici poſſe, qua liberum earum dominium, familiaria vero hactenus, qua fœminæ a ſucceſſione excluſæ, exiſtentibus maſculis; ſed & (7.) miniſteria feudis ſolum, non allodiis etiam innexa eſſe; horum tamen poſſeſſores ad Imperii ſervitia teneri ex duplici cauſa, quæ Animadv. 1. *ad* §. *ſeq.* 12. *h. c.* traditur.

§. 12. *Porro conceduntur*) quam conceſſionem largior, quantum ad feuda, quæ Principes, aut Domi-

Domini vel Miniſteriales ab Imperio recipiunt agnoſcuntque; nego vero, quod ad allodia eorum attinet, libera quippe, nec ulli nexui illigata, per Animadv. proxime præcedentem. Nec me Rhenani §. *præced. 10. h. c.* excitati, velut ſcriptoris recentis, autoritas remorari valet, & vel inde ſolum exinanitur, quod pleraque Dominorum & Miniſterialium allodia Principibus potentioribus, Eccleſiaſticis inprimis, ex cauſis, quæ apud Hertium *de feudis oblatis part. 1. tom. 2. vol. 1. opuſc.* late expenduntur, in feudum oblata ſunt, & inconſulto Imperio quidem, quod ipſis minime licuiſſet, ſi allodiorum natura tam adducta fuiſſet, prout hæc §. *anteced. 11.* exponitur. Quantumvis autem talia allodia ſervitiis militaribus per ſe nequaquam obnoxia haberi poſſunt, nihilominus tamen poſſeſſores eorum, cum ob dignitatem, quam ab Imperio tenent, tum propter ſubjectionem, qua eidem devinciuntur, Regni miniſteria ſubire tenentur. vid. §. *8. c. 30.* cum ibi alleg. Imp. Receſſ.

2. *uti Statibus Imperii*) at hos etiam Imperio miniſtrare; nec Miniſteriales, ſeu ſervos nobiles, ab officiis Regni prorſus remotos eſſe, ex §. *31. h. c. &* §. *10. c. 25.* liquet. add. omnino Schilt. *ad c. 1. jur. feud. Alemann.* §. *22.*

3. *inter hos quidam*) qui ſcil. propter miniſteria ſua feuda ab Imperio recipiunt. Ceterum duplex horum ſervorum nobilium ſeu Miniſterialium genus notatur infra §. *16. c. 31.* cui jung. Ordin. Regim. de anno 1500. *tit. 39.* Von der Ritter und Knecht Steuer; & Rec. Imper.

de

de eod. anno *tit. 47.* Wie man mit den Ritterſchafften *&c.*

§. 13. *plurimum intereſt*) quantum ad dignitatem & jura videlicet. Habendi enim modus, hodie ſaltem, utrique ordini par eſſe videtur. Hinc de ceteris, quæ Noſter *h.* §. tradit, facile judicium. adde Animadv. *2. ad* §. *5. & 6. h. c. & ad* §. *11. c. 17.*

2. *ſed ordinis*) reſpectu Dominorum ſcil. quibus Principes antecedunt; Nam Imperii ratione inita, Principes pariter ac Domini officia publica, hereditaria tamen, gerunt, per §. præc. *12. h. c.*

3. *Reformat. Polit. Sigism.*) quam iterum excitat Noſter infra §. *12. c. 21.* ubi Animadv.

4. *in Senatu*) judicii ſupremi aulici nimirum. add. Stryk. *append. 4. extr. Exam jur. feudal.*

5. *olim ratione inveſtituræ*) hodie quid obtineat, quantum ad inveſtituram feudorum regalium, quibus non minus Comitatus & Baronatus, quam Principatus continentur, Aur. Bull. *tit. 5.* definitum. add. §. *13. c. 16.* ubi ſimul differentia antiqua, hic allegata, explanatur.

AD CAP. XV. SECT. 2.
De primo ordine Principum.

§. 15.

CArolus M. ſuſtulit) ſervato tamen Saxoniæ Ducatu, qui ab eo inſtitutus videtur, per annot. ſupra *ad* §. *36. ſeqq. c. 3.* Ceterum Ducatum Sueviæ, inde a prælio Tolbiacenſi continuatum, jam a Pi-

a Pipino, Carol. M patre, ſublatum eſſe, notatum ſupra *ad §. 12. c. 3.* Solum itaque Bavaræ Ducatum Carol. M. antiquavit, cui quidam cum Lehm. Chron. Spir. *c. l.* Ducatum Franciæ, adjungunt, quem tamen ante Carolingos extitiſſe, alii contra rectius negant, quod de Lotharingiæ Ducatu pariter dicendum.

2. *ſupra dictum*) *c. 12. §. 1. ſeqq.* ubi Animadv. E quibus hodie duo tantum ſuperſunt, Saxo nimirum & Bavarus. Reliqui enim omnes recentiores ſunt, Ducibus illis antiquis, ceu Archiofficialibus, cum ordine tum jure inferiores, excepto ſolo Brunſuicenſi & Luneburgenſi, ut qui nuper Archiofficio, & independente eligendi jure, auctus, jam memoratis Ducibus antiquis exæquatus eſt. vid. ſupra *§. 3. c. 13.* Fruſtra ergo objicitur Dux Lotharingiæ, qui dudum Archiofficio ſuo excidit, nec, qua talis, Germaniæ amplius ultra foederis inæqualis modum, innexus eſt. vid. Animadv. *2. ad §. 33. c. 5.*

3. *Ducatus Novemvirorum*) etſi enim Comites Palatini Rheni & Marchiones Brandenburgici Ducum nomine abſtineant, antiquus tamen ille Ducalis honor iis ſine controverſia attributus eſt, ex quo Archiofficiis, poſt Sueviæ Franciæque Ducum deceſſum, mactati ſunt.

§. 17. *Saxonia ſub Thuringis*) at Saxones nunquam Thuringis comprehenſi, neque his unquam paruerunt, ſed ab omni memoria proprias ſeparatasque a Thuringis ut regiones, ita regiminis non minus, rationes habuerunt; quin horum tandem

dem victores, partem Thuringiæ ſeptentrionalem trans Unſtrutum ſitam, quæ Nordthuringia dicta, ſuam fecerunt, atque hac acceſſione fines priſtinos ampliores reddiderunt. conf. Animadv. *ad §. 28. & 31. c. 3.* Unde, quando in Specul. Saxon. & Svev. Saxonia antiqua regnum dicitur, id de Nordthuringia, antiqui regni Thuringici parte, intelligendum eſt.

2. *hinc 4. tantum palatia)* ſeu Comitatus Palatini provinciales. Nam plura olim palatia Regum in provinciis Germaniæ extitiſſe, ſedi eorum tum ambulatoriæ inſervientia, notatum jam ſupra *ad §. 88. c. 3.* ubi porro diſcrimen horum Palatinorum provincialium, & Comitis Palatini ſimpliciter dicti, ſeu Regiæ aulæ judicis, expoſitum habes, *ad §. 92.* Rege namque in una ex quatuor provinciis commorante, civium quidem ejus cauſas, adhibito Comite Palatino illius provinciæ, cognoſcebat & ſententia ſua dirimebat; at cauſatum ex aliis interea provinciis ad eum delatarum cognitio deciſioque ad Comitem Palatinum aulæ Regiæ, ceu generalem, remoto Comite Palatino provinciæ, ſpectabat. Ceterum Bavariæ Sueviæque Comites Palatinos Franciæ Palatio ſubfuiſſe, Noſter aſſerit infr. *§. 10. c. 16.* ſed argumentis certis & liquidis, quibus id evincatur, deſtitutus.

3. *pater Ducum Bavariæ)* hunc vero non fuiſſe Ottonem illuſtrem, ſed hujus avum Ottonem V. de Wittilsbach, ſupra ad *§. 12. c. 3.* adnotatum.

4. *Comites de Goſeck & Summerſeburg)* a quibus

bus ſeculo duodecimo Comitatus Palatinus Saxoniæ ad Hermannum Thuringiæ Landgravium hujusque poſteros, ac horum ultimo, Henrico Raſpone, ſine liberis defuncto, cum ipſo Landgraviatu Thuringiæ ad Marchiones Miſniæ delatus, deinde vero his ablatus atque Saxoniæ Ducibus Aſcaniis datus eſt, quibus extinctis is iterum cum Ducatu ad dictos Marchiones quaſi poſtliminii jure rediit. vid. Schurtzfleiſch. *Diſſert. 54. de Vitr. eccl. §. 10. & Diſſert. 47. ſeu append. ad vit. Albert. III. Sax. Duc. p. m. 691. ſeqq. item diſſert. 46. de vit. Alb. III. Sax. Duc. p. m. 658.* ubi tamen inter Landgravios Thuringiæ & Comites de Goſeck & Summerſeburg Henricum Leonem interponit, at nusquam probat, quod ego nunc quidem in medio relinquo.

§. 18. *ſed apparet id*) verum hæc ratio componendi controverſiam præſentem, longe difficillimam, minus apta videtur. Saxoniam namque aliquando Thuringorum fuiſſe, Noſter nusquam ad liquidum perduxit; quin e contrario certum, partem Thuringiæ ſeptentrionalem Saxoniæ ceſſiſſe, cetera, quæ ad Auſtrum vergit, Francis relicta, quod ſeculo ſexto factum Idem memorat ſupra *§. 31. & 32. c. 3.* quo tempore neque Thuringia neque Saxonia Comitem Palatinum habuit, adeoque Saxones Palatium Thuringicum cum ipſa provincia accepiſſe dici nequit. Quapropter vero propius forte accedit, Palatinatum Saxoniæ a Thuringia inde nomen ſortitum, tum quod multo tempore penes Thuringiæ Landgravios ſtetit, tum quod

Go-

Goſeck, Summerſeburg, Ahlſtad &c. ubi Palatini Comites ſedes ſuas habuerunt, in illa parte Saxoniæ, quæ, olim Nordthuringia dicta, ſita ſunt. Quanquam autem unus tantum Saxoniæ atque Thuringiæ Comitatus Palatinus fuit, is tamen per diverſas partes & lineas aliquando diviſus eſt, quæ ſingulæ alio atque alio tempore tituloque Ducibus Saxoniæ accedentes, duplici inſigni Palatinatus hujus, quod hodie in clypeis illorum conſpicitur, cauſam dediſſe videntur.

§. 19. *non apparet*) ſed vid. Animadv. *2. ad §. 97. c. 3.* ubi de Hannoniæ Palatinatu in parte ſilvæ Arduennæ occidua ſito, qui Ducatum Lotharingiæ ſeu terræ Rhenenſis reſpicere videtur.

2. eſſe Rhenenſe ſeu Aquiſgranenſe) ego hic diſſentio. Primo enim Aquiſgranum, in Gallia Belgica II. ſitum, in poteſtate Palatinorum Rheni Comitum, qua talium, nunquam fuit, neque hi ibi unquam ſedem ſuam habuere; *ſupra Animadv. 2. ad §. 9. c. 12.* Deinde ipſe Autor Franciam, cui Palatinatus hic tribuitur, a terra Rhenenſi ſeu Lotharingia antiqua, qua Aquiſgranenſe palatium cum dicta Belgica II. continetur, paſſim diſtinguit, *ſupra §. 24. c. 2. it. §. 83. & 84. c. 3. & §. 4. c. 9. it. c. 2. append. 2. Autonom. jur. gent.* Præterea in Francia non minus, quam in terra Rhenenſi perplura olim palatia regia extiterunt, proindeque Comitatus Palatinus Francicus illis, non huic, innexus videtur. *ſupra §. 88. d. c. 3. & ibi Animadv.* Nec obſtat, alium Palatinum Comitem palatio Aquiſgranenſi præfectum non reperiri.

Falſum enim, ſingulis palatiis Regis in Germania ſingulos Comites Palatinos fuiſſe.

3. *ſed regni Francici*) talia vero reliqua etiam Germaniæ regia palatia dici poſſunt, quorum Comites tamen nihilomagis generales audiunt, certis provinciis nimirum illigati. Unde nec Comes Palatinus Franciæ magis, quam alii, ideo pro generali haberi poterit. Nec quicquam Autoris ſententiam juvat, palatium Aquisgranenſe primarium dici ſupra §. *83. c 3.* propterea, quod, huic Palatinum Franciæ Comitatum innexum eſſe, ille nusquam ſatis oſtendit, & dato licet, id certum eſſe, inde tamen hoc ſolum conficitur, eum primarium eſſe, nequaquam vero, Palatinum Franciæ pro generali totius Regni Præfecto regio habendum, quæ diverſa ſunt. Illud enim dignitatem præcipuam ſolum, hoc autem poteſtatem inſuper arguit.

4. *immediata ſedes*) quamdiu ſcil. regnum Francicum Franciæ & terræ Rhenenſis ſeu Lotharingiæ antiquæ finibus circumſcriptum. Poſtquam enim idem per totam Germaniam paulatim pr[illegible]litum fuit, ſedes Regum, ambulatoria quippe, eodem porrecta eſt. Ad hæc diſcrimen terræ mediatæ & immediatæ, ſi antiquiora tempora reſpicias, idoneo argumento deſtitui, oſtenſum ſupra ad §. *2. - 7. c. 9.*

5. *Dux provinciæ Rhenenſis*) miſcet hic Autor provinciam Rhenenſem ſeu Lotharingiam antiquam cum Francia, quas tamen alibi paſſim ſedulo ſecernit, locis Animadv. *1. ad h. c.* excit. Et quan-

quanquam facile concedo, Comitem Palatinum Franciæ antiquorum Germaniæ Ducum ſplendorem æquare, ex quo ſi Archiofficii regni dignitate auctus; fuiſſe tamen tempus, cum Francia, juxta eum Comitatu Palatino, Duces Francicæ & Suevicæ ſtirpis habuit, certum. *§. 98. & 99. c. 3. & ibi Animadv.*

§. 20. unde (4.) ſolus ille duravit) ſed vid. Animadv. *4. ad §. præced. & 4 ad §. præſent.*

2. *regnum juris Teutonici)* videtur hic Autor reſpicere locum Specul. Saxon. & Suev. ſupra *§. 17. h. t.* exhibitum.

3. *efflorefcere ſub Aſcaniis)* ſeculo duodecimo ineunte nimirum, ut traditur ſupra *§. 73. c. 3.* quo integra fuit Comitum Palatinorum Germaniæ poteſtas, ac interregni magni licentia demum imminuta. Veroſimilius itaque videtur, Marchiam Brandenburgicam antehac ad Palatinatum Saxoniæ, ex cauſis ſupra ad §. *3. Animadv. 3.* recenſitis, relatam, quod ex Autoris ſententia, Vicariatum Saxonicum, cui etiamnum illa ſubeſt, dicto Palatinatui innectentis §. *ſeq. 21. h. c.* indubium videtur.

4. *non habuit)* imo habuit, ſive per provinciam Rhenenſem hoc loco Francia, ſive Lotharingia, denotetur. vid. ſupra §. *99. c. 3. & §. 22. c. 6.* Unde vero propius accedere videtur, Comitatum Palatinum ad Rhenum ideo hodieque perdurare, quia abolito, poſt deceſſum Franciæ & Sueviæ Ducum, utroque hoc Ducatu, nec reſtituto, defuerunt,

qui illum ad ſe traherent, atque cum Ducatu ſuo conjungerent. adde Animadv. *3. ad* §. *98. c. 3.*

§. 21. *uſus Vicariatus*) quo de videbimus infra ad cap. ſequ. *16.*

§. 22. *Fuere quidem*) add. §. *7. ſeqq. c. 3. append. 2. Autonom jur gent.*

§. 23. *cum ſuffragio cederet*) quod tamen nec Autor probat, nec Reinking. *cit. loc.* aſſerit. Certiſſimum enim, ſuffragium Thuringicum etiamnum ſalvum eſſe, Saxonico quippe comprehenſum, ſive antiquo ſuffragandi more, ſive quod Thuringia cum Ducatu Saxoniæ aliquando conjuncta eſt. add. Animadv. *4 ad* §. *46. it. 2. & 3. ad* §. *66 c. 3.* & conf. Animadv. ad §. *75. eod. cap. it. ad* §. *41. c. 5.*

2. *unde carent ſuffragio*) ſed repete, ſi placet, Animadv *præced. & ibi allegat.*

§. 24. *vetitum fuit*) unde etiamnum in Saxonia das ſo genannte Meilenrecht deducitur, quod a civitatibus objicitur, ſi quando intra milliare ab iis jus coquendi cereviſiam, vel alterius mercatus, in agris uſurpatur, qua de re vid. Georg. Beyer. *in Specim. jur. German. l. 1. c. 16. & c. 11.* §. *24.* add. Ordin. provinc. Saxo-Goth. *part. 2. c. 3. tit. 11.*

2. *accipi cœpit*) ſcil. Marca ſumitur vel generatim pro certo diſtrictu ſeu territorio, cui poteſtas vel jurisdictio inhæret, Gerichts-Zwang, Weichbild; ut in prima parte h. §. vel pro Marchia, quemadmodum hæc vox in poſtrema præſent. §. parte accipitur.

3. *juſtus Ducatus*) non quidem nomine, re

tamen

tamen, ex quo nimirum Archicamerariatus officium ei innexum eſt, quod ſeculo 12. factum ſecundum §. 7. *c. 12.*

4. *Nomenii*) vid. Animadv. *4. ad §. 33. c. 5.*

5. non habent) imo habent, ut probatum dedi ſupra Animadv. *3. ad* §. *66. c. 3.* & Animadv. *1. ad* §. *41. c. 5.*

§. 25. *hodie eſt*) conf. §. *74. c. 3.*

2. *ſecus ac Marchio*) ſed vid. Animadv. *3. ad* §. *ult. ſect. 4. c. 3.*

3. *judex Marchionis*) verum graviter obſtat art. *55. d. l. 3. Spec. Saxon.* & Rec. Rudolph. I. apud Lehm. *l. 5. Chron. Spir. c. 108. p. m. 557. b.* ubi explicate dicitur, Principum Imperii, inter quos & Marchiones ſunt, judicem neminem eſſe, niſi Regem. Unde cit. art. *52. Spec. Saxon.* aut de Marchionibus Principum honore carentibus, de quibus §. *ſeq. 26. & 39. h. c.* aut de turbulento Germaniæ ſtatu, ubi forte Marchiones Principes Burggraviorum judicium ſponte ſubierunt, capiendus videtur. Sed & civitatibus Imperii liberis, ut Noribergenſi, & Epiſcopis, ut Magdeburgico & Miſnico, frequentius, quam Marchionibus, Burggravios olim adjunctos eſſe, certum.

4. *Sunt vero burga*) add. §. *2. c. 7.* ubi Animadv. *5.*

§. 27. *admiſſi ſunt*) cum jure ſuffragandi videlicet.

2. *abſque alio officio*) vel Comitis Palatini provincialis, vel Landgravii, Marchionis, Burggravii. vid. §. præced. *26. h. c.*

3. *ſola Principis dignitas*) vel perſonalis, hereditaria tamen, quam ſolus Rex largitur; vel realis & territorio cohærens, & a jure ſuffragandi in ordine Principum pendens, quæ a Rege cum conſenſu Procerum, ſervato diſcrimine, art. *1. Capit. noviſſ.* præſcripto, conceditur add. *§. 2. c. 19.*

4. *officio vel tempore*) Quemadmodum enim ſi ex Domino Landgravius fieret, Marchiones & Burggravii offenderentur; ita &. ubi Dominorum, aut Burggraviorum; aliquis, vel Landgravius vel Dux evaderet, Marchionibus conquerendi cauſa crearetur, quod regulis prudentiæ ſaltem adverſatur.

§. 18. *dubium fieri poteſt*) facile tamen ſubmovendum, dummodo Comites titulo Principum perſonali, hereditario tamen, exſplendeſcentes antiqui a novis ſecernantur. Illorum ſiquidem cum Principibus ſuffragandi ordo, quo nunc utuntur, in dubium vocari nequit, ut qui olim magis dignitatem perſonæ, quam territorii ſequebatur, aliter atq; hodie, ubi is a ſola qualitate terræ dependet, ita nimirum, ut in ordine Principum Comites ſuffragari nequeant, niſi aut Comitatus in Principatum commutetur, aut illi in ordinem Principum cum ſuffragandi jure cooptentur. Conf. Animadv. 4. *ad §. 46. & ad §. 75. c. 3.* Ceterum Principes novos etiam cum Principibus in Comitiis ſuffragantes, Principibus antiquioribus, qui vel ſuffragandi jure prorſus carent, vel eo inter Comites adhuc utuntur, ordine præferri, indubium eſt.

2. *non utuntur*) ſeorſim ſcil. antiquo ſuffragandi

gandi more, quo ſuffragia Principatuum minus nobilium Principatu nobiliori, ut Auſtria, comprehendebantur, ut adnotavimus ſupra ad §. *ult. ſect. 4. c. 3. & 75. c. 5.*

§. 29 *ſoli 4. Duces*) præter hos tamen Marchiones Brandenburgicos, Miſnienſes & Luſatos aliosque, Principum honore fulgentes, & juris Comitiorum participes, jam Henrici I. ævo extitiſſe, ex §. *65. & 68. c. 3.* liquet, etſi demus Autori, quod tamen dari nequit, hos illis olim paruiſſe, ut is quidem retut infra §. *39. & 40. h. c.* cum, mediatos etiam antehac Comitiis interfuiſſe, doceat Idem §. *13. c. 20.*

2. *Extinctis Ducibus Franciæ & Sueviæ*) cujus utriusque, ceu terræ immediatæ, Principes, Comites &c. tamen dudum ante Sueviæ Franciæque Ducum exceſſum immediatos fuiſſe, Autor ipſe fatetur §. *41. h. c. &* §. *5. c. 25.* cui §. *1. & 6. c. 9.* jungantur.

3. *erectis*) de quibus §. *27. h. c.*

4. *adſcitis*) quos nominatos habes §. *28. h. c.*

AD CAP. XV. SECT. 3.

De altero ordine, der Herren/ & juribus utrique ordini communibus.

§. 30.

C*Onjecturis*) quæ ut lucem paulo clariorem accipiant, notandum (1.) Noſtrum hic & ſupra §.

 12. h. c.

12. b. c. non de Miniſterialibus Regis & Principum privatis, ut Hertius *de hominibus propriis ſect. 4. tom. 2. vol. 1. opuſc.* ſed publicis Imperii loqui; proindeque (2.) ei nec de miniſteriis palatinis ſeu aulicis, ſed de militaribus Regni potius ſermonem eſſe; (3.) Miniſteriales, ſeu ſervos ejusmodi regni, ſexto clypeo militari, ſeu Nobilitatis gradui, adſcriptos videri; (4.) eos ſpeciatim ſervos ſeu miniſteriales dictos, non tam quod Regno ſervirent, cum tali miniſterio eminentior etiam Nobilitas obnoxia eſſet, per §. *31. b. c.* quam ob conditionem & ſtatum ſuum, quem ſecundum diverſum Nobilitatis ordinem ſortiebantur, & ſago magis quam toga uterentur; (5.) hanc conditionem eorum non aliter, niſi impetrata a Rege venia ſeu manumiſſione, mutari ſolenne fuiſſe; per *d.* §. *31. b. c.* (6.) militiam olim honoribus reipublicæ accenſitam eſſe; per §. *12 b. c.* eoque (7.) ſolos fere Nobiles ejus participes fuiſſe, ceteris omnibus horum jurisdictioni & ruſticæ ſeu ſervili conditinni obnoxiis, quales ut in aliis plerisque rebuspublicis, ita aliquando in Germania etiam, ab officiis & miniſteriis publicis removebantur; (8.) exſtructis in Germania urbibus, & religione Chriſtiana, quæ ſingularis Dei clementia eſt, invaleſcente, multos ruſticos, ordini civico exhinc annumeratos, & priſtino ſervili ſtatu, Nobiliumque inferiorum jurisdictione, liberatos, ad dignitates cum militiæ, tum Cancellariæ, paulatim adſpiraſſe; indeque (9.) ſeptimum clypeum militarem & nobilitatis gradum originem trahere, ita tamen, ut (10.) miniſteria pala-

palatina ſeu aulica ſolis Nobilibus fere etiamnum relinquantur, imo in aliis etiam, ob generis ſplendorem & majorum merita, ignobilibus, ceteris paribus, merito anteponantur; (11.) Nobiles etiamnum negotiationes & munera civica averſari, & vel litterarum ſtudiis, vel militiæ, vel agriculturæ & pecuariæ operam dare, Majorum, qui luxum urbicum infra dignitatem & fortitudinem ſuam putabant, veſtigiis inſiſtentes; hincque (12.) negotiationibus ejusmodi Nobilitatem vere contaminari, recte exiſtimantes; (13.) homines ruſticæ conditionis hodie, quam olim, liberioris fortunæ eſſe; proindeque (14.) a civico ordine parum diſtare.

2. *ratione terrarum ſuarum*) ſi quas ab Imperio feudi & miniſterii bellici lege acceperint; præter quos alii etiam ſervi nobiles, prædia allodialia poſſidentes, non tam horum, quam ſubjectionis & dignitatis ratione inita, Regno ſerviunt, per Animadv. *1. ad §. 12. h. c.* Nec obſtat Specol. Saxon. *c. l.* ut quod de Miniſterialibus, qui manumiſſione regia interveniente, & prædiolo, ſalarii vice, accepto, Scabini effecti ſunt, loquitur.

3. *Hinc enim ſequitur*) ego hic ſubſiſto, propterea, quod prædiorum allodialium etiam poſſeſſores ſervi dicuntur, ob ſtatum nimirum & conditionem ſuam, clypeo inferiori adſcriptam; liberi autem, qui potiori cuiquam Nobilitatis loco annumerati ſunt; quanquam & hi Imperio ſerviunt. repet. Animadv. *ad §. 12. h. c.*

§. 31.

§. 31. *domino privato*) qualis hactenus Rex etiam, & multo magis Principes ſinguli, habentur, qua ab utrisque Regnum diſtinguitur.

2. *a ſervitus Regni*) militaribus ſcil. qua hæc ſpeciatim Miniſterialibus & ſervis nobilibus, conditionis & ſtatus ratione habita, incumbunt; dum generatim quicunque Imperii cives ſervitiis publicis obnoxii habentur, niſi quidam eorum ſigillatim excepti ſint, ut de Archiducibus Auſtriis ſupra dictum, Animadv. *2. ad* §. *12. c. 3.*

§. 32 *nobiles mediati*) quod ſi verum, nobiles mediati etiam Imperio vel ipſi, vel per ſubſtitutos, aut ſoluta certa onerum publicorum parte, ſervire tenebuntur, quorum tamen ſervitia hodie Principes ſibi potius vindicant.

2 *liberos a ſervitiis dici*) ſed vid. Animadv. *2. ad c.* §. *12. h. c.*

§. 34. *a miniſteriis tamen regni exemti*) Sed hos magis ob nobiliorem ordinis & dignitatis rationem, quam ſervitiorum publicorum immunitatem, liberos dici, veroſimilius eſſe puto, per Animadv. *3. ad* §. *30. & 2. ad* §. *31. h. c.*

§ 35. *uti in partibus mediatis regulariter*) hodie ſcil. aliter atque olim.

2. *ab alio terras recipiunt*) qui adeo ratione nexus feudalis mediati, quoad ſubjectionem vero immediati ſunt. vid. Animadv. *3. ad* §. *2. c. 19.*

§. 39. *in terris mediatis*) in immediatis enim, ut Suevia & Francia, Principes & Dominos a Ducum provinciarum poteſtate liberos fuiſſe, exerte dicit Autor infra §. *41. h. c. &* §. *5. c. 25.* verum

rum diſcrimen terrarum mediatarum & immediatarum, quantum ad antiquiora Germaniæ tempora, de quibus Noſter hic loquitur, fere inane eſſe, oſtendimus ſupra ad §. *1. - 7. c. 9.* Unde ea, quæ *h. & ſeq.* §. *40.* traduntur, oppido vacillant, Principum præſertim ratione inita. Quosdam enim, qui ante §. *35. 36. 37. & 38. h. c.* ad ordinem Dominorum referuntur, vel feudi lege, vel ſtrictiore etiam ſubjectione, Ducibus aliquando obſecundaſſe diffiteri nolo, eoque antiquos Holſatiæ Comites refero, quos Duci Saxoniæ ante Henrici Leonis proſcriptionem quodammodo dicto audientes fuiſſe certum. vid. §. *45. c. 3.* Hisque Marchiones Bavariæ, de quibus illico ſequitur, adjungendos eſſe puto.

2. quatuor Tetrarchas) quos ſive ſubditos ſive vaſallos tantum Ducis Bavariæ dicas, ad ordinem Imperii Principum certe referri nequeunt, at quibus propriam immediatamque poteſtatem tribuit Noſter §. *5. 13. 24. & 26. h. c. it.* §. *2. c. 19.* Sed nec adeo ſtrictam horum quatuor Bavariæ Marchionum ſubjectionem ratione Ducatus ejusdem fuiſſe, ut quidem Idem cum Aventino, Scriptore novo, contendit, inde liquet, quod antiqui Bavariæ Duces ante ſeculum nonum a provinciæ hujus Proceribus ex Agilolfingorum genere electi dicantur ſupra §. *6. c. 3.* Ceterum, quo tempore dicti quatuor Marchiones Bavariæ Ducatu exemti ſint, traditur ibid. §. *12.*

3. de Saxonia) concedo hoc de quibusdam, qui Dominorum ordini accenſentur; nego vero, quan-

quantum ad Principes, Saxonia comprehenſos, ſecundum Animadv. *1. adh.* §. Nec Autoris noſtri ſententia ſpecul. Saxon. probatur; dum ibi non dicitur, ſeptem vexilla feudalia, quibus ipſe Saxoniæ Ducatus annumeratur, huic ſubfuiſſe, ſed hoc ſolum refertur, ea in Saxonia ſita eſſe, cui reliqua ſex vexilla feudalia ideo accenſita videntur, quod ad Vicariatum Saxonicum ſpectent, olimque in iis omnibus & ſingulis uſus juris Saxonici obtinuerit, qui hodieque in plerisque eorum ſupereſt, & quidem non ſubjectionis lege, ſed ſpontanea receptione. compar. Animadv. *ad §. 57. c. 3.*

4. *Marchia Brandenburgica*) at hæc non minus, quam Thuringia Miſniaque, inter feuda Saxoniæ vexillaria *cit. Spec. Saxon. loc*, enumerantur. Quo ergo jure Noſter illam, qua talem, hoc loco excipit, eodem & hanc utramque excipiendam cenſeo.

5. *juſtos Ducatus*) at neque Comitatum Palatinum Franciæ, neque MarchionatumBrandenburgicum ab Imperio unquam Ducatus effectos, ſupra aliquoties notatum, quanquam Ducatuum antiquorum ſeu Archiofficialium jura iis poſtea, cum Archiofficiis augerentur, indita eſſe, negari nequeat.

6. *paruiſſe conſtat*) concedo, quantum ad Vicariatum Saxonicum, nego vero & pernego, quantum ad ordinariam Saxoniæ Ducis poteſtatem. Neque id Autorem usquam probaſſe recordor.

§. 40. *Ducis poteſtate exemti*) hos vero jam ante

te ea poteſtate exemtos fuiſſe, ad §. præced. *39. h. c.* adnotavimus, exceptis tamen Bavariæ Marchionibus, qui ideo ratione antiquioris ſtatus ſui Principibus accenſeri nequeunt.

§. 41. *in terris immediatis*) harum vero & mediatarum diſcrimen olim fere nullum fuiſſe, animadvertimus ſupra *ad c. 9. §. 1.-7.*

2. *inferre ſubjectionem*) quia homagium a vaſallagio diſtinctum; hodie tamen in terris mediatis utrumque regulariter conjunctum eſt. Unde ibi ſimultanee inveſtiti etiam, ubicunque degentes, in cauſis tam allodialibus quam feudalibus, nec minus in judiciis perſonalibus, quam realibus, jurisdictionem domini feudi ſuſpiciunt & ſuſpicere tenentur. Struv. *Exercit. ad ff. 9. th. 54.* ceterum add. Animadv. *1. ad §. 50. c. 3.*

§. 42. *uti ſunt*) vid. ſupra §. *11. c. 11.* & §. *2. c. 13.*

§. 43. *mere adminiſtratoria*) quam a libera Regum collatione pependiſſe Noſter dixit ſupra §. *ult. c. 7.* ubi nos in Animadv. huic ſententiæ dicam ſcripſimus. Et fruſtra objicitur vulgo, Germanos Francorum armis ſubactos eſſe, indeque his abſolutam in iſtos poteſtatem quæſitam videri; quandoquidem Franci Germanis penitus ſubigendis impares fuerunt, & præterea populum tam ferocem, eoque jugi impatientem, ut majores noſtri fuerunt, libertate priſtina prorſus exuere, regulis prudentiæ, quas Franci optime calluerunt, adverſabatur.

2. *his gradibus*) quos agnoſco quoad plenitudinem poteſtatis Imperii Ordinum, nequaquam

vero

vero quantum ad habendi modum. Etſi enim hæc poteſtas ab omni memoria propria perpetuaque fuit, eam tamen, antea quam hodie minorem, poſtea ab interregni magni tempore gradatim auctam, & regiam contra imminutam eſſe, certum eſt. conf. Animadv. ad *§. 1.-7. c. 9.*

3. *reddita poteſtas*) at ſi regnum Francicum ſub Carolingis etiam electivum fuit, ut Noſter recte docet ſupra *§. 13. ſeqq. c. 7.* ſingulis Germaniæ provinciis populisve poteſtas ſua non demum poſt Carolingorum deceſſum, ſed pridem ante, & toties quidem, quoties aliquis Regum ſtirpis ejus vita exceſſit, reddita videtur.

4. *ſinguli populi*) Qua parte Noſter ſibi contrarius videtur, dum hoc loco provincias, quæ ante Francorum victorias regiam poteſtatem habuerunt, (quibus, juxta cum Bavaria & Saxonia, Francia & Suevia comprehenduntur, ſecundum *§. 17. h. c.*) poſt Carolingorum Germaniæ Regum deceſſum demum, propriam poteſtatem & jura regalia nactas, & conſequenter has omnes mediatas factas eſſe, *per §. 2. & 3. c. 9.* indifferenter pronunciat; infra *§. 41. h. c. & §. 5. c. 25. it. §. 1. & 6. d. c. 9.* autem Saxoniam cum Bavaria provinciam mediatam, i. e. jure, fiſco & magiſtratu proprio prædiatam; & præterea Franciam Sueviamque partes regni Francici immediatas, h. e. proprio jure, fiſco & magiſtratu deſtitutas, perpetuo & a prima ejus regni origine, eoque ſub Carolingis etiam, in hodiernum diem usque fuiſſe, ſtatuit. Hinc ergo vides, diſcrimen terrarum mediatarum & immedia-

diatarum antiquum ab ipſo Autore ſuo, qui Illuſtr. Dom. de Cocceji noſter eſſe videtur, peoitus deſtrui. add. Animadv. *ad §. 1. - 7. c. 9.*

5. *nec temere excluſi*) id quod Ducum ſucceſſionem hereditariam evidenter arguit. Et quanquam, liberam eis ſucceſſionem aliquando defuiſſe, certis & liquidis antiquitatis monumentis forte demonſtrari poteſt; eam tameo magis ſingulorum populorum, quam Regis arbitrio temperatam eſſe, perſuaſum habeo, per ea, quæ adnotavi ſupra ad §. *ult. c. 7.*

6. *Diviſis deinde provinciis*) quod proſcripto Henrico Leone demum contigiſſe, Noſter aſſerit ſupra *§. 39. & 40. h. c.* nos vero e contrario ad antiquiora tempora rejecimus *in Animadv. ibid.*

7. *revocari potuiſſe*) quod de feudis minoribus Germaniæ, quin etiam de majoribus Italiæ concedo; de feudis majoribus illius autem nego & pernego. vid. Animadv. *2. ad cit. §. ult. c. 7.*

8. *Exducum, Excomitum*) quorum illos militiæ tantum, hos vero pagis vicisque præfectos, adeoque minores fuiſſe, ſuſpicor. At de talibus hic nulla quæſtio, ubi de provinciarum Ducibus & Comitibus majoribus, quibus minores illi ſubfuerunt, nobis ſermo eſt.

9. *nedum in officiis Germaniæ*) quin contra certius eſſe puto, officia Germaniæ prius, quam feuda Italiæ, certis familiis hæſiſſe. conſ. Animadv. ad *§. 20. c. 6. & §. 12. c. 7.*

10. *in rem ſuam*) ſed vid. Animadv. ad §. *6. h. c.*

Ad Cap. XVI.
De Vicariis Imperii.

§. 1.

TEmporarii) de quib. infr. §. 12. h. c. ubi Animadv.

2. *perpetui*) ut Palatinus & Saxo. *infr. §. 10. ſeqq.*

3. *provinciæ ſeu Ducis*) quo Noſter Comites Palatinos Germaniæ refert, quos non regni tantum, ſed Ducum etiam, Vicarios olim fuiſſe dicit, *§. ſeq. 2. h. c.* Sed perperam, me quidem judice. Nam Palatini Comites Cæſaris jurisdictionem & res ſeu reditus fiſcales in provinciis Ducum curarunt, *ſupra §. 16. c. 15.* & proinde his oppoſiti magis, quam Vicarii eorum videntur, Ducibus tamen ordine inferiores. *§. 14. ſupr. ibid. & §. ſeqq. 2. h. c.*

§. 2. ac Ducum ſeu provinciæ) ſed vid. Animadv. *3. ad § præced. 1. h. c.*

2. *vel Ducalis*) Quin ſolius regii, per Animadv. *præced.*

§. 3. oſtenſum eſt) quod utrumque tamen negavimus ſupra ad *§. 19. c. 15.*

2. *ut Comes Palatii regni*) quod tamen mihi nunquam veroſimile viſum. Nam Comes Palatinus, ceu regius Vicarius, mortuo Rege, majorem poteſtatem, quam eo abſente vel præſente, habere nequit. Sed habet tamen uterque Regni Vicarius, Palatinus & Saxo, mortuo Rege, jurisdictionem regiam in Principes pariter ac ceteros Imperii ſubdi-

ſubditos immediatos, qua contra Comes Palatinus, qua talis, Rege vel præſente vel abſente, caret, per Animadv. *3 ad* §. *25. c. 15.* Quapropter Comitatus Palatinus pro cauſa Vicariatus haberi nequit. Deinde Comes Palatinus Ducibus Archiofficialibus ordine inferior eſt, per §. præc. *2. h. c.* & *§. 14. ſeqq. t. 15.* Unde illi ab hiſce regiam poteſtatem vacante Imperio conceſſam eſſe, difficulter perſuadeor, ut quod communi hominum naturæ refragatur.

3. *non ut Elector, neque ut Archidapifer*) quod tamen nobis contra probabilius videtur. Nam duplex jus Germanicum vetus, Saxon. & Suevicum ſeu Francicum, duplicem Vicariatum poſtulare videbatur, per tit. *5. A. B.* illis ex naturali ratione deferendum, qui in provinciis utriusque juris omnes alios Proceres præcederent. Talis vero in partibus Imperii, juri Saxonico addictis, eſt Dux Saxoniæ; &, extinctis Franciæ Sueviæque Ducibus, ac commutata Archiofficii Lotharingici ratione, in terris juris Franc. ſeu Suevici Archidapifer & Elector Palatinus. Quo etſi tres Archicancellarii Imperii ordine ſuperiores ſunt, iis tamen, velut Clericis, Vicariatum regni vacantis, officium ſeculare quippe, deferri, parum conveniens viſum, per tit. X. *ne clerici vel monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant.* Neque etiam Ducatus Bavariæ, Vicariatu Palatino comprehenſus, impedire potuit, quo minus Palatii Francici Comes, præ illo, Vicariatu potiretur, poſtquam Bavaria Archidapiferatus officio eligendique jure excidit, & utrumque

S 2 dicto

dicto Comiti aſſertum, atque per A. B. ſanctionem publicam confirmatum eſt. Ex hoc enim Comes Palatinus Franciæ, ceu Archidapifer & Elector, Bavariæ Duce ordine ſuperior evaſit, eo contra antehac inferior. Et quanquam, quod ad Saxonicum Vicariatum attinet, Bohemia olim jure Saxonico uſa, ſecundum *§. 7. c. 23.* ac præterea Rex ejus Imperii Archimareſchallum ordine præcedit, per tit. *4. A. B.*; hunc tamen, in Vicariatu Saxonico capeſſendo, iſti nihilominus præferri; æquum juſtumque viſum, tum quod Saxonia juris ejus nominis matrix habetur, tum quod huic Vicariatus ante quæſitus, quam Bohemia regni & Archipinceroatus honore exſplenduit. add. *§. 11. extr. h. c.* Hinc ergo duplex ille Regni Vicariatus.

4. *ab omni memoria)* ego hic ſubſiſto. Nam Comes Palatinus Rheni ante ſeculum 12. non extitit, adeoque Vicariatum Franc. ſeu Suev. gerere non potuit. vid. *§. 94. - 99. c. 3.* & ibi Animadv. Neque adeo vero abſimile videnir, ut & Verpoortenn. exiſtimat *oratione de Ducatib. in vet. Germ. regno heredit. §. 5. annot. 10.* eum antehac Ducatui Franciæ Sueviæque innexum fuiſſe. add. *§. 10. extr. h. c.*

5. *Ipſe Eginhardus)* at hic cit. loc. de Majoribus domus Merovingorum Regum loquitur, a quibus Comes Palatinus Rheni diverſus eſt, proindeque, quod de illis dicitur, ad hunc trahi nequit. add. Hert. *Notit. regn. Francic. veter. c. 3. §. 10. tom. 1. opuſc. Vol. 2.*

6. *Palatinum Rheni Comitem)* ita quidem legitur in editione Chron. Lauriſh. Freheriana h. l.

cit

cit. in aliis vero vox: *Rheni*, omittitur, teſtante Goldaſto *loc. ſupr. §. 98. c. 3. cit. in margine.* add. Animadv. ibid.

7. *antiqua ordinatio*) at hæc, teſtante ipſo Goldaſto cit. loco in margine, ad regnum Hungariæ, non Germaniæ, de quo hic, pertinet.

§. 4. *Palatino Rheni*) quod ego non de Comite, ſed Archidapifero & Electore capiendum exiſtimo.

1. *Comitatus Palatinatus Rheni*) at huic Archidapiferatus cum Electionis jure cohæret, & proinde, Comitatu ſolo expreſſo, iſte, hoc quippe comprehenſus, inde ſemoveri nequaquam debet, add. *§. ſeq. 5.*

3. *Comitatui Palatii Rhenani*) ſed vid. annot. præced.

§. 5. *utroque textu dicitur*) ubi tamen non tam ipſum Comitatum Palatinum, quam Archidapiferatum cum eligendi jure innui, ratio jubet. vid. Animadv. *2. ad §. 3. h. c.* Idque inde etiam liquet, quod cit. A. B. tit. 5. ubi ſimul Vicariatus Saxonicus confirmatur, omiſſo Saxoniæ Palatinatu, ſolus Dux & Archimareſchallus nominatur. add. jus feud. Alemann. *c. 42. §. 5. edit. Schilteriana.* Præterea terræ Palatinæ tam Archidapiferatus & Electoratus, quam Comitatus Aur. Bull. tempore inhæſit, quare hoc ſolo nominato, neuter illorum propterea excluſus exiſtimari poteſt.

2. *unice inſidere*) quod tamen per Animadv. præced. valde dubium eſſe exiſtimo.

§. 6. *de jure Electorali*) quod tamen ipſi Ar-

chiofficio inſeparabiliter inhæret, adeoque translato iſto, hoc etiam translatum videtur. Adhæc Palatinatus Rheni cum Archidapiferatu & Electoratu proſcripto ob motus Bohemicos Friderico V. ablatus, & Maximiliano, Bavariæ Duci, anno 1623. interveniente inveſtitura Cæſarea, datus eſt. vid. §. *ſeqq. 7.* & add. Schilt. *l. 1. Inſtit. jur. publ. tit. 18. §. 7. n. 4.* Nec illius filio, Carolo Ludovico, poſtea per cit. pac. Weſtph. de hisce, præter Comitatum Palatinum Rheni, quicquam reſtitutum eſt. Unde, ut Electoratum Palatinum, ita Archidapiferatum cum Vicariatu inde pendente etiam, penes Bavariæ Ducem manſiſſe, cenſeri debet.

2. *ſpontanea transactione)* de qua ſupra §. 4. 6. 13.

§. 7. *ipſe Electoratus ſeu Principatus Electoralis)* imo contra hic translatus fuit, & ſolus Principatus Palatinus cum terra, cui inhæret, dicto Carolo Ludovico reſtitutus.

2. *reſtituſſi anno 1623. actis)* non univerſim tamen, ſed particulariter tantum, quantum ad Principatum Palatinum nimirum, proſcripti Friderici V. filio reſtitutum, Electoratu Palatino cum Archiofficio & Vicariatu penes Bavarum manente.

§. 8. *compoſitio tentata)* cujus capita exhibet Schilt. *tom. 2. Inſtit. jur. publ. extr. in Paratitl. de Capitat. p. 29. ſeqq.*

§. 9. *bipartita Germaniæ diviſio)* qua diviſione Noſter dupliciter utitur, primo generatim univerſam Germaniam, ut hoc loco & ſupra §. 7. c. 9. deinde ſpeciatim ejus partem immediatam, in

ſupe-

ſuperiorem & inferiorem dividendo, add. *§. 8. d. c. 9.*

2. *Regium jus*) quod nomen cur juri Francico Suevicove magis, quam Saxonico impoſitum ſit, non video, cum utrumque a Regibus confirmatum; & præterea Francis Suevisque & Bavaris pariter ac Saxonibus ab omni memoria autonomia ſua relicta fuerit, vid. Animadv. *2. ad §. 2. cap. 9.*

3. *Suevicum quoque appellatum*) cujus appellationis rationem reddit Noſter ſupra §. *9. n. 4. c. 9.* Sed videtur tamen jus Salicum ſeu Francicum a jure Suevico, olim ſaltem, diverſum fuiſſe.

4. *ad jus provinciæ Saxonicæ*) verum obſtat, Vicariatu Saxonico comprehendi provincias extra Saxoniam ſitas, ut Vandalicas, illique ob uſum juris Saxonici tantum, ut videtur, ab antiquo innexas. *§. 39. extr. c. 15.* Magis itaque Spreng. & Limn. ſententia, ab Autore hic in contrarium allegata, ſe nobis probat, quæ & A. B. ſanctioni tit. 5. ibi: *in his locis, ubi Saxonica jura vigent*, conveniens eſt. Nec Vicariatui Saxonico quicquam officit, quod jus Saxon. in quibusdam partibus ejus nunc abrogatum ſit, ut quod ſalvo Regni Vicariatu, per ſanctionem publicam longumque uſum ſtabilito, factum cenſeri debet, nec inconſulto Imperio & Sax. Electore ad ejus imminutionem valere poteſt.

5. *duplici jure*) a quo ſolo in A. B. c. l. duplex Regni Vicariatus arceſſitur, Palatino & Saxoni, ordinis ratione inita, delatus. Unde altera cau-

ſa ejus, quam Noſter in priori *h.* §. parte à Germaniæ bipartita diviſione depromit, minus probabilis videtur.

6. *congruit*) cui tertiæ Vicariatos Saxonici cauſæ obſiſtit, quod aliæ pariter Germaniæ provinciæ, ac Saxonia, a Regibus Francorum libertati ſuæ quodammodo relictæ, Vicariatu nihilominus carent. vid. ipſe Autor §. *2. c. 9.* & ibi Animadv. *2.* quod ſane ejusmodi eſt, ut hæc cauſa pro adæquata haberi nequeat.

§. 10 *reliqui tamen*) quod ſi vero Comitatus Palatinus pro fundamento Vicariatus ſubſterni nequit, ut ex Animadv præced. apparet, de Palatinatu Sueviæ Bavariæque hoc loco ſruſtra movetur dubium, neque adeo, ejus removendi cauſa, utrumque hunc Palatinatum mediatum fuiſſe, ſtatui neceſſe eſt.

2. *ſaltem provinciæ ſuæ*) nec minus Franciæ Palatinum Comitem huic provinciæ tantum præfectum eſſe, demonſtratum ſupra Animadv. ad §. *19. c. 15*

3. *Hinc duo Regni Vicariatus*) quam tamen cauſam deſtruximus jam ſupra Animadv. ad §. *3. ſeqq. h. c.*

§. 11. *Rothwilenſe judicium*) velut particulare, non univerſale; nec ſummum, ſed ſubordinatum, indeque a Vicariatu Saxonico ſeparatum, aliter atque judicium Camerale, quod ut ſummum & generale ad utrumque Vicariatum pertinet. vid. ſupra §. *10. extr. c. 9.* & infra §. *40. & 45. c. 32.*

2. *jus*

2. *jus provincia Saxonica*) ſed vid. Animadv. 4. *ad* §. 9. *b. c*.

3. *Haſſia & Thuringia*) quod quatenus admittendum, dictum Animadv. *ad* §. 39. *c*. 15.

4. *ex cauſis c*. 4. *allatis*) ſed vid. ibi Animadv. ad §. 3.

5. *ejus quoque regni*) Quo Ducatum Sabaudiæ & Pedemontii refero, regno Germanico, adeoque Vicariatui ejus etiam, innexum. Nam propter Rocheveranum, Olnum & Cæſolam Sabaudiæ Dux ab imperio & Vicariatu Germaniæ immunis eſt. add. Schurtzfleiſch. *Diſſert*. 67. *de Diviſion. imperii Carol*. §. *ult*. *p*. *m*. 913. *b*. *ſeqq*.

6. *aliisve*) de quibus Schurtzfl. *c*. *l*. videndus.

7. *nec alia regna*) neque Lotharingiam, ſive ſuperiorem ſive inferiorem, Imperii quippe ordinaria juriſdictione exemtam, ſupra Animadv. 2. *ad* §. 33. & 2. *ad* §. 35. *c*. 5.

8. *Papa contendit*) adſtipulante Hugone Grotio *l*. 2. *de jur. bell*. & *pac*. *c*. 9. §. 11. *n*. 4. Quanquam autem quod idem Grot. *c*. *l*. dicit, Regi Germanorum imperium Romanum per approbationem Romanam demum deferri, ſupra Animadv. 9. *ad* §. 16. *c*. 6. confutavimus; hæc tamen altera Grotii, de Papæ vicaria vacantis imperii Romani poteſtate, ſententia adeo abſurda non videtur, ut vulgo quidem plerique exiſtimant, dummodo, ut Germaniæ, ita Italiæ etiam, regnum ab imperio Romano, pro ut par eſt, diſtinguatur, hujusque, ceu primarii territorii Romani, finibus Vicariatus Pontificis terminetur; quando Vicariatu

ejusmodi imperium Germanorum Romanum continuatur agnoſciturque, ſalvo tam Sabaudiæ Ducatus Italico, quam Bavariæ Saxoniæque Germanico Vicariatu. Ut proinde Germaniæ in Exarchatum jus magis dilatetur, quam imminuatur, ſicubi imperii Romani Vicariatum Pontifici adſcripſeris, præſertim cum id nec Italiæ, nec Germaniæ regni Vicariatu comprehenſum ſit. Quanquam Papam hodie, ubi ſe Imperatore vivo ſuperiorem eſſe contendit, ſecundum §. *23. c. 6.* Exarchatus Vicariatum vacante Imperio agnoſcere vix credo.

§. 12. *minore*) cui olim Curatores a primariis regni Principibus dati; *ſupra* §. *10. c. 14.* quorum munus ordinatii ejus Vicarii in ſe receperunt, *cit. art. 47. Capitul. Joſeph.*

2. *abſente poſſunt*) conſentientibus ſcil. Vicariis ordinariis. Nam Principes primarii, Regem eligentes, virtutes ſingulares in eo ſitas reſpiciunt. Quemadmodum autem omnia pacta, virtute & dexteritate haud vulgari, vel unius tantum, vel utriusque, paciſcentis innixa, tam ſubſtitutionem, quam hereditariam ſucceſſionem reſpuunt; ita pactum Regis & Procerum, eum eligentium, pariter intra perſonam illius conſiſtit, nec his invitis in alium, ad tempus aut in perpetuum, transferri poteſt, præſertim cum talis ſubſtitutio aliquando Regnum in periculum adducere, & certiſſimas turbas æmulationesque parere apta ſit, ſi eam extraneus aut Principum Imperii aliquis, prætermiſſis Vicariis ordinariis, ſubeat. Et quanquam A. B. ſanctio

tit.

tit. 5. de imperio per mortem Regis vacante tantum loquitur, ideo forte, quod Papa tum temporis, & ante, mortuo Rege, vicariam Imperii poteſtatem ſibi aſſerere auſus eſt; ibi tamen ordinariis Vicariis Regni adminiſtratio, abſente Rege, ne verbulo quidem interdicta, nec usquam Regi abfuturo ſubſtituendi facultas libera conceſſa eſt. Quare vero propius accedere videtur, ſubſtitutionem ejusmodi, invitis Vicariis ordinariis, longo uſu & A. B. ſanctione approbatis, irritam eſſe. Schilt, *l. 1. Inſt. jur. publ. tit. 18. §. 6.* Nec exempla, quæ vulgo in contrarium objiciuntur, adverſæ ſententiæ robur conciliare valent. Præterquam enim, quod hæc facti, non juris ſunt; ſi quando Vicarii, lege publica conſtituti, ſubſtitutionem, a Rege extra Germaniam abituro factam, expreſſe vel tacite ratam habuere, id ad conſequentiam, atque eum etiam caſum, ubi illi diſſenſum ſuum aperte declarant, trahi non debet. Exemplum ſane Ferdinandi I. a Carolo V. ſubſtituti id nequaquam probat, dum iſte pridem ante Rex Romanorum electus, & ita tam ab ordinariis Vicariis, quam ceteris Archiprincipibus approbatus erat; multo minus art. *3. Capitul. Carol. V.* ut qui de Regimento cum univerſi Imperii conſenſu per Maximil. I. inducto loquitur, ceterum Vicariorum ordinariorum jure expreſſe reſervato.

§. 13. der Fahnen-Lehn) quæ ut & alia Imperii feuda immediata utrum pro datis, an vero oblatis habenda ſint? diſquiritur. Ubi nos cum iis facimus, qui ea ad feuda data referunt, qualia a

prima

prima Francici & Germanici regni origine fuerunt. Conſtat enim, Proceres Germaniæ, ante per ſingulas easque modicas respublicas ſparſos, Francorum imperium non ſponte, ſed armis coactos, ſubiiſſe, iſtisque provincias, Martis arbitrio amiſſas, ab hisce, victoribus quippe, feudi & ſubjectionis lege redditas eſſe, prout late oſtenſum ſupra *c. 3.* Quo in ſtatu & conditione eas porro perſtitiſſe, tamdiu pro certo habendum, quoad contrarium certis & liquidis argumentis non demonſtratur, quia mutatio non præſumitur. Nec in contrarium nos movet, quod quidam cum Monzamb. *de ſtatu reip. Romano-German. c. 3. §. 4.* objiciunt, Germanos poſt Regum Carolingorum deceſſum ſui juris factos, proindeque Conradum I. hujusque ſucceſſores cum regia poteſtate directum feudorum Imperii dominium a Proceribus per electionem accepiſſe. Ut enim impræſentiarum omittam, quod ſupra Animadv. *3. ad §. 5. c. 1. & ad §. 18. c. 7.* monui, Conrado I. hujusque ſucceſſoribus eandem poteſtatem per electionem Procerum datam cenſeri debere, quam antehac Carolingi receperunt, quamdiu jactata a diſſentientibus reſtrictio ejus non docetur; verum quidem eſt, per mortem Regis electi univerſos Proceres obſequio, iſti vivo præſtito, ſolvi, & hactenus ſui juris fieri; quantum ad ſingulos autem, de quibus jam quæritur, id falſiſſimum eſſe, nemo, puto, inficias ibit, reputans ſecum, idem imperium, quo Rex defunctus polluit, tam per Interreges, qui vulgo adminiſtratores Regni audiunt, quam Regem novum poſt electum

conti-

continuati, quoad Imperii corpus non diſſolvitur, ut egregie docet Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 9.* Conſentit nobiscum Illuſtr. Dn. Thomaſ. *§. 19. diſſert. de lib. veter. de beneſic. uſu*; it. Hertius *de feud. oblat. part. 1. §. 15. tom. 2. Volum. 2. Opuſc.* cujus tamen rationes, pro ſtabilienda hac ſententia in medium allatas, noſtras haud facimus; quanquam alioqui lubens fateor, hanc quæſtionem inadem prorſus eſſe, cum feuda oblata pariter ac data ordinariam feudorum naturam ſequantur, niſi in contractu feudali aliud actum ſpeciatim doceatur. Ceterum per feuda vexillaria *cit. A. B. loc.* denotantur, quæ alias regalia nuncupantur, ut Principatus, Comitatus & Baronatus; quibus feoda Epiſcoporum, quæ ab Imperio tenent, & vulgo Sceptterlehn audiunt, exæquantur, de quibus infra §. *22. c. 18. & tit. 3. §. 17. 18. 19. & 20. Hypomnem. feud. Autoris.*

2. *nec Regi licita*) prout demonſtratum ſupra §. *15. ſeqq. c. 9.* ubi Animadv. addantur.

3. *impedire potuit*) quod & articulus *3. Capitulat. Caroli V.* ſatis teſtatum facit.

4 *jus primariarum precum*) ſed quid faciemus cit. A. B. tit. 5. ubi Imperii Vicariis ad beneficia eccleſiaſtica præſentandi facultas conceſſa, ſi iisdem primariæ preces, velut Regi ſoli competentes, interdictæ cenſeri debent? Sane inveſtitura ſeo confirmatio eccleſiæ Prælatorum, a Capitulis electorum, eo referri nequit, dudum ante A. B. ab Heorico V. Cæſare in Papam translata, prout infra *§. 20. 21. & 22. c. 18.* late exponitur; neque etiam

jam jus Patronatus ſeu præſentandi, Papæ quippe, Epiſcopis aliisque ordinis eccleſiaſtici Collatoribus regulariter competens. *infra §. 11. ſeqq. c. 22.* Verum ſalva res eſt. Quantumvis enim ab Henrico V. jus inveſtiendi, ut & præſentandi, univerſim abdicatum, relictum tamen Imperatori fuit non tantum arbitrium eligendi & conſtituendi in caſu diſſidentium Epiſcoporum, aut Capituli; ſed & hinc inde collatio præbendarum & beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ pars juris Regaliæ eſt, atque ad Regem, ſub titulo Canonicatus, Imperatorio jure pertinet. Qua de re vid. infr. §. *4. c. 22.* & Schilt. *l. 1. Inſt. jur. publ. tit. 18. §. 3.* add. Gold *tom. 1. Conſt. ad ann. 1400.* & de ipſo jure primariarum precum, infra *§. 6. d. c. 22.*

§. *ratum habet*) add. Capitul. noviſſ. art. *3.* §. Wir ſollen und wollen auch alles das *&c.*

§. 14. *ex cauſa male geſti imperii vel alia publ.*) ubi tamen Comes Palatinus Rheni non libere judicat, ſed conſenſum ceterorum Archiprincipum expectare tenetur, ut Noſter tradit ſupra *§. 5. c. 8.* Quæ ſententia ſane legibus & monumentis hic, & in Exegeſi, allegatis apprime convenit, quorum plurima evidenter indicant, ex cauſa male geſti imperii vel publica, judicium a Comite Palatino inſtitui poſſe, ſicubi Collegis ſuis id placuerit. Verum hoc pacto judicandi facultas Comiti Palatino Rheni *tit. 5. A. B.* ſimpliciter & libere data, inanis prorſus redditur, ſive is ut pedaneus, ſive ut delegatus judex a ceteris Electoribus conſtituatur, dum utroque caſu judiciaria illius poteſtas horum

rum arbitrio obnoxia. *comp. Animadv. 5. ad d. §. 5. c. 8.* Quare rectius mihi ſentire videtur Strauch. *diſſert. jur. publ. 3. §. 7.* allegatam A. B. ſanctionem ad privatas Regis cauſas reſtringens, judicio, ubi, ex cauſa male geſti imperii & publica, de Rege deponendo agitur, univerſis Electoribus relicto.

2. *ſed conventus ipſe Regni*) quæ interpretatio §. *extr. tit. 5. A. B.* Autori neceſſaria eſt, qui ad Comitis Palatini judicium, ex cauſa male geſti imperii vel publica adverſus Cæſarem inſtituendum, conſenſum reliquorum Principum, Electorum ſaltem, requirit. Ubi vero hoc cum Strauchio ad cauſas Regis privatas reſtringas, conventus Regni vel Electorum minime neceſſarius erit, ſed judicium a ſolo Comite Palatino inſtitui poterit, ita tamen, ut aulam Regis ſeu locum, ubi hic præſens ſit, ſequi teneatur, quemadmodum Curia imperialis cit. A. B. loco ab ipſo Carolo IV. explicatur. Qua in parte a me diſſentit cum Autore Strauchius *d. l. §. 8.*

3. *in adminiſtratione Saxoniæ*) ita quidem ex mente Autoris noſtri dicendum, Comitem Palatinum Saxoniæ pro particulari, Francicum autem contra pro generali totius Regni habentis. Quod cum ex cauſis ſupra *ad §. 19. c. 15.* dictis vero perquam abſimile videatur, & proinde hactenus uterque pari paſſu ambulet; hinc differentia utriusque, ſive per conſuetudinem, ſive per A. B. demum inducta, quantum ad prædictum judicium ſcil., a libera Regis voluntate potius arceſſenda videtur.

4. *laudant*) ſed & virtus laudatur, quæ tamen

men plurimum algere in proverbio dicitur. Rariſſima enim, imo nulla pene, exempla proſtant, ubi Palatinus Rheni Comes eo jure in Regem uſus ſit. Unde id fere inane videtur, præſertim cum intra nudæ notionis & ſententiæ pronunciandæ modum conſiſtat, nec ad exequendi facultatem, veræ jurisdictionis nervum, porrigi queat, qua hæc deſtituta nulla dicitur *in l. ult. ff. de Offic. ejus cui mandata jurisdict.* Hinc inſigniter errant, qui vel imprudentia, vel Majeſtati Imperatoriæ detrahendi cauſa, dignitatem ac poteſtatem regiam dicto Palatini Comitis jure imminui, non minus publice quam privatim crepare audent. Nam & Galliæ Rex Parlamenti, & tam Elector, quam ceteri Saxoniæ Duces, aliique perplures Germaniæ Principes, Curiarum provincialium & Conſiliariorum ſuorum judicium in ſe prorogant, neque ipſi feudorum domini notionem ſententiamque Parium in beneficiariis cauſis detrectare ſolent. vid. Ordin. Cameral. *de anno 1555. part. 2. tit. 4. §. 4. inprimis*; it. Ordin. Curiæ provincialis Jenenſ. *c. 17.* & Strauch. *diſſert. 3. jur. publ. §. 8.* Quis vero tam inſipidus aut temerarius eſt, qui propterea eorum dignitati poteſtatique quicquam detrahi dicat? dum judicem non ab alio, ceu ſuperiore, inviti accipiunt, ſed ſponte, & ſingulari animi moderatione, ſibi ipſi conſtituunt. Atque judici ejusmodi Comes Palatinus Franciæ ſimilis prorſus eſt, nec ab eo ullo modo diverſus, ut quem ſibi ſinguli Germaniæ Reges, per Capitulationem Procerum jura, ſive lege, ſive more diuturno, quæſita, quibus hoc Palatini Comitis judicium comprehenditur,

confir-

confirmando, judicem ſponte eligunt, minime omnium vero ab Imperio inviti accipiunt, quippe quod Rege nequaquam ſuperius eſt, & proinde ei nolenti judicem proprie dictum dare nequit, ſive cauſas ejus publicas ſive privatas reſpicias. Quantum ad has enim res expedita eſt; iſtarum vero ratione inita, ſi quando Electores Cæſarem ab officio removent, nullam jurisdictionem, ſtricte intellectam, exercent, ſed eum hoc indignum duntaxat declarant, atque ubi is, ea declaratione inſuper habita, imperium dimittere nolit, vel arma opponat, in iſtum, velut æqualem ſeu parem, armis contrariis utuntur. add. Animadv. *2. ad §. 8. c. 8.* & Schilt. *ad c. 42. jur. feud. Alemann. §. 28.*

5. *cauſis vero privatis*) ſed repete Animadv. *praeced.* Ceterum ad cauſas privatas etiam refero, quando renovatio inveſtituræ, juſto tempore petita, Proceribus quibusdam, ceu ſingulis, a Rege denegatur, ut eſt in Spec. Suev. *l. 1. c. 20. §. 4.*

6. *ſi alium*) ſibi parem & ſummum, ut Regem & populum liberum, nemini niſi Deo obnoxium. Nam Proceres Germaniæ ſingulos ſi Imperator ex aliqua cauſa ſibi privatim devinctos habeat, eos coram ordinariis judiciis convenire tenetur, nec ſibi ipſe jus dicere poteſt. vid. Animadv. *9. ad §. 8. c. 8.*

7. *Unde nec*) quia cauſæ publicæ in Auguſtam non cadunt, privatæ vero Comitis Palatini judicio ex mente Autoris exemtæ ſunt. At cum e contrario nos illas exemtas, & has ſolum ei judicio obnoxias dicamus, ideo ratio, quare Auguſta excipiatur, inde potius arceſſenda eſt, quod ea Co-

T mitti

miti Palatino judicium in ſe permittere non ſolet.

Ad Cap. XVII.

De Civitatibus Imperii.

§. 1.

Civitas) qua voce hoc loco ipſa reſpublica deſignatur, cujus *cauſa impellens* eſt metus violentiæ; *modus conſtituendi*, pactum de ſummo imperio vel expreſſe vel tacite initum; *finis*, ſalus communis ſeu tranquillitas publica, quæ re militari, legislatione & juſtitiæ adminiſtratione potiſſimum obtinetur. Summum imperium ergo eſt propter populum ejusdem reip. non populus propter ſummum imperium; & proinde utilitas imperantium privata ſaluti communi merito poſtponenda; nec adeo ſummum imperium civile majus eſſe poteſt, quam ſalus publica requirit; cui ſi quid adverſum ſtatuatur, irritum invalidumque cenſeri debet. add. *§. 10. c. 4. & §. 2. c. 21.* it. Hugo Grotius *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 4. §. 7. n. 2. & 3.* Puſendorf. *l. 7. de jur. nat. & gent. c. 1. 2. & 3. & l. 2. de offic. hom. & civ. c. 5. & 6.*

2. *coetus perfectus*) ex pluribus oppidis, vicis atque pagis conflatus. add. Hug. Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 1. §. 14.* Quot vero pagi, vici & oppida, ad cœtum hunc perfectum requirantur, in puncto definiri nequit, uti nec, quoto grano addito vel demto, fiat vel deſinat acervus, certo determina-

terminati poteſt. In univerſum tamen ſi coetus perfecti ſeu civitatis quantitas definienda, ea ex conditione vicinorum metienda eſt, qui quo ad nocendum validiores vel invalidiores, eo major minorve oppidorum, vicorum & pagorum numerus ad coetum perfectum vel civitatem neceſſarius eſt.

3. *quaſi domicilium*) h. e. ſedes imperii & præcipuum civitatis oppidum, vulgo Reſidentz-Stadt, Haupt-Stadt, dictum.

4. *neque requiritur*) dum ex Autoris mente, hodie præſertim, ad urbis vel oppidi conſtitutionem jus muniendi, cum juriſdictione propria ſeu patrimoniali conjunctum, ſufficit, cui tamen inſuper negotiatio civica, bürgerliche Nahrung, accedat neceſſe eſt, ſecundum Animadv. *2. ad §. ſeq. 2. h. c.* add. infr. *§. 31. c. 23. & ibi not.*

§. 2. vici) qui Germanis proprie der Marckflecken nomine veniunt, de quibus paulo poſt *h. §.*

2. pagi) qui dupliciter accipiuntur, vel pro complexu multorum oppidorum, vicorum & pagorum, ſtricte dictorum, qui Germanis Orth, Canton, Pflege, Amt, Gau, dicitur, ut quatuor pagi Helvetiorum apud Jul. Cæſarem *l. 1. de bello Gall. c. 12. n. 5.* pagi centum Suevorum apud Eund. *c. 37. n. 3. it. l. 4. c. 1. n. 3. ibid.* pagi Morinorum, *d. l. 4. c. 22. n. 5.* & pagi Germanorum, ſupra *§. 35. c. 15.* vel pro parte ejusmodi pagi ignobiliori, quæ vulgo Dorff audit, agriculturæ & rei pecuariæ ſolum dedita; mercatu, opificiis & re cereviſiaria vinariaque ad urbes vel oppida reſtrictis, quibus lu-

xus in Germaniam invectus, priſcæ integritatis & fortitudinis corruptela, qua de re vid. Georg. Beyer *l. 1. Specim. jur. German. c. 11. & 16.* & Ordin. provinc. Saxo-Goth. *part. 2. c. 3. tit. 11.*

3. *ſequuntur jurisdictionem civitatis*) quod tamen cit. *l. 30. ff. ad Muncip.* minime dicitur, ſed ibi potius forum originis innuitur, quod quis jure Romano ibi ſortitur, ubi pater vel majores orti & cives effecti, etſi alibi natus eſſet, aut domicilium alibi institueret, quia hoc forum apud Romanos immutabile & neceſſarium habebatur, eoque tributa etiam conferebantur. Quæ cauſa eſt, cur Joſephum & Mariam, cum Judææ cenſus ex mandato Auguſti ageretur, etſi habitarent Nazarethi, oportuerit proficiſci Bethlehemum, unde Davidis poſteri, ut ibi cenſerentur. vid. Grot. *l. 2. de jur. bell & pac. c. 5 §. 24.* & ibi Gronov. *in not.* Non ergo omnes & ſinguli unius vici & pagi incolæ unius civitatis jurisdictionem ſequebantur, ſed unusquisque, habitatione alibi conſtituta, forum originis proprium, tum quoad jurisdictionem, tum quoad tributariam præſtationem, agnoſcere obſtrictus erat. Quæ tamen apud Germanos omnia longe aliter ſe habent, dum unicuique, forum originis deſerendi mutandique, & novi domicilii cum jurisdictionem tum tributariam præſtationem ſubeundi, libera facultas relicta; & jurisdictio in vicos & pagos non præciſe oppidis, ſed vel Principum vel Nobilium Præfecturis, Aemtern und Adel. Gerichten, adſcripta, exceptis pagis vicisque, qui civitatis alicujus diſtrictu comprehen-

dun-

duntur, eoque juriſdictioni ejus ſubſunt. Ceterum, pagos atque vicos plerumque jure vicinorum municipiorum uti, non diffiteor, add. Compend. jur. Lauterb *p. m. 100.*

4. Flecken ſunt) qui, latine vici dicti, medii ſunt inter pagos & urbes vel oppida, nundinarum & aliis quibusdam juribus civicis gaudentes, ceterum pagis, quam urbibus vel oppidis, ſimiliores, agriculturæ quippe & rei pecuariæ, quam opificiis, mercaturæ & cereviſiariæ vinariæque rei magis deditì, ac juriſdictione ſive civili ſive criminali fere deſtituti, nec cum caſtello neceſſario cohærentes, prout vici tum ab oppidis, tum a pagis diſtingvuntur a Georg. Beyer. Spec. jur. German. *cit. c. 11.* cui add. Lehm. *l. 5. Chron. Spir. c. 1. extr.* & ibi Fuchſ. *in addit.*

5. *burgum vel caſtellum*) Quæ ſtylo moderno idem, & Schloß quidem, ſignificant, quo ſenſu vox burgi hoc loco, & ſupra §. *25. extr. c. 15.* etiam, accipitur; aliter atque olim, ubi burgo urbs vel oppidum, caſtro ſeu caſtello autem Schloß proprie deſignabatur. Unde & hodie feudum burgenſe & caſtrenſe pro ſynonymis habentur, quæ tamen olim diverſa erant, illud ſcil. urbanum Bürgerlehn, eoque ignobile; hoc vero feudum guardiæ, quod nobile, conditionatum tamen, & proinde improprium; a quo utroque itidem feudum caſtri, velut proprium, nobile tamen, diſtinctum, prout docet Illuſtr. Dn. Thomaſ. *diſſert. de lib. veter. de benef. uſu* §. *44.* ubi etiam rationes, quare feuda urbana hodie allodialium jure cenſeantur, latius exponit.

§. 3. *in Germania nulla*) nec obſtat, ut quidam autumant, apud Herodianum *l. 7. Hiſt. c. 2.* jam Maximini Imperatoris ævo urbes Germaniæ memorari; dum, harum nomine vicos ibi deſignari, verbis proxime antecedentibus evidenter indicatur. add. Boecler. *in not. ad c. l.*

§. 4. *Majeſtati competit*) conf. infra §. 32. *c. 23. & ibi Animadv.*

§. 5. *totius provinciæ mater*) unde ſcil. coloniæ deductæ, quæ metropoli, ceu matri ſuæ, ordine, quin etiam, in cauſis negotiisque communibus, dirigendi jure, cedere tenentur; quo jure tamen aliquando civitates gaudent, etſi non matres; quemadmodum & ipſa metropoli eminentior eſt colonia, ubi Princeps vel hujus Vicarius ſedem habet, eoque urbs audit, quam Noſter ſupra §. 1. *h. c.* quaſi domicilium civitatis ſeu republ. dicit. Et quanquam tales urbes olim eccleſiis Metropolitanis, quibus aliæ eccleſiæ Cathedrales ejusdem provinciæ, ceu inferiores, in cauſis eccleſiaſticis ſubſunt, originem dederunt, hodie tamen, ex quo poteſtas eccleſiaſtica Germaniæ a Cæſaribus in Pontifices translata, ad conſtitutionem eccleſiæ Metropolitanæ ſola Principis ſedes non ſufficit, ſed inſuper Papæ autoritas accedat oportet, apud Pontificios ſcilicet.

2. *etſi mediate contineantur*) quod demonſtrat Noſter infra §. 21. *c. 28.* ubi Animadv. addantur.

§. 6. *mixtæ non dantur*) quemadmodum enim mediatæ non illico ſiunt, ubi alii Status Advocatia aut alia ſimilia jura obtineat, per ea, quæ Noſter docet

docet infr. §. *12. c. 26.* ita nec cootinuo immediatæ habendæ ſunt, quibus privilegia varia vel longo uſu vel Imperatoris indulgentia quæſita. Kulpiſ. *ad Monzamb. §. 13. c. 2.*

§. 8. *paſſim variant*) addatur & Lehm. *l. 4. Chron. Spir. c. 4.*

2. *& omnes nunc ſunt*) Quaoquam enim civitas immediata Northuſa in Thuringia eo tempore, cum Noſter hæc ſcriberet, adhuc Scultetum Imperii haberet, hoc tamen ea poſthac anno 1711. liberata eſt. Ceterum a ſententia Autoris ſtat Kulpiſ. etiam *c. l.* cum aliis ibidem nominatis.

§. 9. *in terris immediatis*) Quanquam autem diſtinctionem terrarum mediatarum & immediatarum modernam hactenus agnoſco, qua civitates Regni liberæ io his, quam in iſtis, frequentiores ſunt, eam tamen a lege Francorum, qua primum hæ duplicis generis terras regno Fraociæ Orientalis junctas dixit Noſter ſupra *§. 2. - 7. c. 9.* & infra *§. 5. c. 25.* originem ducere, pro certo haberi nequit, per Animadv. *ibid.* in qua ſententia etiamnum perſiſto, cenſeoque, civitates, quæ immediatæ dicuntur, libertatem ſuam modernam inde nactas, quod, in terris immediatis, Franciæ & Sueviæ Ducibus decedentibus, ac Guelphis proſcriptis, nemo ſupereſſet, qui potentia & autoritate civitatibus iſtis a jure Comitiorum priſtino ſemovendis par eſſet, aut ſuperioritatis territorialis jugum injiceret; in mediatis autem, & Thuringia quidem, Erfordia, Northuſa, Mulhuſa, libertatem ſuam præ aliis cives haberent, ceteris rerum ſuarum parum ſatagen-

tibus, eoque, ſive arte ſive vi vicinorum Principum paulo validiorum, quibus civitates, auſpiciis eorum exſtructæ, ex ſua natura jam ſuberant, ſecundum *§. 11. h. c.* & *§. 5. d. c 9.* jugum mediatum paulatim ſubire coactis, ut Altenburgo, Chemnizio & Zwicaviæ accidit. Qua eadem ratione ceteras terrarum mediatarum etiam civitates, ubi olim palatia regia extitere, libertatis jacturam feciſſe, vero perquam ſimile exiſtimo. Has enim olim, incerta adhuc & ambulatoria Regum ſede, liberas fuiſſe, non eſt quod dubitemus.

2. *qui tum exemti ſunt*) hos vero Principes dudum ante Guelphorum proſcriptionem exemtos dixi ſupra in Animadv. *ad c. 3. cit. loc. it. ad §. 39. & 40 c. 15.*

§. 10. *in terris mediatis*) ſed repete, ſi placet, Animadv. *1. ad §. praeced. 9. h. c.*

§. 11. *inde ab Henrico I. habuere*) ubi duo inprimis notanda, (1.) Duces jam ante Henricum I. regalem poteſtatem habuiſſe, per Animadv. *ad §. ult. c. 7. & §. 43. c. 15.* (2.) hanc poteſtatem per jura regia, quorum curam in ſingulis Ducum provinciis Comites Palatini inprimis geſſere, ante interregnum aliquantum imminutam, poſt illud demum in hodiernam amplitudinem paulatim excreviſſe, per *§. 16. & 20. c. 15.* it. *§. 17. c. 14.* quibus add. Animadv. ibidem & ad *§. 1. - 7. c. 9.*

2. *Epiſcopi & Comites*) ſed nec Ducum poteſtatem regiam ante interregnum plenam fuiſſe, certum puto, per Animadv. proxime præced.

3. *jus*

3. *jus condendæ civitatis*) de quo infra *§. 31. c. 13.* ubi Animadv.

4. *hæc nomina officii fuerunt*) quod argumentum nihil prorſus ad diſcernendos a Ducibus Epiſcopos Comitesque facit, dum iſtorum pariter ac horum poteſtas officium Regni dicitur §. *12. c. 13. it. §. 9. & 15. c. 21.* cui add. Animad. *2. ad. §. 13. d. c. 15.*

5. *nec ad civitates - extenſum*) Idem tamen de Ducibus provinciarum immediatarum etiam, ut Sueviæ, Weſtphaliæ, Franciæ & terræ Rhenenſis, h. e. Auſtraſiæ, poſt Lotharingia dictæ, Noſter aſſerit ſupra *§. 4. & 5. c. 9. & §. 5. c. 23.* Præterea hoc loco repetenda videtur diſtinctio inter Comites majores, qui hereditarii, & minores ſeu temporarios, quam tradit Noſter *§. 35. c. 15. & c. 6. Append. 1. Autonom. jur. gent.* De his enim, quod Autor hic dicit, certum; de iſtis vero dubium.

§. 12. *quas vide apud D. Strauch.*) & Monzamb. *de ſtat. Imperii German. c. 2. §. 13.* ubi add. Illuſtr. Dn. Thomaſ. & Kulpiſ. *in notis.*

§. 13. *Ariſtocratica*) quod iidem de forma civitatum Imperii liberarum Democratica dici poteſt; dum in hac non minus, quam in Ariſtocratica forma, ſinguli cives parent, & hactenus mediati ſunt; qui tamen immediati etiam nuncupari queunt, qua imperant, & ut univerſi ſpectantur, per §. *3. c. 21.* cui add. Animadv. ibid. & ad §. *19. c. 4.* Ceterum formam regiminis Monarchicam in civitates, ſeu mediatas ſeu immediatas, non cadere, manifeſtum eſt.

2. *longa ſerie recenſet*) add. Monzamb. *c. 1.* Grundveſte *part. 2. c. 6.* Lehmann. *l. 4. Chron. Spir. c. 5.* & Knipſchild. *de civitatibus imperialibus*; & de pagis Imperii immediatis, Gochsheim & Sennfeld, in Franconia, Illuſtr. Dom. de Ludolph *in Comment. de jur. Camer. ſelect. 6. 2. n. 8. p. m. 24. ſeqq.*

AD CAP. XIIX.
De Statu Imperii Eccleſiaſtico.
SECT. I.
De Ordine Eccleſiaſtico Togatorum.

§. 1.

J*Uris*) proprie ſtrictéque intellecti ſcil. quod Hugoni Grotio juſtitia expletrix dicitur, in abſtinentia alieni conſiſtens, & injuſtitiam, qua alieni uſurpationem, oppoſitam habens, *in Prolegom. de jur. bell. & pac. §. 8. & 44. it. c. 1. §. 8.*

2. *ad id compelli*) & in ſtatu naturali quidem, ubi imperium civile ceſſat, per bellum; in ſtatu civili autem, per judicem; Hugo Grot. *de jur. bell. & pac. l. 2. c. 1. §. 1.* quia neque humani generis, neque civitatum ſeu rerum publicarum ſalus & tranquillitas cum promiſcua alieni uſurpatione, ſeu injuſtitia ſtricte dicta conſiſtere poteſt. Unde & officia juſtitiæ, quæ hæc proprie accipitur, & aliquando externa dicitur, vulgo perfecta appellantur.

3. *virtutis pietatisque*) ſeu juris improprie & late dicti, quo officia cum honeſtatis tum caritatis, juſtitiam internam reſpicientia, continentur, vulgo imperfecta nuncupata, propterea, quod ſine

his

his etiam pax, communis pariter & civilis, utcunque obtineri poteſt. vid. Hugo Grot. *in Prolegom. de jur. bell. & pac. §. 9. & 10.* Dico: utcunque, ut id, quod ex uſu eſt, abeo, quod neceſſitas exigit, disjungam, quandoquidem, caritatis & honeſtatis cuſtodia pacem cum civilem tum communem humani generis inſigniter augeri, magisque firmari, nemo eſt qui dubitat; quemadmodum & hoc pro certo habetur, obligationem juſtitiæ internæ, quæ ratione fori externi & humani imperfecta dicitur, fori interni & divini reſpectu, perfectam eſſe. Nec illud omitto, juſtitiæ externæ ſtudium officio boni civis quidem ſufficere; ad Chriſtiani autem munus inſuper caritatis & honeſtatis, ſeu juſtitiæ internæ, cuſtodiam neceſſariam eſſe. Præterea & hoc addo, caritatis & honeſtatis officia, cum a lege civili, ut interdum fit, imperantur, juſtitiæ externæ naturam induere, & tantum ad boni civis munus referri.

§. 2. cogendi jus) quo imperium civile pertinet, in externa coactione, ut poena & rerum noſtrarum ablatione, potiſſimum conſiſtens, quæ ſuperioris eſt, & officia juſtitiæ externæ reſpicit, cum e contrario docendi monendique munus ad Doctores ſpectet, & intra juſtitiæ internæ terminos conſiſtat, quæ quidem coactionem internam, argumentorum pondere conſtantem, admittit, externam autem penitus reſpuit. Hac enim accedente virtutis officia juris naturam induere Animadv. 3. *ad §. 1. h. c.* notatum.

§. 3. docendi & monendi) unde juriſdictionem

onem eccleſiaſticam a natura eccleſiæ & Doctoris muneree abhorrere, manifeſtum eſt. Primo enim nulla juriſdictio ſine externa coactione conſiſtere poteſt; at hanc muneris eccleſiaſtici terminos excedere certum eſt. Deinde juriſdictio & juſtitiæ adminiſtratio tranquillitatis externæ cauſa exercetur, cujus cura unice ad imperium civile ſpectat, per Animadv. 1. *ad* §. 1. c. 17. Adhæc nulla earum cauſarum, quæ vulgo ad juriſdictionem eccleſiaſticam referuntur, ita comparata eſt, ut a judice ſeculari cognoſci, & ſententia terminari nequeat, ſed quælibet potius juriſdictioni civili ſubeſt, ſive perſonas eccleſiaſticas, quæ cum bonis ſuis imperio civili obnoxii vivunt; ſive res eccleſiaſticas, ut prædia, nomina, decimandi, miniſtros eccleſiæ vocandi, confirmandi & infirmandi jus, item ſepeliendi ritus & connubiales controverſias, quæ omnia & ſingula ad negotia resque ſeculares pertinent, reſpicias. Et quanquam verbum & ſacramenta, de quibus aliquando in judiciis eccleſiaſticis agitur, revera res ſacræ ſunt, ob ſingularem, quinimo divinam plane, quæ eis ineſt, efficaciam; propterea tamen, juriſdictionem eccleſiaſticam a civili diſtingui, neceſſe haud eſt, dum verbum & ſacramenta docentur tantum & adminiſtrantur, nequaquam autem invitis, coactione externa adhibita, quæ juriſdictionis nervus quaſi & anima eſt, obtruduntur. add. Ziegler. ad Lancell. *l.* 3. *Inſt. jur. Can.* *tit.* 1. §. 2. *Animadv.* 2.

2. *impios excludendo.*) modo tamen coactio externa, ad imperium civile ſpectans, abſit, quemadmodum

modum & indignum coetus Chriſtianorum membrum pro ethnico & publicano, ut Matth. *18.* dicitur, vi externa omni ſepoſita, haberi poteſt, convictum nempe & conſortium ejus, quantum, ſalvis ſocietatis civilis juribus fieri poteſt, evitando.

3. *altera vi*) externa ſcil. qua quidem boni cives, at non Chriſtiani, ſed hypocritæ potius efficiuntur; interna vi ſeu coactione, quæ monendo & docendo, addito argumentorum pondere, adhibetur, Doctoribus relicta.

§. 4. *cultus divini exercitio rebusque ecclesiasticis*) quæ duo conjunctim Noſtro infra §. 21. *b. c.* extrinſecorum nomine veniunt, quibus ibid. religio ipſa, ſupra §. *1. 2. & 3.* deſcripta, opponitur, ubi addantur Animadverſiones.

2. *muneris ſecularis*) quod ſpeciatim, quantum ad eccleſiam, vulgo jus Sacrorum audit, & ad diſputationes inſuper Theologicas, a quibuscunque inſtitutas, unde pax publica ſeu externa detrimentum capere poteſt, recte protenditur. (Quanquam enim religio ipſa cogi nequit, nec cogitationis pœnam quis pati debet; propalatio opinionum heterodoxarum tamen, velut actus voluntatis, ſecus ac intellectus, libertate gaudentis, pœnis externis & coercitioni civili omnino ſubjacet.

§. 6. *ſecularibus curis*) ſed obſtant tamen, quæ infra §. *12. 13. 14 & 15.* traduntur.

§. 8. *in deteſtationibus ſacris*) quo nomine hoc loco excommunicatio innuitur, quæ vel minor, qua e ſocietate eccleſiaſtica; vel major, qua e civili inſuper ſocietate & conſortio excommuni-

catus

catus pellitur, veteri aquæ & ignis interdictioni non diſſimilis. Quanquam autem cuique collegio & corpori morali, eoque coetui eccleſiaſtico etiam, membrum aliquod, eo ſe per gravia quædam delicta indignum reddens, inde per excommunicationem minorem ejicere liceat, per *§. 3. h. c.* excommunicationem majorem tamen, velut cum coactione externa conjunctam, eoque ſoli ſummæ poteſtati civili competentem, a munere eccleſiaſtico abhorrere manifeſtum eſt, per *§. 1. 2. & 3. h. c.* & ibi annotat. Nec quicquam adverſam Pontificiorum ſententiam juvat, quod eccleſia cum civitate ſeu republ. unita, hincque ea depulſus, hac etiam protinus extorris cenſeri debeat. Etſi enim eccleſia, ut alia collegia & corpora particularia, in republ. exiſtat, falſiſſimum tamen, rempublicam in eccleſia eſſe, aut hanc cum illa ita cohærere, ut prorſus ſecerni nequeant, cum contra, alteram ab altera, cauſa efficiente, materia, forma, fine & effectu, diverſam eſſe, manifeſtum ſit. Unde quidem ſequitur, ut ſocietate civili ceu indignus motus, e coetu eccleſiæ etiam ſublatus cenſeri debeat; nequaquam tamen viciſſim. Quemadmodum nec ex alio corpore particulari, veluti mercatorum, opificum &c. ejectus, continuo ſocietate civili privatur. add. Schilt. *l. 2. Inſt. jur. Canon. tit. 5. §. 3. in not. lit. a & §. 4.* Ceterum ſæpius in quæſtionem venit, an Princeps, gravibus quibusdam peccatis ſe contaminans, donec horum eum ſerio poeniteat, a ſacra abſolutione ſuſpendi queat? ubi ſi Principem a Chriſtiano, qui diverſi characte-

res ſunt, diſtinxeris, non video, quomodo ſacerdos, a quo Priuceps talis annunciationem remiſſionis peccatorum petit, hac eum, ſalva ac illæſa conſcientia, impertire valeat.

§. 10. *ceu jus ſuum regale*) ex quo apparet, tum temporis, cum Sacerdotes Germaniæ, qua tales, imperio civili adhuc obnoxii haberentur, poteſtatem eccleſiaſticam, a territorii jure ſeparatam, Regum fuiſſe, ſubalterna directione, ſub auſpiciis imperii gerenda, Epiſcopis potiſſimum in unaquaque dioeceſi relicta. vid. infra *§. 36. h. c. it. c. 22.* & add. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 15. 32. 33. 34. 35. & 41.* Neque nunc quidem recordor, jus inveſtiendi Epiſcopos aliis, præterquam Arnoldo, qui alias Arnulphus dicitur, Bavariæ, & Henrico Leoni, Saxoniæ Duci, a Regibus conceſſum eſſe, illi quidem promovendæ reconciliationis ergo, *§. 9. c. 3. ſupra;* huic autem propterea, quod deletos a Venedis, ad priſtinam ſuperſtitionem relapſis, tres Slaviæ Borealis Epiſcopatus, Altenburgenſem nimirum, poſt Lubecam translatum, Mecklenburgenſem, dehinc in oppidum Suerin promotum, & Raceburgenſem, propriis ſumtibus inſtauraverat. Ut proinde Henrici Leonis inveſtiendi jus ad prædictos tres Slaviæ Epiſcopatus reſtrictum videatur, ceteris Saxoniæ Eccleſiis majoribus ſub Imperio manentibus. vid. Schurtzfl. *diſſert. 31. de rebus Mecklenburg. §. 28.*

§. 11. *& res & autoritas*) illa quidem cæca opinione hominum, velut condonatio omnium delictorum per donationes eccleſiis factas apud Deum redimeretur, ut ex *§. 16. membr. 3. c. 6.* & Animadv.

Animadv. 13. *ibid.* liquet; hæc vero ex falſa eorundem perſuaſione ſingularis Sacerdotum ſanctitatis, aliisque cauſis, quas Noſter ex parte expendit ſupra §. 4. c. 10. & plene pertractat Pufendorf. *introduct. ad hiſtor. c. 12. de Monarch. eccleſiaſt. ſedis Romanæ.*

2. *Vice-Dominos*) Unde etiamnum quibusdam familiis illuſtribus nobilibusque nomen Bitzthumb hærere videtur, quanquam ipſum officium eorum dudum, in Eccleſiis majoribus præſertim, obſoletum, ex quo Sacerdotes earum negotiis profanis ſeſe palam immiſcere, indeque abrogatis Vice-Dominis & Advocatis ſuis, rerum eccleſiæ adminiſtrationem cum jurisdictione, ſepoſito contra officio ſacro, ad ſe trahere non amplius erubuerunt. Præfecti autem primum ſunt Eccleſiis Advocati a Regibus ipſis, deinde vero a Dominis territoriorum etiam, quorum ſumtibus illæ vel dotatæ vel inſigniter auctæ, ut late docet Lehm. *l. 2. Chron. Spirenſ. c. 36.* Et quanquam alioqui Advocatus, qua hoc nomine Patronus ſeu Protector denotatur, regulariter nulla prorſus jurisdictione gaudet, per *§. 12. c. 26.* hanc tamen Eccleſiarum Advocatis in bona & ſubditos earundem competiiſſe, ab aliis jam obſervatum, inter quos & Hertius *l. 2. Paroemia 5. §. 3.* Qui proinde, officio ac poteſtate, ab Advocatis urbium regiis, de quibus ſupra *§. 7. & 8. c. 17.* parum differre videntur.

§. 12. *merito culti ſunt*) dum tamen hic cultus intra modum ſtetiſſet, nec in foedam ſuperſtitionem, magno eccleſiæ & reipubl. damno, abuſ-
ſet,

ſet, ut Animadv. *1. ad §. praced. 11 h. c.* obſervatum.

§. 13. *diſcipline eccleſiaſtica*) cujus tamen terminos,ſupra *§.3. h. c.* deſcriptos, Epiſcopalis audientia multum exceſſit, ut ex ſequentibus apparet. Unde, Epiſcopos molliori audientiæ nomine ipſam jurisdictionem,declinandæ invidiæ magiſtratus civilis cauſa,palliaſſe,vero propius videtur ; a qua eos penitus arceri, ſatius forte, & reipubl. non magis, quam eccleſiæ Chriſtianæ ſalubre , fuiſſet. Dato ſiquidem uno abſurdo plura ſequi, experientia ſatis edocuit. vid. infr. §. *16. cum ſeqq. h. c.*

2. *dandis tutoribus & manumiſſionibus*) a quibus jurisdictionis voluntariæ negotiis Epiſcopis facilis gradus fuit ad capeſſendam eam jurisdictionis ſpeciem, quæ vulgo contentioſa audit.

3. *piis negotiis*) quo pietatis pallio Epiſcopis jurisdictio in cauſis civilibus miſerabilium perſonarum, pupillorum, viduarum, pauperum , oppreſſorum, aſſerta eſt, ut docet Schilt. *l. 1. Inſtit. jur. Canon. tit. 5. §. 10.* Quin etiam eodem obtentu præſcriptionis interruptionem , cum operum publicorum & rationum civilium inſpectione , ad ſe traxerunt Epiſcopi , prout ex tit. C. *de Epiſc. audient.* manifeſtum eſt. Sique omnia pia negotia muneri ſacro adſcripſeris,hoc imperium civile prorſus abſorberi neceſſe eſt, cum,& reipublicæ gubernationem & juſtitiæ adminiſtrationem ad pietatem vergere,facile concedant omnes.

§. 14. *ſub titulo Ducis Franconiæ*) hunc tamen in fraudem ſanctionum Eccleſiaſticarum , quæ ti-

tul. X. *ne clerici vel monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant*, habentur, confictum eſſe, nemo, puto, inficias ibit. Quanquam enim alioqui duo pluresve diverſi characteres in uno eodemque ſubjecto conſiſtere, a ratione nequaquam alienum eſt; ſecularis tamen & eccleſiaſtici muneris hæc conditio eſt, ut ſecundum ſacrarum litterarum & canonum præſcriptum duo diverſa ſubjecta requirat, vid. *§. 5. h. c.*

§. 15. *in bonis & terris ſui Epiſcopatus*) Quare a ſeculari hac Epiſcoporum poteſtate, in terris immediatis præſertim, alii domini & civitates liberæ, diſtrictu illius comprehenſi, cum ſubditis & caſtris ſuis immunes habendi ſunt.

§. 16. *coepit tentare inveſtituras*) Hinc ergo videmus triſtes illos eveotus, qui coecam illam reverentiam ac nimiam autoritatem, Sacerdotibus olim præter æquum ab hominibus ſimplicioribus attributam, inſecuti ſunt. Illud vero in vulgus notum eſt, inveſtituræ voce hoc loco denotari confirmationem & infirmationem Epiſcoporum a Capitulis electorum, quæ cum antea penes Imperatores ſtaret, jure quippe regio comprehenſa, ab Henrici V. ævo iis per Romanorum Antiſtitem cum tota fere poteſtate Eccleſiaſtica abrogata prorſus atque ad hunc tranſlata eſt, add. *c. 22. infra*; & Schilt. *l. 1. Inſtit. jur. Canon. tit. 7. §. 11. & 12.*

2. *leges de Simonia*) quæ tit. *3. l. 5. Decretal. Gregor. IX.* habentur, ineptum ſane inventum, per Papæ aſtutias a temeritate Simonis Magi arceſſi-

ceſſitum, qui teſtantibus Apoſtolorum Actis *c. 8.* donum Spiritus Sancti extraordinarium pretio redimere animum induxerat. Quantumvis enim ponamus, Henricum IV. inveſtituras Epiſcoporum nundinatum, ambitus & repetundarum forte inſimulari potuit, Simoniæ vero nequaquam. Neque enim, Sacerdotium vel officium ſacrum oblato pretio ambiens, vel ordinarium vel extraordinarium Spiritus Sancti donum poſcit, ſed locum tantum, iſti exercendo aptum, quærit. Quare nec hodie, ejusmodi officio ſeu gratia ſeu largitionibus redemto, crimini Simoniæ, qua hoc ab ambitu diſcernitur, locum fore exiſtimo.

3. *miſerrime deceſſit*) addatur inprimis Lehm. *l. 5. Chron. Spirenſ. c. 40.* ubi præterea in capitibus tam antecedentibus, quam conſequentibus, prædicta inter Imperium & Sacerdotium de inveſtituris Epiſcoporum contentio paulo latius exponitur.

§. 18. *Cardinales vero erant*) confer Schilt. *Inſtit. jur. Canon l. 1. tit. 7. §. 18.*

§. 19. *Imperium Romanum & Sacerdotium*) quorum illius partes Gibellina factio & Legiſtæ; hujus vero Guelphica factio cum Canoniſtis tuebantur. add. Animadv. *2. ad §. 10. c. 3.*

2. *uti fabula de Friderico I.*) quæ tamen adeo incredibilis non eſt, ut vulgo quidem putatur. Quanquam enim negari nequit, Fridericum I. excelſo animo pariter ac viribus permultum valuiſſe, prætereaque Papam, tanquam clientem & ſubditum, Imperatori cum reverentia tum obſequio jure devinctum eſſe, ſecundum Animadv. *14. ad §. 16.*

c. 6. non minus tamen hoc etiam certum, tum temporis Papam, velut religionis dominum, hisque obſequio ſubditorum ſuffultum, Imperatoribus tam autoritate, quam viribus, quin etiam dignitatis opinione, longe ſuperiorem extitiſſe, per *§. 16. - 23. h. c.* Nec facile in dubium vocari poteſt, ex eo tempore morem invaluiſſe, ut Cæſares, Papa equum conſcendente, ſtaptam tenere obſtringerentur, prout Speculum Saxon. *art. 1.* & Suevicum *§. 10. proem.* teſtatur; quemadmodum & alias id officii genus facile præſtatur, cui quis ſe devinctum & imparem ſentit. Quis ergo miretur, Fridericum Aenobarbum recepto pridem mori obſecutum, & vexationibus dirisque Papæ tandem fatigatum, huic & ſupplicem factum, & equo deſilienti ſtapiam tenuiſſe? quod & Alb. Stadenſ. ad a. 1155. refert, & Lehmann. inſuper probat *l. 5. Chron. Spir. c. 56.* Quo certo, nec illud, Cæſarem a Papa equo deſcendente, ſive de induſtria, ſive ex improviſo, pede calcatum, vero diſſimile videtur, quod tamen huic magis, quam iſti, vitio vertendum.

§. 21. *extorquebant*) Quare exceptio metus, ſecundæ huic tranſactioni a Papa oppoſita, invalida fuit, ſive eum ut parem, ſive ut ſubjectum Cæſari, conſideres; quandoquidam metus, vel æquali ab æquali in ſtatu naturali, vel inferiori a ſuperiore, ex juſta cauſa per vim illatus, juſtus eſt, eoque inſequentis pactionis vires infringere nequit, per Animadv. 2. *n. 2. ad §. 37. c. 5.* Nec, violationem pacti, quæ *§. 20. extr. h. c.* memoratur, Henrico V.

juſtam

juſtam Papæ arma opponendi cauſam dediſſe, in dubium vocari poteſt.

§. 22. *Tertia tandem conventione*) cujus tabulas exhibet Schilter. *in not. ad Concordata Nat. German. Inſtit. jur. Can. cum Dnar. Comment. de ſacr. Eccl. miniſt. adtexta p. m. 489. ſeqq.* Unde etiamnum Epiſcopos a Capitulis electos, qua tales, Papa confirmat, & Imperator, quatenus ad territorii jura regia duntaxat, inveſtit.

2. *per ſceptrum*) quod ceu regium inſigne antiquorum ſacerdotum ſuperbiam animique improbitatem evidenter arguit. add. *§. 13. c. 16.*

§. 23. *majorem melioremque partem imperii*) jus nimirum confirmandi ſeu inveſtiendi ſacerdotes, cum juriſdictione in perſonas & res eccleſiaſticas, per §. *16. h. c.* an & infirmandi Prælatos eccleſiæ jus? ita quidem videtur, quantum ad munus ſacrum. Sed cum hoc iſtorum ſeculari officio arctiſſime cohæreat, ſecundum *§. 22. h. c.* Prælatos ejusmodi, feloniæ vel perduellionis reos, per Imperii proſcriptionem utroque ſimul excidere, neceſſe eſt. Ceterum Imperatores jure Patronatus, & reditus eccleſiarum vacantium in fiſcum regium cogendi, hasque, Sacerdotibus, quibus eligendi jus competit, in electione diſcordibus, ordinandi, quod, velut poteſtatis ſacræ partem, poſt memoratam §. *22. h. c.* tranſactionem aliquamdiu continuarunt, pridem depulſos eſſe, in confeſſo eſt, per cap. *22. infr.* cui jungatur Lehmann. *l. 5. Chron. Spir. c. 67.* ſalvis tamen etiamnum illis juribus eccleſiaſticis, quæ infra *§. 2. & 6. d. c. 22.* recenſentur.

2. *quin in utrumque*) dum poſt dictam *§. 22.*

h. c. tranſactionem tertiam Imperium non ſolum jure Sacrorum fere deſtituitur, ſed Pontifici inſuper in cauſis eccleſiaſticis ſubeſt, ſecundum Animadv. *2. ad §. 2. c. 7.* cujus poteſtati ſacræ tamen poſtea a ducentis jam ſeculis Proceres, puriori exhinc religioni addicti, nuncium miſerunt, *§. 26. & ſeqq. h. c.* quibus add. art. *1. ibi:* So viel aber *&c. Capitul. noviſſ.*

3. *vindicare inveſtituras*) his tamen Henrici V. ſucceſſores fere abſtinuiſſe, magisque ſacri veteris imperii reliquias, Animadv. *1. ad h. §.* memoratas, adverſus Pontifices vindicaſſe, ex *§. 5. d. c. 22.* apparet. cui jungatur inprimis Lehmann. *l. 5. Chron. Spir. c. 67.* Nec contrarium ex allegato Aventino, ceu ſcriptore novo, facile probatur.

4. *expeditione ſacra*) quam ſeculo undecimo jam coeptam, & dehinc ducentis amplius annis continuatam, arcanis Papatus Romani rationibus connumerat & illuſtrat Puſendorf. *§. 6. c. 5. Introd. in Hiſtor. præcip. Europ. rerumpubl.*

§. 24. Imperii jura) quæ ſcil. hæc profana magis, quam ſacra redolent. conf. *§. 22. c. 6.* & ibi Animadv. *7. ſeqq.*

§. 25. concordata quædam) quorum ſumma exhibetur infra *§. 10. c. 22.* ubi Animadv.

2. *nulla humano generi exitioſior*) nec injuſtior, quandoquidem omnis homo, & proinde hæreticus etiam, juris naturalis, quo fidei ſanctimonia præcipitur, particeps eſt.

3. *clade illa Varnenſi*) qua ingens Chriſtiano-

rum

rum multitudo opera Turcarum, ob temeratam ab iſtis fidem, periit.

§. 27. *Imperii cauſa in terris Evangelicorum*) quod tamen hi vix concedunt, dum, poſt inſtauratam puriorem doctrinam, jus ſacrorum in territoriis ſuis ſibi ſolis aſſerunt, Imperatoria poteſtate, cui ante Henrici V. renunciationem id cohæſit, ſecundum Animadv. *ad* §. *10. h. c.* inde excluſa, per §. *38. h. c.* & §. *15. c. 22*, it. §. *8. c. 32.*

2. *pace primum religioſa*) quanquam enim huic transactio Paſſavienſis de anno 1552. anteceſſit, ea tamen induciis armorum, quam perpetuæ religionis paci, propior videtur. Ceterum ſumma hujus pacis anno 1555. coeptæ, & dehinc anno 1648. multum auctæ, exhibetur infra §. *13. c. 32.* a Schiltero *in libello de pace religioſa* uberius expoſita.

§. 29. *vi ſuperioritatis & territorii*) add. infra §. *38. h. c.* & §. *15. c. 21*, item Compend. jur. Lauterb. tit. *de juriſdict. p. m. 26. ibi: Hodie*, & Struv. *Exercit. ad ff. 9. th. 16.* Quare inſigniter falluntur, qui in Statibus Evangelicis, quibus Nobiles immediati hactenus pares habentur, per §. *11. c. 25.* duplicem characterem, unum Epiſcopi, alterum territorii domini, confingunt, cum tamen iſti Status Epiſcopi nec ſint, dum munere ſacro ſe abſtinent, neque ad id, vel a ſubditis vel ab Imperio, deliguntur; nec eſſe velint, quia præter jus Epiſcopale Metropolitanam inſuper, imo Papalem, h. e. ſupremam & independentem, poteſtatem in territoriis & diſtrictibus ſuis ſibi vindicant, jure dioeceſano Epiſcoporum longe ſuperiorem. add. Animadv.

 madv.

by Google

madv. *ad d. §. 15. c. 22.* Unde & hoc ſequitur, Conſiſtoria Statuum Evangelicorum ad judicia profana ſeu ſecularia referenda eſſe, dum iſta cum his unam eandemque cauſam efficientem, quæ vulgo ſublime territorii jus audit, agnoſcunt, omnesque cauſæ, in diſceptationem forenſem venientes, judicia profana ſequuntur, per Animadv. *1. ad §. 3 h. c.* neque Principes profani judicium eccleſiaſticum, a ſeculari diſtinctum, conſtituere valent, ſecundum Logicorum regulam: *qualis cauſa, talis effectus.* Ex quibus etiam de civitatum immediatarum, quarum pauciſſimæ Conſiſtoria a judiciis ſecularibus ſeparata, habent, inſtituto judicare licet. Ceterum nec a ſola jurisdictione criminali, nec a ſolo feudi, vel ſubfeudi, Patronatus, Filialitatis nexu, ſed a ſola territoriali ſuperioritate jus ſacrorum & reformandi pendere, certum eſt, per *§. 30 42. 43. & 44. art. 5. Pac. Oſnabrug.*

2. *in extrinſecis*, quo pertinet cultus externus ſeu decorum eccleſiaſticum, in plerorumque Evangelicorum terris per Ordinationes eccleſiaſticas (Kirchen-Ordnungen) definitum, nulla ratione conſenſus ſubditorum habita, quod omni jure licitum. add. *§. 4. h. c.* & Animadv. ibid.

3. *non conſentientibus ſubditis*) neque enim, ut externa religionis, ita interna etiam, invitis ſubditis obtrudi queunt, ſiquidem iſta imperio externo ſeu civili cogi nequit, ſive intellectum, potentiam quippe neceſſariam & libertate deſtitutam; ſive voluntatem reſpicias, quæ quanquam ſua gaudet liberta-

libertate, pœnisque pariter ac præmiis civilibus in diverſa flectitur, virtus tamen, imperio interno ſeu conſilio duntaxat obnoxia, per §. *1. 2. & 3. h. c.* & Animadv. ibid. omnem coactionem externam reſpuit, hacque accedente in jus ſeu officium boni civis, a Chriſtiani munere longe diverſum, degenerat. Deinde homines in ſocietatem civilem coierunt, ſalutis externæ, non internæ, cauſa, quippe quæ etiam extra iſtam utcunque obtineri poteſt, vid. Animad *1. ad §. 1. c. 17.* & Pufendorf. *de habitu religionis Chriſt. ad vit. civil. §. 5. ſeqq.* Adhæc conſervandæ paci publicæ ſive externæ officia juſtitiæ ſtricte intellectæ ſufficiunt, nec ad id virtus ſeu juſtitia interna neceſſaria eſt. Nec officit, religione vinculum reipublicæ contineri, prout docet Hugo Grotius *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. §. 44. nr. 3.* & Pufendorf. *l. 1. de offic. hom. & civ. c. 4. §. 9.* id enim per accidens fit, non per ſe. Nec vera ſed falſa religio eſt, quæ propter pacem externam colitur, vel ad ſtatus publici rationes exigitur, accommodaturve. Hinc graviſſime contra officium peccant Principes, invitis ſubditis religionem a priori diverſam obtrudendo. add. inprimis Animadv. *1. ad §. 43. h. c.* item Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 20. §. 48. ſeqq.* & Hert. *not. lit. b. ad §. 11. c. 4. l. 7. Pufendorf. de jur. nat. & gent.* Pufendorf. *de habitu religion. Chriſtiana ad vitam civilem*; & Illuſtr. Domin. Thomaſius Vom Evangeliſchen Fürſtenrecht in Theologiſchen Streittigkeiten *cum vindiciis.*

4. *deſtruere præſentem reipubl. ſtatum*) Quæ

tamen ratio violentæ religionis reformationi hoc loco a Noſtro oppoſita parum adæquata videtur. Præterquam enim quod eccleſiæ & reipublicæ ſtatus commiſceri non debet; ab iis, qui adverſus ſubditos territorii ſui, in religione reformanda, violentia vel occulta vel aperta utuntur, facile obtendi poteſt, per ejusmodi immutationem religionem ad conformitatem reduci, proindeque præſentem reipubl. ſtatum neququam deteriorem reddi, ſed e contrario validiorem conſtitui; & quanquam omne magnum exemplum aliquid iniquitatis habeat, id tamen utilitate publica in poſterum penſari, quod tales novatores vi ſuperioritatis territorialis omni jure ſibi conceſſum exiſtimant. Quapropter argumentis, ſupra §. 1. 2. & 3. h. t. in medium allatis, magis inſiſtendum eſſe reor, quibus add. Animadv. 3. ad h. §.

§. 31. *Nulla itaque comparatio vel talio inſtitui poteſt*) in qua tamen nihilo ſecius religionis novatores eccleſiæ Romanæ dediti ſe fundant, ſicubi iis, territoriali ſuperioritate, per violentam religionis reformationem, ſubinde abutentibus, vel a ſubditis ſuis, vel a religionis repurgatæ Imperii Ordinibus, occurritur. Dicunt enim, eodem territorii jure, cujus obtentu antehac Evangelici, Luthero lucem præferente, Papales tenebras e terris ſuis expulerunt, religionem a ſe innovari. Quibus tamen recte reſpondetur cum Autore noſtro, modum reformandi Evangelicorum ab eo, quem poſt confectas pacis Weſtphalicæ tabulas eccleſiæ Romanæ ſocii adhuc uſurparunt, longo diſtare intervallo,

vallo, eoque talionis juri locum neutiquam dari poſſe, quando hi religionem alienam ſubditis ſuis vi obtrudunt, qua iſti contra omni tempore abſtinuerunt, per *§. 26. h. c.*

2, *ejusque rei norma eſt*) quæ itidem, quantum ad jutium & bonorum eccleſiaſticorum exercitium, ſervanda eſt; quandoquidem hæc non minus, quam ipſe religionis utriusque uſus, in eo ſtatu relinqui præcipiuntur, in quo dicto 1. Januarii die anni 1624. ſteterunt. Quamobrem Romanæ religionis conſortes in terris Evangelicorum nec ſacra, nec templa, nec ſepulcra publica, nec res, nec reditus quoscunque, qua ad eccleſiam ſpectant, habeant capiantve, quæ dicto die ibi non poſſederunt; & viciſſim.

3. *juberi poſſunt*) quod tamen, velut coactionis ſpecies, naturæ religionis Chriſtianæ adverſari videtur, per *§. 1. 2. 3. & 29. h. c.* ubi Animadv.

4. *beneficium perdit*) ſive Romanæ, ſive noſtræ puriori religinni anrehoc adhæſerit; aliter atque ante pacem Weſtphalicam, ubi quidem Prælatus ſectæ Pontificiæ deſertor beneficio ſuo cadebat; ſed non viciſſim, quod tum ad Reſervatum eccleſiaſticum ſpectare dicebatur, per Receſſ. Imperii de anno 1555. §. Und nach dem bey Vergleichung dieſes Friedens Streit fürgefallen *&c. 18.*

§. 32. *armis religionem promoveant*) Quod tamen religiooi ſeu virtuti, ejusmodi vi cogi neſciæ, oppido repugnat, per *§. 1. 2. 3. & 29. h. c.* quibus jungatur Animadv. *2. ad §. 36. c. 3. & ad §. 43. h. c.* Sed nihilominus hic religionem Chri-

ſtianam

ſtianam promovendi modus olim prævaluit, ubi nihil turpe habebatur, quod ampliando imperio eccleſiaſtico conduceret.

§. 33. *etſi neque in terris immediatis*) ſed ſubditos regni Germanici indifferenter omnes, ſeu mediatos ſeu immediatos, cujuscunque ſive ſacri ſive profani ordinis, olim Comitiis interfuiſſe, Noſter pronunciat infr. §. *13. c. 20.* & ſupra *§. 10. c. 7.* Quin hodieque in terris mediatis ſtatus ſunt, ut Comites Waldecci in Haſſia, Comites, nunc Principes, Schwarzburgici, cum civitatibus liberis, Northuſa & Mulhuſa, in Thuringia, &c. jure ſuffragandi in Comitiis in ſuo ordine gaudentes. Unde, quod hic de jure Epiſcoporum & reliquorum eccleſiæ Prælatorum in Comitiis ſuffragandi ſingulari dicitur, idoneo fundamento deſtitui videtur.

2. *neque in ſolo juris Germanici*) cujus juris tamen terras Slavicas omnes, tam orientales, quam ſeptentrionales, dudum participes factas, ex quo nimirum vel armis ſubactæ, vel ſponte Germanorum imperium ſubierunt, Animadv. ad *§. 54. 58. & ult. ſect. 4. c. 3.* it. ad *§. ult. c. 1.* abunde oſtendi. Quare non eſt, quod quis pro jure Epiſcoporum ſingulari habeat, quando, verbi gratia, Bohemiæ Epiſcopi, Pragenſis & Olomucenſis, jure Comitiorum aliquando uſi leguntur apud Hertium *de renovato Rom. German. Imperii & regni Bohemiæ nexu, ſect. 2. §. 7. & ſect. 3. §. 8. vol. opuſcul. 2. tom. 1.* add. de Epiſcopo Miſnienſi, Merſeburgenſi & Caminenſi §. *37. n. 4. h. c.*

3. *neque*

3. *neque intra fines Germaniæ*) quo referuntur infra §. 5. c. 19. Archiepiſcopus Veſontinus ſeu Bizantinus, Rigenſis & duo Magiſtri equitum Boruſſiæ & Livoniæ. Verum nec inde jus ſuffragandi Epiſcoporum ſingulare a Noſtro aſſertum probari poſſe puto, cum & Sabaudiæ Burgundiæque Ducatus cum urbe Bizantio, olim regno Burgundico innexi, in civitatem Germanicam recepti dicantur ibid. §. 11. it. §. 34. & 35. c. 5.

4. *Longe ſecus at de ſecularibus diximus*) ego vero nullum Principum eccleſiaſticorum & ſecularium diſcrimen, quantum ad civitatis Teutonicæ jus, deprehendo, ſed omnes æqualiter hoc gaudere cenſeo, quotquot regni Germanici regimini publico inſerti ſunt; dum & terrarum Slavicarum Principes, ſeculares non minus quam eccleſiaſtici, jure Comitiorum, hodie præſertim, fruuntur, per Animadv. 2. *ad* §. *h*. & illorum pariter ac horum quidam extra fines Germaniæ degentes ejus juris participes habentur, ſecundum Animadv. 3. *ad h*. §. hodieque in terris mediatis Status quidam ſeculares immediati reperiuntur, & olim plures, per Animadv. 1. *ad h*. §. cui jungatur Animadv. ad §. 6. *cap*. 9.

5. *non propter jus civitatis*) quod tamen Clericis aſſertum §. *h*. 33. *ineunte*, & §. 5. c. 19. ubi Noſter Clericos non qua tales, ſed Epiſcopos, qua Principes, Abbates immediatos, qua Comitum jure gaudentes, ad Status Imperii refert. Quamquam

quam enim Clerici pridem ante, quam ſuperiori-tate territoriali aucti, conſultationibus publicis adhibiti ſunt, cum ob litterarum peritiam, qua præ ſecularibus Ordinibus pollebant, tum vero propter hominum profanorum, qui vulgo laici audiunt, immodicam ſuperſtitionem, qua hi Sacerdotum artibus quaſi vincti tenebantur; alii tamen Clerici, quam qui corpore civitatis Teutonicæ comprehenſi, nec olim regulariter ad ſuffragandum in negotiis Regni admiſſi ſunt, nec hodie admittuntur; quando, peregrinos a conſultationibus procul haberi, & ratio & utilitas publica poſtulat. Quare Germanos etiam, ut hodie, ita olim non minus, idem hoc inſtitutum ſervaſſe, probabile eſt.

§. 36. *Olim*) cum ſcilicet Epiſcoporum poteſtas intra munus ſacrum adhuc terminaretur, nec, ut hodie, cum territorii jure conjunctum eſſet. Ut enim tum jus territoriale ſolis ſecularibus Principibus Comitibusque competiit; ita rurſus Epiſcopale & Sacrorum jus, ab iſto quippe ſeparatum, ad Epiſcopos & Regem ſpectavit. conf. Animadv. ad §. 10. *h. c.*

§. 37. *Archiepiſcopo*) & Papæ, imperio civili, quantum ad officium Epiſcopale, in Germania ſaltem, exemti, per §. 16. & 22. *h. c.*

2. *appellatur ad Archiepiſcopum*) & ab hoc porro ad Papam, ad quem, prætermiſſo etiam Archiepiſcopo ſeu Metropolitano, jure Canonico provocatio fieri poteſt, per c. 7. 31. 34. & 52. *X. de Appellat.* cujus juris rationem pandit Deſſel. *l. 2. Erotem. jur. Can. tit. 28. quæſt. 6.* Quin etſi ſedes

Impe-

Imperii ſotum domicilii commune eſſe pridem deſiit, nec adeo ſubditus mediatus, vel Vindebonæ vel Wezlariæ commorans, ibi regulariter conveniri queat, ſed ad judicem ordinarium remitti debeat; Pontifex tamen ampliandæ ſuæ juriſdictionis ergo legiſlationem antiquam Romanam ſecutus, qua Roma olim forum commune omnium ſubditorum Romanorum, qui ibi aliquando deprehenſi, habebatur, hoc etiamnum obſervari, proindeque Clericos mediatos ibi aliquamdiu commorantes, omiſſo judice ordinario, ademtoque revocandi domum jure, coram ſe conveniri poſſe ſanxit in c. ult. X. *de for. Compet.* add. Struv. *Exercit. ad ff. 9. th. 14. 15. & 16.*

3. *in ceteris ad Cameram*) vel judicium Cæſaris aulicum. vid. *§. 164. R. I. de anno 1654. & art. 14. Capitul. noviſſ.*

4. *Caminenſis*) & olim Pragenſis & Olomucenſis, per Animadv. *2. ad §. 33. h. c.*

5. *non ita Principatus ſeculares*) verum hos pariter ac eccleſiaſticos utriusque Slaviæ Principatus juris Teutonici eſſe, proindeque hactenus nullum eorum diſcrimen ſtatui poſſe, Animadv. *4. ad §. 33. h. c. it. §. ult. ſect. 4. c. 3. & §. ult. c. 1.* oſtenſum.

6. *Magiſter Boruſſicus & Livonicus*) de hoc facile concedo, quod dicit Autor, de illo vero dubitavi ſupra Animadv. ad *§. 11. c. 5.*

7. *niſi in jus civitatis aſſumti ſint*) Sed nec Principatus eccleſiaſtici extra Germaniæ fines ſiti ad Imperii Ordines referri queunt, niſi in civitatem

Teuto-

Teutonicam cooptatæ ſint. Quare nec hactenus inter hos & ſeculares Principatus differentia eſt.

8. *eſt civitas Italiæ*) Comitatu Tirolenſi tamen comprehenſa, quæ Bavariæ, & conſequenter Germaniæ etiam, pars eſt, per *§. 8. c. 3. & §. 39. c. 15.* Quid ergo mirum, Epiſcopatum Tridentinum Statibus Germaniæ connumerari?

§. 38. *competit*) unde Novemviro Brandenburgico quadruplex jus conferendi beneficia eccleſiaſtica recte tribuitur infra §. *16. c. 22.*

§. 39. *poſtulati dicuntur, non electi*) forte quod pontificii Status, ad quorum, ceu majoris partis, palatum ſtilus pragmaticus pacis tabularum aliarumque Imperii ſanctionum fere accommodari ſolet, its vitii quid hærere exiſtimant, quales non electi ſed poſtulati dicuntur X. *de poſtulando.*

2. *nec ulla confirmatione indigent*) quis enim eos confirmet, quantum ad Epiſcopale munus? non Papa, ut cujus ſupremæ circa ſacra poteſtati pridem nuncium miſerunt Evangelici; nec Auguſtus, quippe qui ſe eo jure undecimo jam ſeculo abdicavit, per §. *22. h. c.* indeque talia audere forte religioni ducit.

§. 41. *notorie fuit*) quod quidem quoad titulum certum; de re ipſa vero multi dubitant, quibus facile venia dabitur, propterea, quod Noſter, cauſas eccleſiaſticas a judiciis Germaniæ Archiepiſcopotum ad Primatem Magdeburgenſem per appellationis viam olim devolutas eſſe, documentis fide dignis nuſquam probatum dedit.

AD

Ad Cap. XIIX. Sect. 2.

De Equitum Eccleſiaſticorum Ordinibus.

§. 43.

ARmis tuendæ eccleſiæ) religionem ſeu eccleſiam pari adverſus parem, obtentu ejus vim ioferentem, armis tueri indiſcriminatim licet, quin interdum etiam inferiori contra ſuperiotem, ut adverſus Hugon. Grot. late defeudit Joh. Frider. Gronov. *in not. ad n. 8. §. 7. c. 4. l. 1. de jur. bell. & pac.* at eandem armis promovere & dilatare, ut ſupra *§. 32. h. c.* de ſacræ militiæ equitibus dicirur, naturæ religioois adverſatur, & Deo diſplicet, eoque nunquam juſtum eſſe poteſt, præſertim cum nemini injuria inferatur, ubi quis opinionem de Deo fovet vel ſacra colit, a quibus alter abhorret. Ubi vero nulla injuria, ibi injuſte ſumunrur arma; ſiquidem juſta belli cauſa non eſt alia, niſi injuria alteri vel in corpore, vel bonis vel honore illata, Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 1. §. 1. n. 4. & §. 2. it. c. 22.* quæ vulgo læſio juris alieni dicitur. Idem Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 17. §. 2. & l. 3. c. 11. §. 3. & 4.* Si ergo alteri a te religionis cauſa juſtum bellum inferri putas, idem is adverſus te ſibi licere exiſtimabit; & fruſtra objicis, religionem tuam veraoı eſſe, alterius vero falſam, quia id in ſtatu naturali, ubi extra rempublicam vivitur, adaoque judex deeſt, ad liquidum perduci

 nequit.

Digitized by Google

nequit. Quare nec pœnæ nomine bellum ob religionis diſcrimen ſuſcipi poterit, tum quod religio, interna præſertim, coactionem, cujus pœna ſpecies eſt, reſpuit, tum quod hæc inferiori a ſuperiore, vi imperii proprie & ſtricte dicti, infligitur, quale gentes liberæ inter ſe non agnoſcunt, dum ſibi invicem pares habentur. Monendo itaque docendoque errantes, qua tales, coercendi ſunt, armis aut verberibus nequaquam. Et qui alus populis liberis religionis prætextu bellum intulere, ut Carolus Magnus Saxonibus, & ſacræ militiæ equites Boruſſis Livoniſque, horum imperium cum terris magis, quam internam æternamque ſalutem eorum in animo habuere, quod & eventus ſatis comprobavit, dum ita ad religionem ſuam tractos, & priſtina libertate ſpoliatos in ditionem ſuam redegerunt. Ut proinde cauſa ejusmodi bellorum vera & ſuaſoria non alia ſit, niſi ambitio cum avaritia; juſtifica autem ſeu prætextus, religio. In quos adeo veriſſime quadrat illud, quod eccleſia repurgata canit: Ach GOtt der theure Nahme dein muß ihrer Schalckheit Deckel ſeyn! Conſentit Grotius, quantum ad religionem Chriſtianam; ſed religionem naturalem quod attinet, ex parte diſſentire videtur, juſtitia belli punitivi, quam is ſibi falſo imaginatur, deceptus, & propterea a Ziegler. ſupra Animadv. ad §. *10. c. 6.* excitato refutatus, *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 22.* §. *14. it. c. 20.* §. *47. & 48.* quibus junge §. *3.* & *40. ibid.*

2. *Templariis extinctis*) de quo infr. §. 46. *h. c.*

3. *de*

3. *deſiit*) prout infra §. 51. h. c. traditur. Quare extinctis tam Livonis, quam Templariis, hodie duo tantum equeſtres eccleſiæ Ordines ſuperſunt, Hoſpitalariorum ſcil. ſeu Johannitarum, & Marianorum ſeu Teutonicorum equitum.

§. 46. *multis improbata*) nec ſine cauſa, ut nuper demonſtravit Illuſtr. Dominus Thomaſius *in diſſert. de Ordine Templariorum extincto*.

§. 49. *occupata omni Boruſſia*) quam tem. ni fallor, omnium optime expoſuit Schutzfleiſch. *diſſert. 34 de rebus Pruſſorum, & diſſert. 35. ad res Pruſſorum.*

2. *togatorum ordo præcedit*) per §. 4. c. 10. §. 12. h. c. 18. & §. 18 - 26. c. 31.

§. 50. *Amiſſa igitur Boruſſia*) ſecundum §. 11. c. 5. ubi add. Animadv.

§. 51. *Enſiferorum Ordo*) cujus hiſtoriam cum cura expoſuit Idem Schurtzfl. *diſſert. 55. de Ordine Enſiferorum.*

§. 53. *ſed Commindæ*) quæ quid a beneficiis ordinariis differant, luculenter exponit Duar. *de ſacr. eccl. miniſt. l. 5. c. 7.*

2. *jure Clericorum*) add. Schilt. *l. 1. Inſtit. jur. Canon. tit. 12. §. 3.*

3. *nec feudorum capaces ſunt*) velut Clerici, per §. 5. c. 27. Ceterum hos equites feuda ipſa, ſi quæ ex ſingulari conſuetudine poſſident, ad ſucceſſores feudales, fructus autem, ob votum paupertatis, non ad heredes, ſed ad Ordinem, cui innexi ſunt, transmittere exiſtimat Schilt. *d. l. §. 5.*

§. 54. *falſum eſt*) quandoquidem heredis & ſuc-

ſucceſſoris conditio diverſiſſima eſt. Ille ſiquidem per fictionem unionis cum defuncti perſona, quæ, ut aliæ fictiones omnes, juris civilis inventum eſt, quascunque defuncti conventiones, eoque ſucceſſionem feudalem etiam, ab hoc promiſſam, implere tenetur, nec ulli earum contravenire valet, ſive proficuæ, ſive damnoſæ; hic vero eatenus ſolum tenetur, qua a deceſſore ex officii ratione faitæ ſunt; propterea, quod ille jus ſuum a defuncto vel ex teſtamento vel ab inteſtato ſeu lege habet; hic vero ex pacto ſive majorum, ut in feudis antiquis & regnis ſucceſſivis; ſive proprio, velut in regnis electivis, eccleſiis cathedralibus, monaſteriis, &c. quorum iſtis hoc loco Ordinum eccleſiæ equeſtrium Capitula comparantur, nanciſcitur. confer. Animadv. ad §. *29. c. 8.*

2 *contra canones*) quibus & omnes alienationes, quarum potiſſimæ ſpecies in l. ult. C. *de reb. alien. non alienand.* recenſentur, tam Capitulis, quam Prælatis, ceu Curatoribus eccleſiarum, interdictæ ſunt, per tot. tit. X. *de reb. eccleſ. non alienand.* exceptis, quæ ex neceſſitate & utilitate eccleſiarum fiunt. add. Deſſel, *Erotem. jur. Canon. ad d. tit.* & Duarenus *de ſacr. eccleſ. miniſt. l. 7. c. 9.* quod itidem in regnis ſucceſſivis & electivis obtinet, per allegat. Animadv. ad §. *29. cap. 8.*

3. *tum nondum vacantium*) quorum conceſſio prohibita *c. 2. X. de conceſſ. prabenda & eccleſia non vacantis*, ad evitandum votum captandæ

mortis

mortis nimirum; qua de cauſa pacta ſucceſſoria etiam jure Romanorum civili invalida habentur.

4. *receptum ſit*)quemadmodum & pacta ſucceſſoria in foris Germanorum, poſthabito jure Romano, valere docet Schilt. *Exercit. ad ff. 8. §. 36. ſeqq.*

Ad Cap. XIX.
De Statibus Imperii.

§. 1.

Obæret officium regni) Sed obſtat, eos non minus, qui in ordine Principum & Dominorum ſunt, quam qui ſervi dicuntur, olim jure Comitiorum uſi, miniſteria juxta cum officiis Regno præſtare, per *§. 31. c. 15.* nec Miniſterialibus & ſervis ejus officium prorſus abjudicandam eſſe, per *§. 10. c. 25.* Quapropter jus Comitiorum a Procerum & populi libertate indeque profluente poteſtatis regiæ temperamento felicius derivari puto, per *§. 8. 10. & 11. c. 7. & §. 13. c. 20.*

§. 2. *E republ. eſt*)concedo, quantum ad votum conſultativum, nego vero quoad deciſivum, expeditionem negotiorum publicorum quippe ſufflaminans. Unde paulo prudentioribus forma Monarchica cum Ariſtocratica tum Democratica felicior videtur.

2. *civitatum Imperii*) quas quidam jus ſuffragandi demum nactas eſſe dicunt, ex quo,abrogatis Imperii Sculteti s, indubiis Regni Statibus, in lo-
 cum

cum eorum hactenus ſuffectæ ſint; ſed perperam, mea quidem ſententia, cum ob populi, quo civitates etiam ſine controverſia continentur, libertatem, a qua jus Comitiorum *Animadv. ad §. 1. h. c.* arceſſivi, tum quod civitates eo jam tempore, cum adhuc Sculteros ab Imperio impoſitos haberent, Comitiis juxta cum his interfuiſſe certo certius eſt.

2. *de his agitur*) cui add. art. 1. *Capitul. noviſſ.* Ceterum ſi quis Principum forte, præter Principatus ſuos immediatos, terras quasdam mediatas, vel ſubjectionis vel feudi ſolum lege, poſſideat, illorum ſuffragandi juri propterea nil quicquam decedere indubium eſt.

3. *ratione jurisdictionis ſeu poteſtatis*) per Animadv. 1. *ad* §. 50. *c.* 3. & §. 41. *c.* 15. it. §. 6. *c.* 21. Unde Comites illos, quos Comitatus ſuos a Principibus quibusdam Imperii feudi jure recipere dicitur hic, & ſupra §. 35. *c.* 15. ſubditos Regni immediatos recte nominaveris, quanquam eos vaſallos mediatos eſſe, in cauſis feudalibus jurisdictionem talium Principum, ceu dominorum directorum, ſubeuntes, negari nequeat.

§. 3. *Regem Bohemiæ*) hunc tamen olim non minus, quam hodie jure Comitiorum gaviſum, & Moraviæ Sileſiæque ſuffragium Bohemico contineri, oſtenſum ſupra Aoimadv. 2. *ad* §. *ult.* c. 1. & *ad* §. *ult. ſect.* 4. *c.* 3. Unde Sileſiæ Duces & Moraviæ Marchiones cum Rege Bohemiæ ad Status Imperii referre non dubito.

§. 5. *etſi ſint in terris, quæ non ſunt juris Germani-*

manici) talis tamen omnino eſt Archiepiſcopatus Bizantinus, nec minus Rigenſis, ex quo uterque in jus Germanicum ſpeciatim cooptatus eſt, §. *12. h. c. &* §. *34. c. 18.* pariter ac Livonicorum equitum Magiſter; quemadmodum & Burgundiæ Sabandiæque Ducatus, antehac regni Arelatenſis membra, poſtea Status Germaniæ effecti ſunt, quales Vandaliæ ſeu Slaviæ Borealis quoque Epiſcopatus ſunt, in ſolo Germanico quippe ſiti, & juxta cum Principibus ejusdem ſecularibus civitatis Teutonicæ participes, per ſect. *5. c. 3.* de Magiſtro Boruſſiæ autem Animadv. ad §. *11. c. 5.* repetantur.

2. *nec jura ſecularia vel regalia habent*) adeoque mediati videntur, quales jam eo tempore, quo, Boruſſiæ Magiſterio extincto, Livoniæ Magiſter Imperii Statibus adſcriptus eſt, in Comitiis ſuffragari dudum deſierunt; & Boruſſiæ inſuper Magiſter Germanici regiminis rationibus plene innecti magno malo ſuo aliquando noluit. Quare & Prælatos ejus Comitiorum jure caruiſſe multo minus mirari debemus. Quodſi vero Clericos non qua Regni Germanici cives, ſed qua litteratos tantum Comitiis interfuiſſe dicas, ut perperam ſtatuit Noſter ſupra §. *33. c. 18.* Livoniæ Prælatos nec jurium regalium defectus, nec peregrinitas, nec mediata ſubjectio impedire potuit, quo minus cum Magiſtro ejusdem in Comitiis ſuffragarentur.

§. 6. *ante interregnum*) Quæ enim poſt auſpiciis Statuum conditæ, in terris immediatis etiam, mediatæ habentur ſupra §. *11. c. 16. &* §. *5. cap. 9.*

§. 6. *tranſactum fuerit*) add. Animadv. 2. *ad* §. 33. *c.* 5.

§. 7. *quæſita eſt*) ſupra §. 42. *c.* 5.

2. *Oſtfriſia*) ſupra §. 28. *extr. c.* 15.

§. 8. *ſpecialiter exemti*) de cujus exemtionis modo cauſisque vidimus ſupra in Animadv. ad §. 6. *c.* 9. *&* §. 11. *c.* 16.

2. *tantum Nobiles*) at hos, immediatos inprimis, Comitiis aliquando interfuiſſe certum, ſecundum Animadv. ad §. 14. *h. c.*

§. 10. Weder Stand noch Stimm) actu ſecundo ſcil. nam actu primo Bohemia Ferdinandi I. ævo jure Comitiorum polluit.

2. *non agit de vocatione ordinariæ*) contra quam mihi videtur, quia Dux & Rex Bohemiæ conſultationibus publicis ante & aliquamdiu poſt interregnum revera interfuit, & regionem intra Germaniam poſſidet, & Archiofficium Regni gerit, proindeque pro cive & Statu ejus tamdiu habendus eſt, quoad, eum, ut Vaſallum tantum, extra ordinem ad Comitia vocatum eſſe, argumentis firmioribus, quam quæ Noſter habet, non probatur.

3. *privilegium Friderici II.*) cujus ſummam exhibemus ſupra Animadv. 2. *ad* §. *ult. c.* 1.

4. *nullatenus factum*) quando ſcil. Comitia alibi quam Merſeburgi, Bambergæ & Noribergæ habebantur; tum enim Rex Bohemiæ comparere non tenebatur, eoque vocatio ejus velut fruſtranea omiſſa eſt. Sed reſpondeat præterea quis, Autoris noſtri de Bohemia ſententiam fovens, ad duo illa argumenta, quæ ſupra cit. Animadv. 2. *ad* §. *ult.*

ult. cap. 1. ex *4. & ult.* A. B. titulo depromta ſunt.

§.14. *Nobiles immediati*) quos hodie jure Comitiorum non uti, eoque nec Statibus Imperii amplius coonumerari poſſe, oltro concedo; eos vero olim etiam juris Comitiorum expertes fuiſſe, propterea perſuaderi nequeo, quod civitates liberæ, ſeptimo clypeo militari adſcriptæ, adeoque Nobilibus immediatis, io clypeo ſexto ſaltem conſtitotis, uoo dignitatis gradu inferiores ſunt, ut clare liquet ex Imperii Conſtitutionibua paulo antiquioribus, ut A. B. Reformat. Friderici III. & Alberti III. Imperii in quatuor Circulos diviſione, quam tamen Noſter *§.1.extr.c.4. & App.3. c.33.* ſpuriam dicit, aliisque pluribus, ubi Nobilea civitatibus Imperialibus præponuntur, & conſilium conſenſumque eorum pariter ac reliquorum Statuum a Regibus adhibitum, ſimul memoratur, necaliud de iis, quaotum ad aotiquiora Germaniæ tempora ſtatui poteſt, per *§. 8. & ſeqq. c. 7.* ubi regia poteſtas ab omni memoria & a prima Germanici regni origioe non Ariſtocratico ſolum, ſed Democratico inſuper ſtatu temperata dicitur, cui add. *§. 13. c. 20.*

2. *ſed miniſterium*) ſed vid. Animadv. ad *§. 12. c. 15. & §. 1. h. c.*

3. *iis præſentibus*) quin etiam adſidentibus, ut cit. A. B. loc. de Nobilibus non minus, quam ceteris Imperii Statibus, memoriæ proditum.

4. *imo & conſultis*) quod idem tamen, nec plus, ibi de ceteris Imperii Proceribus refertur. Il-

lud vero facile concedo, ut conſilii & aſ-enſus diverſa conditio eſt, ita nec eum, cujus conſilium ſolum adhibendum, continuo pro Statu Imperii haberi poſſe, ut qui, præter conſilium, conſenſum inſuper impertieodi jus habet.

5. *in actu coronationis*) Hoc nihil ad rem, dum & coronationis actus pro Comitiis haberi poteſt, quatenus ibi de negotiis Imperii cum Procerum univerſorum conſenſu & conſilio tractatur.

6. *ut Reformatio Polit. Friderici III.*) ibi vero præterea, eam Reformationem cum conſilio Nobilium non minus, quam reliquorum Imperii Ordinum conditam eſſe perlubetur,

7. *ſed magis firmant*) quod ego quidem non video, dum ibi Nobiles immediati Statibus Imperii expreſſe annumerantur, nec id de ſolis Statibus circularibus intelligi poteſt, cum Nobiles ejusmodi Circulis exemtos doceat Noſter ſupra §. *21. extr. c. 4.* Ceterum cauſa, cur Nobiles immediati jure Comitiorum excideriot, quod civitates immediatæ contra in hodiernum usque diem tuentur, hæc eſt, quod hæ, olim præſertim, opibus multum valuerunt, resque ſuas inde bene compoſitas habuerunt; illi autem nec opibus multum polluerunt, nec rerum ſuarum, prout par erat, ſategerunt, maxime belli tricennalis tempore, ubi ſtatus eorum publicus valde turbatus & fere peſſundatus eſt. Unde Nobilibus jure Comitiorum, moleſto & ſumtuoſo non minus, quam ſplendido, abſtinere conſultius

ſtius viſum. Ceterum utrum hodie, amiſſo Comitiorum jure, Nobiles hi civitatibus immediatis, jure Comitiorum adhuc fulgentibus, ordine cedere teneantur, infra ad *§. ult. c. 25.* videbimus.

AD CAP. XX.
De Comitiis Statuum Imperii.

§. 4.

(Reichs- Churfürſten- Fürſten- und Graffen-Täge) de conventibus Circulorum *c. 4.* & Electorum *§. 10. c. 14.* actum; Principibus autem & ceteris Imperii Statibus omnibus ſui ordinis conventus habere Capitulationibus Cæſareis potiſſimum permiſſum, idque noviſſima etiam art. *13. extr.* repetitum, quod jure communi tit. ff. *de Collegiis & corporibus*, prohibitum. add. A. B. *tit. 15. de conſpiratoribus.* . Unde conventuum & collegiorum conceſſio velut diſpenſationis ſpecies, ad jura majeſtatis refertur infra *§. 31. c. 23.*

§. 7. *tres Electores Evangelici*) quanquam enim potentiſſimus Saxoniæ Elector Pontificiæ religioni adhæreat; nihilominus tamen cauſis Evangelicorum communibus ut Director etiamnum præeſt, hincque in Deputatorum Imperii Statuum conventibus illorum partibus merito aſſociatur.

§. 9. *& tempore*) de quo Capitul. noviſſ. art. 13. cautum, ut ne, diſſolutis præſentibus Comitiis, dehinc Comitiorum novorum indictio ultra decennium protrahatur; quod intervallum temporis

ris tamen ceteris Statibus nimium videtur, interea negotia Imperii communia vel a ſolo Cæſare, vel adhibito Electorum tantum conſilio & conſenſu expeditum iri augurantibus. Ceterum olim ſingulis annis Comitia, menſis ſpatio concluſa, habenda fuiſſe, ex Conſtitutione Maximil. I. de anno 1495. *de pace publ. tuenda tit. 1.* apparet. add. Monzamb. *de ſtatu imp. German. c. 5. §. 24.* & Grundv. *part. 1. c. 3.*

§. 12. *at qui in terris immediatis*) cum vero in Animadv. ſuperioribus ad §. *ult. c. 7. it. §. 1. - 7. &c 9. & §. 11. c. 17.* oſtenderim, terrarum mediatarum & immediatarum diſcrimen ante interregnum, a quo tempore Noſter h. & ſeqq. §§. *13. 14. & 15.* deducit, vel nullum vel exiguum ſaltem fuiſſe; nec Comites majores nuda tantum officia geſſiſſe, omnino ſequitur, ut & horum ſubditi pro mediatis habeantur. Quapropter diverſus ſuffragandi modus, qui inter Principes & Prælatos Comitesque & Barones intercedit, infra §. *15. h. c.* expoſitus, mihi aliunde arceſſendus eſt, ejusque cauſam eſſe puto, tum quod ſuffragia numero Comitum Prælatorumque, collegio Principum comprehenſorum, æquam negotiorum publicorum expeditionem ſufflaminare viſum, tum quod Principes Prælatos, Comites & Barones tam dignitate, quam terrarum amplitudine miris modis ſuperant.

§. 14. *Comites*) at vid. Animadv. ad §. *11. h. c.*

2. *civitatum legati*) concedo de civitatibus immediatis, quæ forma Democratica reguntur, ubi non

non ii ſoli, qui magiſtratum & officia nomine & jure populi gerunt, ſed univerſi cives, in corpore ſeu complexu ſcil. conſiderati, immediati ſunt; nego vero quo ad eas, quæ Ariſtocratico regimine gaudent, quandoquidem harum Optimates jure proprio in conſultationibus Imperii publicis ſuffragari certum eſt. vid. *§. ult. c. 17.* & ibi Animadverſ.

3. *Prælati minores*) i. e. Abbates monaſteriorum immediati, per quos Clerum, cui non proprio ſed adminiſtratorio potius jure præſunt, in conventibus Imperii referri, facile largior.

§. 15. *quaſi propria*) quæ explicatur ſupra *§. 6. c. 15.* ubi tamen Animadverſ.

§. 16. *cum totidem ſuffragiis*) quod admitto, quantum ad Prælatos & Comites, Principum quippe Collegio comprehenſos; de civitatibus immediatis non item, ut quæ integrum ſeparatumque Collegium conſtituunt, eoque his paulo plus tribuendum videtur, ceterorum duorum Collegiorum ratione inita, per *§. 27. 37. & 40. h. c.*

§. 17. *quibus Barones comprehenſi*) non qui titulum tantum & inſignia habent, ſed qui Baroniam cum territorii ſuperioritate poſſident, qua de Baronum differentia ſupra *§. 37. c. 15.* actum.

§. 18. *cum totidem ſuffragiis*) ſed vid. Animadv. *ad §. 16.*

§. 20. *in jure provinciali*) neque hic textus de Directorio Palatino in Comitiis loquitur, neque id ſupra *cit. §. 4. c. 16.* ubi de Vicariatu Palatino, probatur.

2. *in cauſis extraneorum*) quod iis, quæ ſupra

pta *§. 6. c. 11.* de Archimareſchallatus officio & amplitudine habentur, omnino conveniens eſt.

3. *ut Comite Palatii*) mihi vero non videtur, cum Comes Palatinus quicunque, qua talis, Electoribus cum dignitate, tum poteſtate inferior ſit, per *§. 14. & 16. c. 15. & c. 12. n. 14.* neque horum Collegio unquam adſcriptus memoretur, ejusque poteſtas omnis intra provinciam terminetur, proindeque ad ejusmodi dirigendi munus protendi nequeat, quippe quod a nemine, niſi ejus Collegii, quod dirigendum, membro nobiliori, cum ratione affectari poteſt.

4. *Colonienſis & Trevirenſis*) ut Archicancellarii, ille per Italiam, hic per Galliam & Arelatenſe regnum, quod utrumque tamen cum a Germanorum republica diverſum ſeparatumque ſit, eoque neuter iſtorum Archicancellariatuum huc porrigi valeat, inde Electoris Saxoniæ cauſa potior videtur, qui & Capitulo ſedis Moguntinæ vacantis ob allegatam rationem omni jure præferri debet. add. omnino Kulpiſ. *in not. ad Monzamb. part. 2. c. 5. §. 26. p. m. 163. ſeqq.*

§. 23. Auſtria & Burgundia) propter ordinis rationem ſupra *§. 15. c. 15.* expoſitam.

2. *Epiſcopi Evangelici*) ſupra §. *39. c. 18.* nominati.

3. *præcedunt legatos*) quia hos cum charactere repræſentativo ad Imperii conventum mitti adhuc inſolitum. In aliis autem negotiis, quorum expediendorum cauſa a Principibus ſuperioribus, ut Electoribus, legati primi ordinis mittuntur, hi

Princi-

Principibus infetioribus ptæferri ſolent, per *§. 13. n. 7. c. 14.*

§. 25. ad Comitia pertinet) concedo, ſicubi Cæſari ita placuerit, ſecus, nego. Cum enim hic in omnibus indifferenter cauſis ſeu criminalibus, ſeu civilibus, ſive allodialibus ſive feudalibus, Statuum judex ſit, cur iſti in controverſo horum ordine jurisdictio abroganda ſit, non video. Adhæc ipſe Autor *§. 29. h. c.* docet, in Comitiis negotia Imperii publica tractanda eſſe, pro quibus ordo Statuum controverſus haberi nequit, cum potius ad privata eorum negotia ſpectet, quorum arbitrium penes Cæſarem eſt. Quanquam autem aliquando hæ quorundam Statuum controverſiæ vel ad Regimentum, vel ad Comitia, vel ad Deputatos remiſſæ dicuntur, inde tamen, quod Noſter vult, nequaquam probatur, ſiquidem hæc remiſſio ex voluntate Cæſaris facta, & præterea ad amicæ compoſitionis & nudæ notionis terminos reſtricta eſt, judiciaria deciſione in deficientis transactionis eveotum Imperatori expreſſe reſervata, ut omnes Imperii Receſſus, quotquot de hac re loquuntur, luculenter teſtatum faciuot. vid. R. I. de anno 1500. *tit. 52.* wie die Irrung der *Seſſion* zwiſchen den Fürſten hingelegt werden ſoll, durch das Regiment; & R. I. de anno 1566. §. Als ſich auch noch etwas Irrungen *&c. 179.* it. R. I. de aooo 1570. §. Zum letzten *&c. 160.* it. R. I. de anno 1576. §. Ferner und zum ſiebenden *articul &c. 112.* & R. I. de anno 1603. §. Der in dem Heil. Reich noch uner-

unerledigten *Seſſion*-Streit halben *&c. 66.* item R. I. de anno 1641. § Als ſich auch noch etwas Irrung *&c. 96.* & R. I. de anno 1654. §. Als ſich auch bey gegenwärtiger Reichsverſammlung *&c. 196.*

2. Ordo ex cap. 15.) ſecundum quem (1.) Electores; (2.) Palatini Comites, qua tales; (3.) Duces noviores, Archiofficio deſtituti; (4.) Landgravii; (5.) Marchiones; (6.) Burggravii, Principum honore fulgentes; (7.) Principes ſimpliciter ita dicti; (8.) Comites, quibus Principum titulus additus; (9.) Comites; (10.) Barones, locum ſortiuntur. Et quemadmodum eccleſiaſtici Electores ſecularibus ſeu profanis, ita & Archiepiſcopi cum Epiſcopis, ceteris Principibus omnibus, & Ducibus etiam novioribus, & Prælati immediati Comitibus Baronibusque, in ordine præferuntur, per *§. 12. c. 18. &* §. *21. c. 31.* exceptis tamen Auſtriæ & Burgundiæ Ducibus, qui omnes Principes eccleſiaſticos, atque Archiepiſcopos etiam, præcedunt, per §. *15. c. 15.* Deinde Principes, perſonali tantum, hereditaria tamen, dignitate gaudentes, Comitibus & Baronibus, jus ſuffragandi licet habentibus, indiſcriminatim anteponendi ſunt, per §. *27. c. 15.* Præterea in unoquoque ordine eorum locus potior haberi debet, quorum Principatus, ſive eccleſiaſtici, ſive ſeculares, Prælaturæ ſeu Abbatiæ immediatæ, Comitatus, vel Baronia, ceteris ejusdem ordinis antiquiores ſunt, per §. *ult. c. 1.* §. *12. & 15. c. 12.* §. *9. & 12. c. 15.* add. Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 5.* §. *21.* Sed & Principes familiis Archiofficialibus innexi, ut Saxoniæ & Bavariæ

Du-

Duces, Marchiones Brandenburgici, Comites Palatini Rheni & Brunſuicenſes Duces, ob ſucceſſionis in Archiofficia jus, reliquis Principibus omnibus, quamlibet ordine alioqui ſuperioribus, anteponuntur, per §. 17. c. 27. iſti vero inter ſe eum ordinem ſequuntur, qui Archiofficiis ipſis debetur. Unde Saxoniæ Duces, Brandenburgicis Marchionibus, hi vero Palatinis Comitibus & Brunſuicenſibus Ducibus, poriores ſunt, quemadmodum & iſtis hi inferiores habentur. Ut enim Archimareſchallatus Archicamerariatu & Architheſaurariatu, ita & iſte hoc eminentior & antiquior cenſetor.

3. *jus ante quæſitum*) ot ſi Principi, qui Principatum, altero ejusdem ordinis recentiorem, poſſidet, locus potior, vel pacto vel præſcriptione, quæſitus ſit, qui iſti per ſeotentiam Cæſaris nequaquam auferri debet, & ſic io ceteris etiam.

§. 26. *Comitii capax non ſit*) unde apparet, Autorem cum illis facere, qui Comitia in civitatibus mediatis a Cæſare & Electoribus, invitis reliquis Statibus, iostitui poſſe negaot, quod tamen alii contra affirmant, propterea, quod id nulla Imperii ſanctione interdictum ſit, quanquam, ea adhuc in nulla civitatum mediatarum habita eſſe, certum. Verumeoimvero Noſtro ſuffragatur, quod uſus conſtans & diuturnus legem imitetur, per §. 3. c. 1. & Cæſar cum Electoribus non minus, quam ceteri Status, legibus Imperii, ſeu ſcriptis ſeu non ſcriptis, obſtricti habentur. add. Anim. 5. ad §. 3. c. 8. Accedit, quod, Comitia in civitate aliqua mediata inſtitui, cum Imperii honori, tum Principum libertati

 bertati

bertati maxime, adverſatur. Quare nec exceptio: *tua non intereſt*, qua alias actor quilibet repellitur, Statibus reliquis valide opponi poterit.

§. 29. *ſunt negotia Imperii publica*) quæ ſcil. ſalutem totius Imperii reſpiciunt. Quare quæ ſingulorum Statuum & parentium cauſas attingunt, ad negotia privata pertinent, quæ ſolius Imperatoris arbitrio & jurisdictioni ſubſunt, nec ad Comitia trahi poſſunt. Unde patet, quid reſpondendum ad quæſtionem: *an per ſententiam, vel Cameralem vel aulicam, gravato ad Procerum conventum provocare liceat?* quod ego intrepide negandum cenſeo, quia (1.) Imperii jurisdictio ad Imperatorem ſolum ſpectat; (2.) provocatio a judice inferiori ad ſuperiorem fit; at, Status Cæſare ſuperiores eſſe, falſiſſimum, per *§. 8. c. 8.* & Animadv. *2. ibidem.* Quodſi vero quidam judicii aulici nævi obtendantur, (3.) illi non per univerſos Status, ſed per Electorem Moguntinum, velut Archicancellarium, corrigi debent, ſecundum art. *24. Capitul. noviſſ. & §. 56. articul. 5. Pacis Osnabrugenſis.* Nec ab hac ſententia me dimovet, quod quidam objiciunt, olim multas controverſias privatas in Comitiis cognitas & judicatas eſſe, *infra §. 5. c. 30.* idque etiam poſt uſu veniſſe, quam judicium Camerale inſtitutum, prout Receſſus Imperii, antiquiores præſertim, teſtantur; dum id volente Cæſare factum, per *§. 34. h. c.* proindeque, eo diſſentiente, in aliis cauſis in conſequentiam trahi nequit. Et quanquam cauſæ, inter duas diverſæ religionis partes diſceptatæ, judicii Auguſti aulici vel Cameralis Aſſeſſoribus diſſentientibus, ita ni-

mi-

mirum, ut Evangelici ſimul omnes in unam, Pontificii autem ſimiliter in alteram ſententiam abeant, ad Comitia Imperii univerſalia remittuntur, per *§. 56. Art. 5. pac. Oſnabr.* tamen hæc devolutio pro provocatione proprie dicta haberi nequit. Præterquam enim, quod appellationem ſententia inferioris judicis ſemper praeedere debet, quæ contra in prædicta ſpecie ſuſpenditur; Comitiis inſuper, facta ejusmodi devolutione, non alia, niſi amicæ compoſitionis, via relicta eſt, facultate eam diſceptationem per ſententiam dirimendi prorſus intercluſa, per *§. 50. & 52. dicti art. 5. pac. Oſnabrug.* quæ tamen judici ſuperiori cuicunque, interpoſita appellatione, alioqui permiſſa eſt. add. Decretum Cæſareum de anno 1715. apud Illuſtr. Dom. de Ludolph. *n. 2. Append. 3. Comment. de jur. Camer.*

§. 30. *ex communi Imperii conſenſu*) diſtinguenda ſcil. electio Regis ab ipſa Capitulatione, illa ſolis Electoribus indubie competit; hæc vero univerſis Statibus, per Animadv. *2. ad §. 10. r. 14.* Quod etſi iſti poſt conditam pac. Oſnabr. *c. l.* hiſce largiuntur, prout, inter alia, procemia Capitul. Leopold. Joſeph. & Carol. ſatis teſtatum faciunt, ubi hæ non minus reliquorum Statuum, quam Electorum nomine, aliter atque priores, initæ dicuntur; nihilominus tamen jus adcapitulandi Electores ſibi denuo reſervarunt, per art. *ult. Capitul. noviſſ.* eo valens, ut inpoſterum Electoribus, vel addendo vel detrahendo, Capitulationem perpetuam, pro re nata, mutare liceat; cui tamen ceteri Status adhuc contradicunt, hoc pacto jus capitulandi ſecum

communicatum eluſum iri autumantes. vid. Furſtener. *de Suprem. c. 38.*

2. *moderatio & remiſſio*) mirum vero, Germanos ſimul de reducendis Statibus exemtis vel redintegrandis Circulis, & moderandis collectis cogitare, cum modus collectarum adhuc receptus nequidem ad Imperii defenſionem, nedum ad offendendum, & redintegrandos Circulos, aut Status exemtos reducendos ſufficiat.

3. *in collectis imperii*) de quibus vid. *§. 36. n. 4. h. c.* & ibi Animadv.

§. 31. *duodecima ſola deciſa eſt*) ut & tertia, per art. *20. Capitul. noviſſ.*

§. 32. *conſentiri debeat*) quod negandum videtur, quia conſultatione Circulari res Germanorum tributaria, ſatis jam difficilis, magis impeditur, quam expeditur, certiſſimo reip. damno, hodie præſertim, ubi res Circularis plurimum languet, & in pauciſſimis Circulis conventus, contra quam decet, habentur. Ceterum cauſa hujus quæſtionis ex Animadv. 2. *ad §. 11. c. 4.* apparet.

2. *mutari poſſit*) quod negandum videtur, propterea, quod Status, quantum ad jus ſingulis quibusdam, vel alterutri diverſæ religionis corpori, quæſitum, ut unum corpus ſpectari nequeunt, eoque nec jus ejusmodi cuiquam per majora auferri poteſt, ſed ejus, cujus intereſt, conſenſus inſuper accedat neceſſe eſt. Et quanquam interpretatio legum Imperii authentica ad Procerum conventum indubie ſpectat, per *§. 2. art. 8. pac. Oſnabr.* ut & doctrinalis tum, cum in cauſis, quæ inter diver-

ſæ

ſæ religionis conſortes diſceptantur, ſummorum tribunalium Aſſeſſores ita, ut omnes una Pontificii in unam, & Evangelici pariter io alteram ſententiam abeant, diſſentiunt, per *§. 56. art. 5. Pac. Oſnabr.* in aliis tamen caſibus poſterior interpretationis ſpecies dictis tribunalibus abrogari nequit. Conf. Animadv. *4. ad §. 36. h. c.*

§. 35. re- & correlatio) a qua civitates immediatæ excluduntur, eoque ſuffragium earum deciſivum fere eluditur, per *§. 40. & 41. h. c.* unde iſtarum querelæ, quas exhibet Autor der Grundveſte *part. 2. c. 6.*

2. Reichs-Bedencken) ſive Reichsgutachten, quod, poſtquam ab Imperatore approbatum, Reichsſchluß dicitor, quanquam, hoc nomine late accepro, Reichsbedencken, ſive Gutachten, aliquando venit; a quo urroque ſingulorum Collegiorum, per quæ Proceres dividuntur, concluſa, Churfürſtliche, Fürſtliche, Städtiſche Schlüße, ſecernunrur. add. omnino Kulpiſ. *in not. ad Monzamb. part. 2. c. 5. §. 26. p. m. 175.*

§. 36. concludit pars major) ut egregie docet Hogo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 5. §. 17. 18. 19. & 20.*

2. *cauſa religionis*) ſive ea res eccleſiaſticas & exercitium religionis externum, ſeu decorum eccleſiaſticum, ſive religionem ipſam attingat, ob commune Regis & Procerum placitum, cit. pac. Oſnabr. deſcriptum: quo ſemoto, ut res eccleſiaſticæ cum decoro eccleſiaſtico ſummo imperio civili ſubjacent, per *§. 4. & 29. c. 18.* ita eadem majo-

 ris

ris ſuffragantium partis voluntati obnoxia eſſe puto; aliter atque religio ipſa, quippe quæ civili imperio exemta, eoque majori ſuffragantium parti ſubjici nequit, per §. 1. 2. & 3. *tit. 29. d. c. 18.* & Animadv. ibid. add. Ziegl. *in not. ad Grot. l. 2. de jur. bell. & pac. c. 5. §. 17.* & Pufendorf. *de habitu religion. Chriſtian. ad vit. civil. §. 36. 37. & 38.*

3. *Quoties diſſident*) in cauſis, ſive res juraque eccleſiaſtica, ſive ſecularia Statuum, attingentibus, ſecundum §. *56. art. 5. Pac. Oſnabr.* add. Animadv. ad §. *29. h. c.* Ex quo facile intelligitur, quatenus hæc ſecunda exceptio a præcedente prima differat, dum illa ſolius religionis cauſæ Statuum continentur; hæc vero inſuper ad profanas extenditur.

4. *ut unum corpus*) Ut eo melius intelligatur, quando Status ut unum corpus ſpectari nequeant, prius videndum, ubi ut unum corpus ſpectari poſſint. Conſiderantur nimirum Status ut unum corpus, quando de communibus totius Imperii negotiis, ſupra §. *30. 32. & 33. h. c.* enumeratis, in Comitiis conſultatio inſtituitur, in quibus pars major concludit; ſecus, ubi cauſæ ſingulorum diverſæ religionis Statuum, ſive profanæ ſive eccleſiaſticæ, coram ſummis Imperii tribunalibus in diſceptationem veniunt; tum enim ut unum corpus ſpectari nequeunt, per Animadv. *ad §. 29. h. c.* quæ ſpecies jam exceptione ſecunda continetur. Sed nec ut unum corpus Status conſiderari poſſunt,

ſunt, quotieſcunque inter corpus Evangelicum & Pontificium de cauſis religionis contentio nititur; dum hactenus negotiorum publicorum communio ceſſat, Imperiumque in duas partes diverſas & contrarias ſcinditur; quam ſpeciem exceptio prima complectitur. Unde manifeſtum fit, per exceptionem hanc tertiam nihil novi induci, ſed eam exceptione prima & ſecunda jam comprehenſam eſſe. Ceterum hæc ita obtinent, ubi inter ſingulos diverſæ religionis Status, vel hujus diverſa duo corpora, ut dictum, diſceptatur. Ubi enim uni vel pluribus Statuum cum toto Imperio res eſt, ut ſi in eorum territoriis nova munimenta exſtruenda, veterave præſidiis firmanda ſint, nomine publico, vel territorium alicujus Status, pacis ſtabiliendæ conſervandæve cauſa extraneo cedendum; ſuffragiis majoris partis indubie locus erit, ob dominium ſupremum & eminens, quod, boni communis cauſa, Imperio in ſingulos Status horumque bona competit, quandoquidem utilitas communis ſeu publica commodo privato, omni jure, præfertur, nec hactenus damni ſingulis illati ulla ratio haberi poteſt. vid. *§. 2. art. 8. pac. Oſnabr.* & Animadv *2. n. 1. & 4. ad §. 37. c. 5.* it. Animadv. *ad §. 15. cap. 9.*

5. remiſſa eſt) inde ergo deciſio expectanda. Interim vulgaris diſtinctio collectarum neceſſariarum & voluntariarum, quarum illæ in neceſſitatem & utilitatem publicam; hæ vero in privatam Cæſaris exiguntur, parum apta videtur, dum non minus dignitatis regiæ, quam jurium

 publi-

publicorum ſuſtentatio ad negotia Imperii communia ſpectat, ubi pars major alioqui concludit, per Animadv. *4. ad h. §.* add. *§. 18. c. 9.*

§. 37. *inprimis rejicitur ſententia*) ut quæ *h. & ſeqq. §. 38. 39. & 40.* docetur, lux paulo clarior præferatur, notamus (1.) Cæſarem in Comitiis ea, de quibus conſultationes publicæ instituuntur, proponere, Status autem, (2.) remoto eo, deliberare; per *§. 34. h. c.* Unde porro ſequitur, (3.) Cæſarem in Comitiis cum Proceribus non ſuffragari, & proinde (4.) iſti ſuffragiorum ſemiſſem perperam tribui; ſed (5.) totum horum aſſem Statibus adſcribendum eſſe; (6.) unum hujus aſſis trientem ad Electores, alterum ad Principes, (quibus Prælati, Comites, Barones, hactenus continentur,) tertium ad civitates, ſecundum vulgarem uſuque receptam opinionem, ſpectare, per *§. 13. n. 11. c. 14.* & *§. 40. h. c.* (7.) in computatione majoris ſuffragiorum partis nullam rationem Cæſaris habendam, ſed (8.) ad prædicta tria Procerum & populi Collegia ſolum reſpiciendum eſſe; *per h. & ſeq. §. 39.* Et quanquam (9.) in negotiis, quæ ad Comitia deferuntur, Cæſar, diſſentientibus inter ſe tribus Procerum collegiis, regulariter nihil valide agat; per *§. 39. h. c.* ei tamen (10.) trium horum collegiorum quamlibet unanime concluſum infirmandi & reprobandi jus eſſe, quinimo (11.) tali concluſo, ante Auguſtam approbationem, nullas vires eſſe; per *§ 39. h. c.* (12.) Cæſaris poteſtatem a nudo dirigendi jure miris modis differre, cum & juriſdictionem in Proceres, multaque præterea jura regia, his in-

con-

conſultis, exercere habeat, & integro Procerum corpori in negotiis Comitialibus par ſit, quæ omnia in aliis collegiorum Præſidibus ſeu Directoribus longe aliter ſe habent, quippe qui ſoli abſque ceteris Collegis nihil poſſunt, collegioque inſuper ipſi, cui præſunt, obnoxii vivunt, nec in Collegas juriſdictione pollent; eoque (13.) delirate, qui Germaniæ Regem cum nudo Præſide & Directore comparare audent; contra vero (14.) cum Autore noſtro ſapere, qui Monarchicam ejus poteſtatem, quamvis aliquantum adductam, reverenter & prout par eſt, ſuſpiciuot. add. Animadv. *ad* §. 2. §. & 9. c. 7. & §. 8. c. 8.

2. *Acquantur ſextante*) vel triente, ut ex Autoris noſtri mente, Animadv. *praeed.* 1. *ad h.* §. uberius expoſita, accuratius dicitur. Quicquid autem ſit de vera trium Collegiorum, in quæ Imperii Proceres dividuntur, ſuffragia inter ſe computandi ratione; quantum ad uſum Comitiorum modernum tamen ooſter ipſe fateur §. 40. *h.c.* civitates immediaras hactenus collegio vel Principum vel Electorum pares haberi, quemadmodum & hi iſtis exæquantur ſupra §. 13. n. 11. c. 14. add. Animadv. *ad* §. 16. & 18. *h. c.*

§. 38. *majoris minimum partis*) ut enim in collegiis Procerum ſingulis major ſuffragiorum pars valet, ita nec in univerſo iſtorum corpore minoris partis ratio habenda eſt, per Animadv. 1. *ad* §. 36. *h. c.*

2. *per modum contractus fieri*) concedo, ubi omnes & ſinguli, quorum intereſt, conſentiunt, uti

neceſſe eſt, quando per pactum plurium obligationem omnium induci placet; nego vero, quando conſentiens pars major obligat minorem diſſentientem, ut fit in omnibus, adeoque Statuum etiam collegiis & univerſo eorum corpore; tum enim majoris partis potius, quam contractus jure obligatio inducitur. Nec illa vulgata Receſſuum Imperii clauſula, *n. 3. h. §.* allegata, mihi refragatur, ſed, quod dixi, magis probat, dum ea Status univerſi cum Cæſare comprehenduntur, & proinde non ratio tractandi negotia Comitialia in corpore Procerum innuitur, ſed horum & Imperatoris nexus, & de ſalute communi ſtatuendi modus, deſignatur. Cum enim hic, velut omnium ſupremus, per modum legis obſtringi nequeat, eum per modum pacti & promiſſi tantum teneri, neceſſe eſt, aliter atque de ſingulis Regni Statibus obſervamus Animadv. *ſequ. 3. ad h. §.*

3. *unde ipſi interſe per modum pacti)* quod itidem Noſter docuit ſupra *§. 5. c. 1.* ego vero Status ſingulos Imperii decretis ſtatutisque eodem, quo ſinguli de populo in Democratia, & de Optimatibus in Ariſtocratia, modo, legis nimirum, non pacti, obſtringi puto. Quemadmodum enim in Ariſtocratico & Democratico ſtatu Optimates & Populus, qua ſinguli ſpectantur, parere, & univerſi demum imperare & leges condere dicuntur; *vid. §. 3. c. 2.* ita multo magis de ſingulis Germaniæ Proceribus, communi regio imperio obnoxiis, idem dicendum videtur. Quodſi vero cum quibusdam regiæ poteſtatis, eoque ſalutis publicæ, obtre-

tractatoribus contendere velis, Germaniam unam rempublicam non eſſe, ſed ſyſtema plurium ſocietatum civilium, inæquali foedere junctarum, in quas legum proprie dictarum vinculum non cadat; reſpondeas prius quæſo ad duo argumenta, quæ ſupra Animadv. *4. ad §. 12. c. 7.* huic perverſæ opinioni oppoſui, quæ ubi ſatis confutata videro, ſententiam tuam avidiſſime amplectar. Et vel ſola provocatio ad Cæſarem, quæ contra Statuum ſingulorum decreta & ſententias gravatis datur, errorem iſtum peſtilentem jam memoratum ſatis convellere poteſt. Ad hæc perſona Cæſaris adeo ſancta habetur, ut qui eam quocunque modo violare audet, læſæ Majeſtatis reus exiſtat, per §. *10. c. 12.* qui veræ ſubjectionis character eſt. Quid? quod juriſdictio, Cæſari in Status ſingulos in cauſis indifferenter omnibus, ſeu feudalibus ſeu allodialibus, ſive civilibus ſive criminalibus, competens, nexus feudalis, aut foederis inæqualis, terminos multum excedit, nec intra nudi Præſidis foederisve ejusmodi munus conſiſtit Imperator, univerſorum Statuum unanime placitum, ubi hoc ei diſplicuerit, in Comitiis reſcindendo, per §. *39. h. c.*

§. 40. *obtinere majora)* tam ubi civitates immediatæ in alterutrius duorum collegiorum ſuperiorum ſententiam eunt, altero horum diſcordante; quam ubi a prædictis duobus collegiis conſentientibus civitates immediatæ diſcedunt, add. *§. 37. h. c.*

§. 41. *ſed unanimia)* aut duo ſuperiora collegia inter ſe diſcordant.

§. 42. *ſed negant ſe ad id teneri*) ex cauſis, quas exponit Monzamb. *de Statu Imperii German. c. 5. §. 26.* Ceterum Autoris ſententiam tum demum obtinere puto, cum moræ periculum, ordinem propoſitionis Cæſareæ ſervari, vetat.

§. 43. *adito Mareſchallo*) per *§. 6. c. 11.*

§. 45. *mandatum exſpirare conſtat*) mortuo ſcil. prius Imperatore, quam vel lis conteſtata, vel partes litigantes a Commiſſario in jus vocatæ; nam alterutro horum ante Imperatoris exceſſum facto, mandatum, ſeu commiſſio, nihilominus abs que renovatione vel Vicariorum vel ſucceſſoris ſubſiſtit & continuatur, per *c. 19. 20. & 30. X. de offic. jud. deleg.*

AD CAP. XXI.

De Juribus Majeſtatis & Regalibus in genere.

§. 2.

D*Eique vicaria*) vid. Epiſt. ad Rom. 13. v. 4. ubi bis dicitur, Magiſtratum Dei vicem & miniſterium in terris gerere. Et quanquam, Majeſtatem civilem immediate per pactum a populo aut Proceribus in Regem aut Optimates conferri, ſupra Animadv. ad *§. 5. c. 1. & §. 1. c. 17.* diximus cum Imperatore Juſtiniano *§. 6. Inſtit. de jur. nat. gent. & civili*; Hugone Grotio *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 4. §. 7. n. 3.* Pufendorf. *l. 7. de jur. nat. & gent. c. 2. §. 6. 7. & 8. it. l. 2. de offic. hom. & civ. c. 6. §. 7.*

§. *7. 8. & 9.* Illuſtr. Dom. Thomaſ. *l. 3. Jurisprud. div. c. 6. § 74. ſeqq.* Carol. Scharſchmid. *in not. lit. a. b. ad th. 4. Exercit. 2. colleg. publ. Schüz. de ſtat. rei Romanæ vol. 1.* aliisque; ita videlicet, ut ſimul hoc inſtitutum humanum, tanquam ſumme neceſſarium & ſaluberrimum, a divino Numine approbari ratumque haberi, ultro concedamus cum Grot. *c. l.* & Illuſtr. Dom. Thomaſ. *de fundam. jur. nat. & gent. l. 3. c. 6. §. 10.* hæc tamen ſententia vicariæ Dei poteſtati, quæ Majeſtati civili in ſacris litteris tribuitur, nil quicquam detrahit, cum ex lege tum naturali tum civili lippis & tonſoribus etiam notum ſit, approbationem ſeu ratihabitionem negotii, ab altero ſuſcepti geſtive, mandato expreſſo parem haberi. Unde Majeſtati civili ſuam divinam autoritatem conſtare puto, ſive eam immediate a Deo produci, ſive, ab hominibus per pactum immediate productam, probari & ratam haberi, dicamus. Et ſane doctrinam Grotii aliorumque, quos paulo ante laudavimus, autorum, contraria ſententia & veriorem & commodiorem eſſe in aperto eſt. Si enim Majeſtatem a Deo immediate generari dicas, fatearis neceſſe eſt, eam per pactum, quod Germanis capitulatio audit, a populo aut Proceribus nequaquam temperari, neque Regem aut Optimates ab officio removeri poſſe, quamvis hoſtes reipubl. agant, vel hanc peſſundent, aut ſubditos ſuos, ut lupus oves, deglubant, cum ejus ſit depoſitio, cujus eſt inſtitutio, nihilque tam naturale habeatur, quam eo modo quicquam diſſolvi, quo colligatum eſt. At

Regem

Regem vel Optimates nulla plane de cauſa a populo Proceribusve abdicari poſſe, nemo, puto, ſanæ mentis facile conceſſerit; & contrarium docuit Noster ſupra §. *5. c. 8.* ubi Animadv. *3.* Quid? quod, admiſſa contraria ſententia, quæ Deum pro cauſa effectrice Majeſtatis immediata habet, legitimus Rex ab illegitimo, qui vulgo uſurpator, item invaſor, imperii audit, certo ſecerni nequit; dum Deus nusquam, niſi in Judæorum civitate, ſuam de hujus vel illius legitimo vel illegitimo imperio voluntatem immediate ſignificare conſuevit; ubi vero autorum ſupra nominatorum de immediata Majeſtatis per pactum generatione opinionem amplectaris, de juſta vel injuſta hujus vel illius ſummi imperantis poteſtate certior eſſe poteris. Tum enim tibi Rex legitimus erit, quicunque voluntate populi, ſeu expreſſa, ſeu tacita, obſequii ſcil. præſtatione, imperium ſummum civile adeptus eſt; & uſurpator vel invaſor qui ante fuit, talis eſſe deſinet, quamprimum conſenſo populi adſcitus eſt, Rege priori, ob extremam neceſſitatem, exacto licet, quippe cui tali etiam rerum ſtatu, ut ante, officio durante, ſalus populi ſuprema lex eſto, eoque regnum, ſibi, vel familiæ ſuæ, partum alii invidere non debet, præſertim cum exceptioni metus, quæ ſæpius ob præcedentem bellicam vim a Rege ejecto obtenditur, inter Reges populosque liberos locus dari nequeat, per Animadv. *2. n. 2. ad §. 37. cap. 5.*

2. *vis ac poteſtas*) ſumma ſcil. cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis hu-

humanæ arbitrio irriti poſſint reddi; Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 7. n. 1.* ſubordinata enim quædam poteſtas, quamlibet propria hereditariaque, qualis eſt Germaniæ Procerum territorialis ſuperioritas, Majeſtatis proprie dictæ nomine inſigniri nequit. Quare magis placet definitio Ariſtotelis, cui Majeſtas ſumma ubique in republ. poteſtas eſt.

3. *jura civium ac republ.*) quorum illa vulgo privata, hæc publica audiunt, quo de diſcrimine ſupra *§. 15. ſeqq. c. 9.* & ibi in Animadv. actum. Ceterum hinc apparet, Principem propter populum, non populum propter Principem eſſe. Hugo Grot. *l. 1, de jur. bell. & pac. c. 3. §. 8. n. 13. & 14.* Quare hujus tanta poteſtas habetur, quantam ſalus communis populi poſtulat, quam ubi ſummus imperans excedit, invalide agit, quia, deficiente agendi facultate, actus ſubſecutus nullus habetur, per ea, quæ Hugo Grotius diſſerit *l. 2. de jur bell, & pac. c. 5. §. 10.* cui add. Animadv. ad *§. 29. c. 8.*

4. *in tuendo jure*) publico & privato, tum adverſus extraneos, tum cives ipſos.

5. *ejusque cauſa conſtitutam*) conf. ſupra *§. 10. c. 4.* Juris itaque publici & privati tuitio eſt finis Majeſtatis ſeu ſummi imperii civilis proximus, pax & tranquillitas publica autem inde reſultans, finis remotus & ultimus eſt.

6. *ceteras reipubl. partes*) quæ regalia majora & minora dicuntur & explicantur in ſeqq.

§. 3. *in Principe*) ubi ſtatus reipubl. monarchicus eſt.

2. po-

2. *populus eſt*) in Democratia nimirum.

3. *populi pars*) ſeu Optimates, quorum regimen publicum Ariſtocratia dicitur.

4. *nulla in ſingulis*) hi enim parent, & univerſi demum cives in Democratia, ac Optimates in Ariſtocratia, quos Noſter hic totius corporis nomine effert, imperant. Quare, dato, Germaniam unam eſſe rempublicam, Proceres, qua ut ſinguli & ratione territoriorum ſuorum ſpectantur, ſubditorum Imperii nomen declinare nequeunt.

5. *in ſolidum eſt*) unde ſequitur, ab uno horum Principum, altero inſcio, partes Majeſtatis exerceri poſſe, quod ego quidem vix crediderim, tum quod ita jus huic quæſitum violatur; tum quod id voluntati populi repugnare videtur, qui, ubi ſummum imperium per partes ejusmodi ſubjectivas aliquando dividitur, quod absque placito ejus expreſſo vel tacito fieri nequit, id velle cenſendus eſt, ut unusquisque in eo gubernando pro parte ſua concurrat, nec alter, altero prætermiſſo, quicquam, in gravioribus præſertim negotiis, ſuſcipiat, quemadmodum nec in Germania noſtra, ubi, quantum ad negotia Comitialia, Majeſtas inter Cæſarem & Status univerſos, tanquam partes ſubjectivas, diviſa eſt, per §. *8. c. 7.* it. §. *38. & 39. c. 20.* & §. *4. h. c.* Regi hactenus quicquam, his inconſultis, ſtatuere licet; quali diviſioni locum dari Hugo Grot. docet *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3.* §. *17.*

6. *quo ſolet ſenſu*) ubi ſcil. Majeſtas perſonalis Principi vel Optimatibus, realis autem populo eodem

eodem tempore ſimul tribuitur, quod Monarchomachi faciunt.

7. *interim ſuſpenditur*) quantum ad gubernationem & adminiſtrationem jurium publicorum ſeu regalium, utpote quæ Regi aut Optimatibus confertur; proprietate ipſa & ſubſtantia eorum jurium interim penes populum manente, quæ Majeſtas realis dici poteſt, per *§. 15. 16. 17. 18. & 19. c. 9.* Quæ & ſententia Hugonis Grotii eſſe videtur, quando populum ſubjectum Majeſtatis commune, Principem vel Optimates autem ſubjectum ejus proprium conſtituit, *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 7. & l. 2. c. 9. §. 8.* Ceterum hæc ſuſpenſio eſt vel plena vel minus plena, prout forma reipubl. vel ſimplex ſeu pura, vel mixta eſt, ſecundum *§. 2. & 3. c. 7.*

§. 4. *Imperatori Auguſto & toti Imperio*) non ergo ſingulis Statibus, qui parent, & qua univerſi demum cum Imperatore jura Majeſtatis, communicata ſcil. exercent & imperant; nam reſervata quæ dicuntur, & ſoli Imperatori competunt, huc non pertinent, dum ab eorum adminiſtratione Status repelluntur.

2. *exercetur primario in Comitiis regni*) qua nimirum cum Statibus communicata; non communicata enim a Rege extra Comitia exerceri ſolet.

3. *recte Monarchicum ſtatuitur*) dum regia poteſtas populari & ariſtocratica in multis partibus potior videtur, a potiori vero denominatio deſumitur. add. *§. 9. c. 7.* & Animadv. *ibid.*

§. 5. *vel circa ſacra vel circa ſecularia*) quæ diſtinctio tolerari poteſt quantum ad diverſitatem objecti, prout ea hoc loco puoitur; quodſi enim iſtam ad ſubjectum etiam porrigas, duo habes in una eademque republica ſumma imperia, unum profanum, alterum ſacrum, quod quidem abſurdum, ita tameo Pontificis Romani artibus per torum fere Chriſtianum orbem inductum, ut ſupra *c. 18 ſect. 1.* vidimus.

2. *vel majora vel minora*) quorum illa regimen publicum, hæc vero reditus civitatis, quibus illa ſuſtentaotur & animantur, comprehendunt. Majora ergo oneroſa, minora autem fructuoſa ſunt; unde utrorumque oatura & definitio clariſſime patet. add. §. *1. & 38. c. 23. &* Hert. *de prud. civ. part. 1. ſect. 6. §. 17. & 18.* Ceterum hanc diſtinctionem ſugillat Illuſtr. Dom. Thomaſ. *in not. l. x. ad §. 3. c. 6. ſect. 3. l. 1. Huber. de jure civitatu.*

3. *reſervata vel non reſervata*) quorum illa ſoli Imperatori competere, hæc vero ei cum Proceribus communia dicuntur; ſed ſi verba rebus accommodari debent, invertenda prorſus eſt hæc deſcriptio & reſervata dicenda, quæ cum Statibus communicata, non-reſervata autem, quæ Regis arbitrio relicta ſunt, cui regulariter omnia regalia permiſſa cenſeri debent, quoad, quædam coram Statibus reſervata, oon docetur.

4. *ad commoda privata vel voluptatem Principis*) ubi ſcil. populo in delatione imperii ſic placuerit. *vid. §. 18. c. 9.* Nihilominus tameo & hæc regalia ad tuendam rempubl. ſpectant, ſuſtentatio-
ni

ni Regis quippe inſervientia, cui, tanquam oneri communi & publico, jure ſe ſubtrahere nequit, præſertim ubi Regi, quæ ad vitam & dignitatem tuendam pertinent, aliunde non ſuppetunt. Ut ne omittam, venationem ad jura publica pertinere; hæc autem omnia Majeſtatis civilis complexu contineri certum eſt. add. infra §. *49. c. 23.*

5. *non alio ſenſu*) imo venationes in Germania per ſe ad regalia, & minora quidem, referendas eſſe cenſeo. Etſi enim Principes iis magis ad commoditatem, quam utilitatem utantur, nihilominus tamen ex venationibus etiam reditus fiſcales cogi certum, & quod Principis animum recreat, non minus, quam proventiones publicæ, in pretio ſunt; cumque omnia jura publica, privatorum ſeu ſingulorum dominio immunia, ut jus venandi in Germania, regalia ſint vocenturque, atque ad officium Principis ſpectent, cur hoc nomen venationi minus ac aliis Majeſtatis partibus tribuendum ſit, non video.

§. 6. *non poſſunt illa generaliter*) dum Majeſtas eſt totum quoddam poteſtativum, iis nimirum partibus, quæ jura regalia dicuntur, conſtans; quibus in alium generaliter & directo translatis, illud penes transferentem amplius manere nequit.

2. *manent illa jure directo Regis*) in quonam vero conſiſtit jus illud directum Regis, ſummi imperii partes potentiales, e quibus illud compoſitum, in alium feudi lege transferentis? in hoc oimirum, ut talis vaſallus jurisdictionem domini in controverſiis ſuper feudo vel qualitate ejus ortis

 agnoſcat,

agnoſcat, atque huic, quanrum poteſt, operam auxiliumque præſter, &, vel domino vel vaſallo mutato, nexus feudalis renovari debear, feudumque, vel ob feloniam, vel extincta vaſalli familia, apertum ad concedentem redeat; ceterum vero imperium ſummum in civitatem vaſallo inregrum ſalvumque maneat, nec ab hujus decretis ſententiisque ſubditis ad dominum directum provocare liceat, ut de Rege Bohemiæ regni Germanici vaſallo *tit 8 A.B.* ſtatutum. Quare magis placet Hugonis Grotii ſententia, qui imperium ſummum, ſalva concedentis Majeſtate, in alterum transferri negat, *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 23.*

3. *ſalva Majeſtate*) ejus ſcil. qui regalia generatim jure feudi ab altero recipit; concedenrem ſiquidem, facta tali rranslarione, Majeſtate privari, certum, per Animadv. *praced. 2. ad h.* §. Quare inſigniter fallitur cum multis aliis Noſter, quando Principes ſingulos Imperio feudi, Comires autem ſubjectionis inſuper nexu teneri aſſerit ſupra *§. 5. & 13. n. 6. c. 15.* eum utrosque pariter arctiori quam ſolo feudi vinculo Imperio obſtringi manifeſtum ſit, dum in cauſis feudalibus non ſolum, ſed omnibus aliis inſuper juriſdictionem ejus agnoſcere renenrur, atque a decretis ſententiisque eorum ſubditis & quibuscunque aliis gravaris ad ſumma Imperii tribunalia provocatio datur, & præterea ob perfidiam perduellionis & læſæ Majeſtatis rei fiunt per *§. 10. c. 12.* qui veræ ſubjectionis character eſt; cum econtrario in vaſallos, ob feloniam, ultra feudi ademtionem nihil decerni queat.

queat. Uode & hoc conficitur, Imperio, præter directum, ſupremum inſuper eminensque dominium in Statuum ſingulorum territoria competere.

4. *exercentur quoque nomine Regu*) quod, ſive de Comitibus & Baronibus tantum, uti quidem ex *§. 6. c. 15.* videtur; ſive de Principibus Imperii etiam intelligat Noſter, absque idoneo argumento aſſeritur, cum hi eodem, quo iſti, modo regalia ſua ab Imperio teneant, eaque omnes pariter ut jure, ita nomine etiam, proprio, ſalvo tamen hujus cum directo rum ſupremo dominio, exerceant.

§. 7. vel ſigillatim) confer infra *§. 58. c. 23.* Ceterum hujus diſtinctionis uſus eo valere vulgo exiſtimatur, ut in priori ſpecie mediatus, qui regalia, in conceſſione ſuperioris noo expreſſa, ſibi arrogat, & hac contineri iſta conteodit, onus probandi ſuſcipere teneatur; in poſteriori autem omnia regalia comprehenſa intelligi debeant, donec concedenti vel alii cuipiam quædam reſervata ab aſſerente liquido demonſtretur, in qoam ſententiam Noſter etiam proclivis videtur infra *§. 13. & 16. h. c.*

2. *ſumma quadam poteſtas*) reſpectu territorii & ſubditorum eo comprehenſorum videlicet; ſiquidem, Imperii ratione inita, ſuperioritas territorialis, non ſumma, ſed ſub alterna taotum poteſtas diceoda eſt. vid. Animadv. *ad §. 2. c. 7. & §. 8. c. 8.* & add. Kulpiſ. *in not, ad Monzamb. part. 2. c. 5. §. 28. p. m. 185. ſeqq.*

3. *ſalvo jure Imperii*) quod, præter directum,

 ſupre-

ſupremum inſuper & eminens dominium imperiumque complectitur.

§. 8. *ſuperflue ſpecies has*) quandoquidem ſuperioritas Franco-Galli Regis & Lotharingiæ Ducis, ceu liberi, ſecundum Animadv. *ad §. 33. c. 5.* de quibus cit. pax Noviom. loquitur, idem, quod ſupremum dominium imperiumque denotat; quantum ad Status Germaniæ vero ſuperioritas territorialis, ſubalterna quippe, a ſupremo Regni dominio imperioque utique diſtincta eſt; proindeque, poſito ſuprematus vocabulo, vel illa, vel hoc, pro re nata, hactenus intelligi debet.

2. *a cauſa & titulo*) qua de re plura commentatus ſum ſupra Animadv. *2. ad §. 25. c. 20.* add. *§. 34. c. 23.* & Animadv. *ibid.*

§. 9. *dignitas regalis*) ſubalterna nimirum; ſumma enim ſoli Regi competit.

2. *illuſtres*) quo referuntur cum Comites Baronesque, tum Principes, ut *cap. 15.* expoſitum. add. *§. 19. tit. 3. Hypomn. feud.*

§. 10. *imperante Henrico Aucupe*) ego hic ſubſiſto, dum Ducum poteſtas dudum ante Henricum Aucupem propria fuit, per Animadv. *ad §. ult. c. 7.* & *ad §. 43. c. 15.* hique pariter, ut alii Principes Comitesque, ſuperioritatis territorialis modernæ plenitudinem diu poſt Henricum Aucupem, & ab interregni magni tempore demum, paulatim acquiſivere, ex quo Comites Palatini provinciales deſierunt. add. Animadv. *ad §. 11. c. 17.* Nec, Comitem Palatinum Francicum etiamnum ſupereſſe, obſtat, quando is hodie, aliter atque olim

olim, ſuperioritatem territorii ſui, rebus ac juribus regiis inſuper habitis, in rem ſuam exercet,

2. *Duci ſubjecta*) ſed vid. Animadv. *ad §. 6. c. 9. & ad §. 39. & 40. c. 15.*

§. 11. *Nondum tamen*) contra quod, Principum Comitumque, majorum ſcil. & Ducum poteſtatem territorialem origine æqualem eſſe, adnotavi jam ſupra Animadv. *1. ad h. §.*

2. *plura regalia*) ſupra *§. 13. n. 2. c. 14.* ſpeciatim enumerata.

3. *tanquam ſingularia privilegia*) quæ tamen Electoribus non per A. B. demum data, ſed iis perinde, ut aliis Imperii Statibus, jam ab interregni magni tempore longo uſu quæſita, ſingulari Caroli IV. favore, majoris certitudinis & ſecuritatis ergo, confirmata ſunt, ceteris Principibus interim ſola poſſeſſione uſuque acquieſcentibus. add. Animadv. *2. & 3. ad §. 13. c. 14.*

§. 12. *Epiſcopis*) per ea, quæ ſupra *§. 36. & 37. c. 18.* traduntur. Nec obſtant, quæ in Monum. Paderborn. *p. m. 295.* argumento duorum privilegiorum eccleſiæ Oſnabrugenſi a Carolo Magno datorum in contrarium moventur, quando ſecundum Logicorum regulam a particulari ad univerſale nulla conſequentia valet.

2. *Comitibus*) hos vero, quantum ad ſuperioritatis territorialis plenitudinem hujusque originem, a ceteris Statibus ſuperioribus perperam diſtingui, notatum jam ſupra Animadv. *1. ad §. 10. h. c. & ad §. 11. c. 17.*

3. *Albertus I.*) cujus cauſam injuſtam pro-

 nunciat

nunciat Schurtzfl. *diſſert. 80. de charact. event. ad decid. illuſtr. controv. controv. 7.* propterea, quod ea vectigalia, a ſuperioribus Imperatoribus derelicta, Electoribus Eccleſiaſticis per uſucapionem quæſita ſint; ſed mea quidem ſententia perperam. Præterquam enim, quod Regi vel Regno præſcriptionis titulus fruſtra opponitur, per Animadv. *2. ad §. 37. c. 5. & ad §. 19. c. 6.* certum eſt, ut alienationem, ita derelictionem rerum & jurium Imperii, a Cæſare absque Procerum conſenſu factam, irritam haberi, per §. *15. ſeqq. c. 9. &* Animadv. ibid. & §. *9. c. 14.* conf. *l. 28. ff. de verb. ſignif.*

4. *jura regalia*) ſed hanc interpretationem nec verbis nec ſententiæ Sigismundi convenire, quisque facile animadvertit, cit. loc. Reform. Polit. paulo attentius legens. Dicit enim ibi laudatus Imperator: Nun ſoll man mercken Zwing und aller Penn recht nach Keyſerl. Ordnung. Es iſt zu wiſſen, daß hohen Fürſten, die groſſe Land haben, noch faſt Keyſerl. Recht zu ihren Theil halten; aber Grafen, Freyen, Ritter und Knecht, die auch Zwing und Penn haben, die eignent Leut, und haben ſie itzt für eigen, und ſteuren ſie, und nehmen ungewöhnlich Steuer von ihn über das, daß ſie Holtz und Feld ſchwerlich verzinſen. Unde aperte liquet, (1.) Principibus prius, quam nova ſuperioritatis territorialis vox ſecundum §. *14. h. c.* invaleſceret, æque ac Comitibus, Baronibus & Miniſterialibus, bannum cum jurisdictione conceſſum eſſe; (2.) Principes cum juribus ſuis regalibus intra modum, per Conſtitutiones

tiones Imperatorias præſcriptum, uſos; Comites & reliquos autem in exercendo banno & jurisdictione ſua eum modum exceſſiſſe, atque adeo per abuſum poteſtatis ſibi conceſſæ ſubditos ſuos graviter afflixiſſe; (3.) per jura Cæſarea oon regalia, ſed Imperatorias ſanctiones ibi denotari; (4.) ſuperioritatem territorialem vocabulis: Zwang und Bann, olim deſigoatam eſſe. add. Weho. *Obſerv. pract. voce:* Bann.

5. *& præſcriptione*) quam tamen Imperio injuſte opponi, notavi jam ante Animadv. *3. ad h. §.* Unde Comitum, Baronum & Miniſterialium jura regia in conſeoſu Imperatoris & Imperii cum expreſſo tum tacito felicius fundantur, vid. *§. 1. art. 5. pac. Oſnabr. & art. 1. Capitul. noviſſ.*

§. 13. *non jus regale*) quantum ad jurisdictionem adminiſtratoriam ſcil. qualis apud Romanos erat Præſidum, Prætorum; apud nos Regiminum aulicorum, Curiarum proviocialium, Præfectorum, der Amtleute und Adel. Gerichtshaltere; ſiquidem ea jurisdictionis ſpecies, quæ vulgo patrimooialis & realis nuncupatur, ad jura regia utique referenda eſt, imo potiſſima pars Majeſtatis habetur, per *§. 10. c. 4.* & *§. 2. h. c.* quæ quemadmodum olim in republ. Romana primo penes populum & deinde penes Imperatores erat; ita in Germania ad Regem, Status & Miniſteriales ſpectat. Unde triplex hojus utriusque jurisdictionis differentia noranda eſt; (1.) enim illa jurihus regalibus annumeratur; hæc nequaquam, in nuda quippe adminiſtratione conſiſtens; (2.) illa propria

 eſt;

eſt; hæc aliena; (3.) illa ante appellationem a ſuperiore neque per avocationem cauſarum, neque per commiſſionem impediri aut ſuſpendi poteſt; hæc poteſt quandocunque, & pro lubitu concedentis; (4.) illa ad heredes & ſucceſſores tranſmittitur; hæc cum perſona adminiſtratoris extinguitur. Nec eſt, quod mireris, in Germania juriſdictionem patrimonialem prædiis Nobilium allodialibus etiam frequentius inhærere; ſi libertatem illam populi, de qua ſupra *§. 10. c. 7. & §. 12. 13. 14. & 15. c. 20.* actum, tecum reputes; a qua præterea Statuum provincialium jura originem ducere exiſtimo; quanquam ea non impedit, quo minus Nobilis mediatus juriſdictione ſua propter abuſum intolerabilem, a territorii domino, pœnæ nomine, privari poſſit, ſive ea feudo ſive allodio inhæreat. Quod itidem de ſubditis immediatis, quantum ad Imperium, ſtatuendum eſt. Quodſi vero vaſallus, juriſdictione ſibi conceſſa abutens, concedentis ſubditus non ſit, tum ſolius dominii directi jure feudum ipſi auferri poterit. *2. Feud. 27. §. 5.*

2. *nec alio jure*) ſed vid. Animadv. *ad §. ult. c. 7. & ad §. 43. c. 15.*

3. *cum officio inferiorum*) quod tamen Principibus etiam tribuitur. *§. 12. c. 15. §. 1. c. 19. §. 9. & 15. h. c.* Nec his prius quam Comitibus majoribus plenitudinem ſuperioritatis territorialis, quæ hodie conſpicitur, quæſitam, certo affirmari poteſt. vid. Animadv. *ad §. 6. & 13. c. 15. item ad §. 11. c. 17. & ad §. præced. 12. h. c.*

4. in

4. *in mediatu*) ſubditis ſcil. cum quorum conditione ſuperioritas territorialis pugnare videtur; nam vaſalli mediati, qui ſubditi immediati ſunt, quorum quidam ſupra §. *35. c. 15.* & §. *2. c. 19.* recenſentur, ſuperioritatis territorialis omnino capaces ſunt. Unde de his idem dicendum, quod ſupra §. *b.* de immediatis dixerat Noſter.

§. 14. *non etiam dignitas regalis)* mihi vero contraria ſententia probabilior videtur, propterea, quod ad dignitatem regalem, præter officium Regni cum ſuperioritate territoriali conjonctum, nihil requirat Noſter ſupra §. *9. & 14. extr. h. c.* hoc utrumque vero civitatibus immediatis ab Eodem tribuatur, §. *2. c. 19.* Quare his dignitas regalis jure abjudicari nequit. Nec obſtat, civitates Imperiales non feuda, ſed allodia eſſe, ſecundum §. *ult. c. 17.* ſiquidem, hanc qualitatem dignitati regali non obeſſe, exemplo Comitatuum & Baroniarum allodialium conſtat, quos propterea nemo dignitatis regalis expertes dixerit. Quin nec conditio earum civitatum huic dignitati fraudi eſſe potest, cum & Prælati immediati, quamlibet nativitate ignobiles, nihilominus in ordine Dominorum primum locum teneant, per §. *12. c. 18.* Ceterum civitatibus Imperialibus dignitatem regalem cum adſigno, non de ſingulis earum membris, ſed univerſis & toto corpore uniuscujusque earum loquor.

2. *vox nova eſt*) cujus vice antehac vocabula: Zwing und Bann, fungebantur, ut adnotavi ſupra Animadv. *4. ad §. 12. h. c.*

3. con-

3. *concedi poteſt*) adſtipulante Hertio *de ſpecial. Rom. German. Imp. rebuspubl. earumque variis nomin. & figur. ſect. 1. §. 8.* & Illuſtr. Dom. de Ludolph. *in Comment. de jur. Cam. ſect. 1. §. 2. n. 8. not.* * cum pluribus ibi allegatis. Nec in contrarium quicquam moveat, Nobiles immediatos hodie jure ſuffragandi in Comitiis deſtitui; Præterquam enim, quod ab hoc ſuperioritas territorialis nequaquam pendet, quicquid alii contra ſentiant, Principibus certe, qui in familiæ herciſcundæ judicio lineæ domus ſuæ potiori, accepta cum territoriali jure Principatus parte, ſuffragio Comitiali & Circulari aliquando cedunt, injuriam inferentes; Nobilibus immediatis inſuper ſuffragandi jus, ipſis antiquitus conceſſum, per Animadv. *ad §. 14. c. 19.* ad acquirendum territorii jus ſufficere potuit, quod illis poſtea, neglecto Comitiorum jure, ademtum nusquam apparet. An vero idem de pagis immediatis, Gochsheim & Sennfeld in Franconia, ſtatuendum? diſquirit Illuſtr. Dom. de Ludolph. *c. l.* Quanquam autem his & Nobilibus immediatis diverſus dignitatis gradus eſt, quantum ad jura publica tamen hisce iſti pares videntur, quemadmodum nec civitates Imperiales ob conditionem civicam ſuperioritatis territorialis expertes habentur. Et tales pagos immediatos etiam jure Comitiorum uſos eſſe, laudata illa priſcorum Germanorum popularis libertas, ſupra §. *8. & 10. c. 7. & §. 22. ſeqq. c. 20.* neminem, puto, dubitare ſinit; quo tamen iſtos hodie carere certum, & forte ex iisdem cau-

cauſis, ex quibus Nobiles immediati, excidiſſe, vero non abſimile videtur.

4. *tribuitur*) vel quod Nobiles immediati, ex quo tempore nova ſuperioritatis territorialis vox uſu pragmatico invaluit, ſuffragandi jure jam exciderunt, & proinde juribus ſuis in Comitiis, ubi tabulæ ejusmodi publicæ exarantur, paulo curatius inſiſtendi occaſio defuit; vel quod dicta vox in tenues eorum diſtrictus parum quadrare videbatur. Ceterum voce: *diſtrictus*, Gebiethe, quam in novioribus Imperii ſanctionibus caſtris prædiisque Nobilium immediatorum impoſitam crebro legas, olim territoria Principum non minus deſignata eſſe, obſervat Schilt. *in Annot. ad tit. 15. A. B. tom. 2. Inſtit. jur. publ p. m. 167.*

5. *non omnia, quæ Statibus*) ut, nec horum territoriali jure omnia regalia contineri, obſervatum ſupra Animadv. *1. ad §. 10. c. 7.* Et quanquam Nobiles immediati, poſtquam jus ſuffragandi decoxerunt, ab exercitio Regalium, quæ hæc Cæſar cum Statibus in Comitiis exercet, procul habentur; inde tamen, eos quoad jura territorialia Statibus multum inferiores eſſe, nequaquam conficitur, dum Nobilibus immediatis liber regalium uſus nec ab Imperio interdicitur, nec a ſingulis Statibus, quorum territoriis diſtrictus iſtorum contigui ſunt, prohiberi poteſt, ideo, quod a territoriali ſuperioritate immunes ſunt. Quod vero hi Nobiles in ſuis diſtrictibus non æque, ut ceteri Status in ſuis territoriis, regalibus utantur, anguſtia & tenuitas iſtorum, velut tantæ moli impar, in cauſa eſſe videtur. A

corpo-

corporibus certe eorum integris, vulgo Cantons, Ritterorthe, dictis, regalia paulo plenius exerceri, experientia teſtatur. vid. *§. 35. c. 23.*

6. *merum miniſterium*) ſed vid. Animadv. *2. ad §. 12. it. ad §. 30. 31. & 32. c. 15. & 1. ad §. 1. cap. 19.*

§. 15. *jure feudi*) ſiquidem ex Autoris noſtri ſententia nullus Principatus eſſe poteſt, qui non ſit feudum immediatum Imperii, per *§. 5. & 13. n. 5. it. §. 24. & 26. c. 15.* & *§. 2 c. 19.*

2. *officii Principalis*) quodſi ergo officium generatim accipiatur, hoc Dominis & civitatibus immediatis non minus, quam ipſis Principibus, competit, per *ſect. 1. c. 15. & §. 2. c. 19.* Hinc nihil impedit, quominus ſuperioritatem territorialem iſtis pariter ac his officii jure competere dicamus, hodie præſertim, ubi Statuum officia omnia ſine controverſia hereditaria ſunt.

3. *uſu & præſcriptione*) qui titulus etſi inter Status ſingulos valet, Imperio tamen valide opponi nequit, per Animadv. *2. ad §. 37. c. 5. & ad §. 19. c. 6.* Unde de ſuperioritate territoriali tum Dominorum tum civitatum liberarum actum eſt, niſi fundamento firmiori ſuffulciatur. Putarem itaque, Dominis, territoria ſua ab Imperio recipientibus, officii & feudi, eoque pari cum Principibus jure; ceteris autem, ut & civitatibus Regni immediatis, quorum territoria allodia ſunt, ſecundum *§. 35. c. 15. & §. ult. c. 17.* ſolo officii jure ſuperioritatem territorialem competere. Et quemadmodum feudi jus in ſola inveſtitura ſatis fundatur; ita & cetero-

terorum nudum officii jus conſenſu Imperii cum tacito tum expreſſo pridem firmatum eſt; vid §. 1. *art. 8. pac. Oſnabr. & art. 1. Capitul. noviſſ.* cujus primam originem a poteſtate populari & ariſtocratica, qua utraque regium imperium Germanicum temperatum, deduxi ſupra *Animadv. ad §. ult. c. 7.*

4. *at juriſdictio*) latius ſcil. & eminentiore ſenſu accepta, ſecundum §. *2. c. 19.* ſtrictius enim dicta, §. *13. h. c.* Nobilium mediatorum etiam diſtrictibus, & feudalibus quidem, feudi, allodialibus autem, priſcæ libertatis popularis jure, inhærere ſolet. Sed & præter juriſdictionem a territoriis Statuum jura eorum publica & diverſi dignitatum gradus pendent, per §. *ult. c. 1. §. 12. & 15. c. 12. it. §. 9 & 12. c. 15.* add. *tit. 7. A. B.*

5. *quicquid finibus territorii continetur*) quæ regula alias ita effertur: *quicquid eſt in territorio, eſt etiam de territorio,* h. e. ſuperioritati territoriali obnoxium. Quanquam autem hæc valde vulgaris eſt, nihilominus tamen, quantum ad applicationem, exigui vel nullius uſus eſſe videtur, ut ex Animadv. ſeq. *6.* apparebit.

6. *fundata eſt hæc poteſtas*) quod tamen ſuperioritatis territorialis fundamentum parum adæquatum videtur. Primo enim pauciſſima Statuum territoria continua; contra autem pleraque interrupta cernuntur, quorum adeo fines incerti fere ſunt; deinde, ubi quis alterum ſuperioritati territoriali ſubeſſe aſſerit, ideo, quod finibus territorii ſui contineatur, adverſarius autem hoc neget,

get, onus probandi fines aſſertos, dictæ regulæ obtentu, declinare nequit, niſi aliis conjecturis ſuffulciatur. Præterea territorium cujusque ulterius protenſum dici nequit, quam quo ſuperioritas ejus porrigitur. Unde Comites, Barones, Nobiles & civitates terrarum immediatarum negant, territoria & diſtrictus ſuos, qui Principum vicinorum territoria attingunt, horum finibus comprehendi, non alia de cauſa, quam quod a poteſtate territoriali iſti regulariter immunes habentur, quoad contrarium non apparet. vid. *§. 10. c. 9. & §. 41. c. 15. & §. 5. c. 25.* Quin etiam Comites, qui in terris mediatis juſta territoria poſſident, nec territorium nec poteſtatem territorialem Principum vicinorum in ſe valere contendunt, atque ab his ſeparatas, ut territorii, ita poteſtatis rationes ſe habere exiſtimant, ut Comites de Waldeck in Haſſia, quibus alii junguntur ſupra *§. 25. c. 15. & §. 2. c. 19.* Et quanquam Barones, Nobiles, civitates, quin & reliqui Comites, in terris mediatis, juriſdictioni Principum, in quorum territoriis conſiſtunt, regulariter obnoxii cenſentur, per *§. 5. c. 9. & §. 39. c. 15.* hæc tamen præſumtio non in prædicta finium territorialium deſcriptione, ſed in more terrarum mediatarum, ſupra *ad §. 6. c. 9. & ad §. 9. c. 17.* expoſito, potius fundatur; quemadmodum etiam ex generali totius Germaniæ conſuetudine ruſtici in terris tum mediatis tum immediatis pro ſubditis mediatis habentur, cum id genus hominum ad ſerviendum aliis natum videatur; nec minus in aliis cauſis dubiis pro vero accipiatur, quod mos regio-

nis

nis fert, donec ab altero contrarium probetur. Hinc fit, ut, ſi prædia nobilia alicujus provinciæ regulariter Amtſaſſica ſunt, Nobili, prædium ſuum ibi ſitum Præfecturæ jurisdictione exemtum, ſeu Schriftſaſſicum, aſſerenti, onus probandi hanc aſſertionem incumbat; quod contra Præfecturæ injungendum erit, ubi ex more regionis bona nobilia regulariter Schriftſaſſica ſunt, quorum unum alterumve iſta ſibi obnoxium contendit. Quare regulam Autoris, de menſura Superioritatis territorialis ante datam, ego potius inverto, atque, poteſtatem territorialem non ex finibus territorii, ſed contra hos ex latitudine Superioritatis æſtimandam eſſe, cenſeo.

7. *non interit cum perſona*) velut qualitas realis, territorio inhærens, eoque cum hoc, extincto priori poſſeſſore, ad quemlibet ſucceſſorem tranſiens, per ea, quæ ſupra Animadv. *4. extr. ad h. §.* allegata.

AD CAP. XXII.

De Juribus Regalibus circa ſacra.

§. I.

I*Mperatoris & Imperii*) quæ conjunguntur ideo, quod (1.) proprietas & ſubſtantia horum, ut aliorum, jurium regalium, univerſo populo Germanico, gubernatio & adminiſtratio autem primario Regi competit, per §. *15. ſeqq. c. 9. it. 4. 7. 8. 9. & 10. c. 18. & §. 5. c. 21.* (2.) Imperator ea,

Aa pro

pro cauſæ gravitate, adhibito conſilio vel conſenſu Statuum, ex forma reipubl. Germanicæ mixta, exercere ſolet, per *§. 8. c. 7. §. 38. c. 20. it. §. 3. & 4. c. 21.* (3.) hæc regalia, quæ hic conſiderantur, totum Imperium reſpiciunt, ſalvo Statuum ſingulorum, Evangelicorum præſertim, jure Sacrorum territoriali ſubalterno; quod Epiſcoporum & Pontificis reſpectu ſummum eſt.

2. *proprio jure*) tanquam partes Majeſtatis civilis, per *§. 4. 7. 8. 9. & 10. c. 18. it. §. 5. c. 21.* quæ Imperatoris & Imperii propriæ ſunt, per *§. 8. c. 7. it. §. 15. ſeqq. c. 9 it. §. 3. & 4. c. 21.*

§. 1. *Jus condendi*) quod Imperio adhuc reſervatum eſſe, utraque pax cum religioſa de anno 1555 tum Weſtphalica de anno 1648. art. 5. inprimis teſtatum facit infra *§. 13 14. & 15. c. 32.* abdicato tamen cum juriſdictione in Sacerdotes & confirmandi & infirmandi jure, per *§ 3. & 4. h. c.* Sed & jus Conciliorum Imperio adhuc ſalvum eſſe docet Noſter *h. §. extr.* quanquam, ejus exercitium Pontificis artibus difficile reddi, experientia adhuc docuit.

2. *leges & jura eccleſiaſtica*) (1.) de decoro eccleſiaſtico; (2.) de juribus & rebus eccleſiarum; (3.) de diſputationibus Theologicis tumultuoſis; per *§. 4. & 29. c. 18.* nequaquam vero de ipſa religione; neque de ordinatione & inſtitutione Sacerdotum; neque etiam de juriſdictione in Sacerdotes per *§. 1. 2. 3. & 29. c. 18. & §. 3. & 4. h. c.*

3 *jurat Imperator fidelitatem*) de quo jurejurando vid. Clement. unic. *de jurejur.* & *c. 33. diſtinct. 63.*

4 *ſupe-*

4. *ſuperior eſt cliente*) etſi non imperio, honore & dignitate tamen, quia Advocatia ſeu protectio fœderis inæqualis ſpecies eſt, ubi fœderatus inferior ſuperioris majeſtatem dignitatemve comiter habere tenetur, præcipiente Hugone Grot. *l. 1. de jure bell. & pac. c. 3.* §. 21. add. infr. §. 11. & 12. *c. 26.* Nec obſtat, Advocato eccleſiæ, de quali hoc loco agitur, præter defenſionem, juriſdictionem quoque ſpeclarim competere, prout adnotavi ſupra Animadv. 2. *ad* §. 11. *c. 18.* cum hæc ad ſubditos & bona eccleſiæ reſtricta, atque adeo ipſius Sacerdotis clientis perſona inde excepta videatur. Quæ exemtio uti Papæ hactenus non invidenda; ita hunc, qua ſubditum, Germanorum imperio Romano etiamnum jure obnoxium eſſe, oſtenſum ſupra Animadv. 14. *ad* §. 16. & *ad* §. 19. *c. 6.* qui tamen nihilominus tam reverentiæ, quam obſequii vinculum dudum amolitus eſt, quin ipſo Imperatore ſe ſuperiorem eſſe contendit, per §. 23. *c. 6.* & annot. ibid. Quod ad monſtra politica pertinet, unde a ſuperſtitione, & nimia ſanctitatis ſacerdotalis opinione, ſibi impoſterum cavere diſcant omnes, quotquot ſummam rerum tenent.

5. *jurant civibus*) add. infra §. 37. *c. 23.*

6. *quod abſurdum eſt dicere*) fateor, ſed ita tamen dicitur apud Autorem der Grundveſte in actu electionis & coronationis Joſephi Auguſti, ſupra Animadv. 2. *ad* §. 2. *c. 7.*

§. 4. *jura Patronatus*) confer. ſupra Animadv. *ad* §. 13. *c. 16.*

§. 5. *jure dominii directi*) exiſtimat ſcilicet

 Noſter,

Noſter, beneficia eccleſiaſtica ante Henricum V. feudi jure Epiſcopis ab Imperatoribus collata eſſe, proindeque mortuo, vel depoſito, Epiſcoporum aliquo, & ita feudo eccleſiaſtico ad Imperium reverſo, Imperatoribus fructus ejus, ſede vacante perceptos, competiiſſe; quod quanquam veriſſimum ſit, in ſolo tamen dominii directi jure confiſcatio redituum ejusmodi fundari nequit, propterea, quod bona eccleſiaſtica eccleſiis ita acquiſita ſint, ut dominium utile non penes ſolum Epiſcopum ſit, ſed penes eccleſiam ipſam, ita tamen, ut Epiſcopus, tanquam adminiſtrator eorum bonorum, inveſtituram, nomine eccleſiæ, a Rege petere & accipere obligatus maneat; eoque fructus, eccleſia vacante percepti, non ad fiſcum regium, ſed ad eccleſiam ipſam, ceu verum dominum utilem, potius ſpectare videantur. Quare nobis ſi omnino probat ſententia Schilteri, jus confiſcandi tales reditus non tantum a dominio feudi directo, ſed a ſuprema inſuper Sacrorum poteſtate, Imperatoribus ante dictum Henricum V. plene competente, cujus illud pars fuit, arceſſentis, *l. 5. de libert. eccleſ. Germaniæ. c. 6. §. 3.* add. Idem *l. 1. Inſtit. jur. Canon. tit. 7. §. 11. & 12.*

2. *tum heres non eſſet*) nec confiſcationi mobilium defuncti Prælati obſtare potuit juris Canon. antiqui ſanctio, qua etſi a ſucceſſione bonorum per officii ſacri occaſionem a Clericis quæſitorum heredes tam legitimi, quam teſtamentarii repelluntur, ea tamen nihilominus ad eccleſiam deferri jubentur, qua de re vid. Deſſel. *Erotem. jur. Canon. l. 3.*

l. 3. tit. 26. quaſt. 7. & 8. item titul. 27. quaſt. 3. quandoquidem fiſco regio per conſtituriones Pontificum, eo præſertim tempore, cum hi ſacræ Imperii poreſtati adhuc ſubeſſenr, derogari non potuit. Unde ſimul, ejusmodi mobilium confiſcationem in priſtino jure ſacro & ſupremo bonorum eccleſiaſticorum dominio, quam parum adæquato bonorum vacantium jnre, felcius fundari, manifeſtnm fit.

3. *hodieque Rex Galliæ*) quo econtrario Imperatores noſtri pridem exciderunt. Dato ſiquidem uno abſurdo, plura ſequuntur. Abdicata namque per Henricum V ſacra regia poreſtate, *ſecundum* §. *3. & 4. h. c.* eccleſiæ a jure Regaliæ exhinc immunes videbantur.

§. 6. *Non eſt collatio*) quippe quæ proprie ad Epiſcopum ſpectat, ſola præſentatione, cujus jus primariarum precum ſpecies dicitur, Patrono permiſſa. vid. Schilt. *l. 1. Inſtit. jur. Canon. tit. 16.* §. *7.* & Deſſel. *l. 3. Erotem. jur. Canon. tit. 5. quaſt. 20, 21. 22. & 23.* Ubi Laici, eoque Imperator etiam, collationis incapaces habentnr.

2. *nec mandatum*) ur quod naturæ præſentationis, cui jus primariarum precum aſſimilarur, repugnat; & Clerici a Laicis rogari quam juberi malunt.

§. 7. *ſed vereor, ut defendi poſſit*) dnm §. *præced. 6.* jus primariarum precum ad poteſtatem regiam refertur, quæ, quanrum ad Epiſcopatum Metenrem, Tullenſem & Virodnnenſem, omnis

 in

in Regem Galliæ tranſlata, ſolo Metropolitano eccleſiæ Trevitenſis jure reſervato, per §. *70. pac. Monaſt.*

§. 10. *concordatis Nationis Germanicæ*) quibus etſi olim contradictum memoratur ſupra §. *25. c. 18.* iis tamen, velut regulæ, hodie ex longo jam tempore, contra Pontificis abuſus, ab Epiſcopis Germaniæ inſiſtitur. vid. Capitul. Carol. VI. *art. 14.*

2. *apud Goldaſtum*) & Schilterum poſt Inſtit. jur. Canon. & Franciſci Duareni libr. 8. de ſacr. eccl. miniſt. *p. m. 462. ſeqq.*

3. *de Concordatis iſtis*) add. Schilt. not. ad Concordata hæc, *c. l. p. m. 484. ſeqq.*

§. 11. *menſe impari*) ſcil. Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri & Novembri.

2. *Reliqui menſes*) Februarius, Aprilis, Junius, Auguſtus, October & December. add. Concord. Nationis German.

§. 12. *& ſuperioribus*) ut Patriarchis; quin etiam inferioribus, veluti Epiſcopis liberis, qui Metropolitanum non agnoſcunt, qualis eſt Bambergenſis, per §. *35. c. 18.* eoque a Metropolitanis ordinari & conſecrari nequeunt. Unde talibus Epiſcopis pallii redemtione opus eſt, quo ipſis, ut & Archiepiſcopis, ac Patriarchis, idem tribuitur, quod alii Epiſcopi per conſecrationem & ordinationem Metropolitanorum conſequuntur, per *c. 28. X. de elect. & elect. poteſt.* add. tot. tit. X. *de auctor. & uſu pall.*

2. *olim*

2. *olim a Rege*) add. Schilt, *l. 1. Inſtit. jur. Can. tit. 7. §. 17.*

3. *reliquorum ſunt Prælatorum*) primario tamen Pontificis, per §. *22. c. 18.* & Animadv. *ibid.*

§. 13. *contradixere*) vid. tamen Animadv. *1. ad §. 10. h. c.*

2. *de quibus in Jur. canon.*) *tot. tit. X. de cenſib. exaction. & procurat.* cui add. Lancell. *l. 2. Inſtit. jur. Canon. tit. 21.* & ibi Ziegl. *in not.*

§. 14. *huc non pertinent*) quia Presbyteris omnibus, etſi Epiſcopi non ſunt, competunt; quemadmodum nec jurisdictio ſolis Epiſcopis, ſed inferioribus etiam Prælatis, ut Abbatibus, Præpoſitis, Archidiaconis, Archipresbyteris &c. tribuitur. vid. Schilt. *Inſtit. jur. Canon. l. 1. tit. 3. §. 16. tit. 7. §. 6. 19. & 20. collato d. §. 6. cum §. 8. tit. 5.* & Deſſel. *l. 1. Erotem. jur. Canon. tit. 31. quæſt. 3.* Quin etiam dignitas, quam Schilt. *c. §. 6. not. lit. b. tit. 7. l. 1.* juxta cum jurisdictione, ordine & dioeceſana lege Epiſcopis tribuit, jam nominatis Prælatis inferioribus competit. Unde ſola lex dioeceſana Epiſcoporum propria videtur, ita tamen, ut hac cum ordo, tum dignitas & jurisdictio comprehendantur. vid. pax Oſnabr. *art. 5. §. 48. ibi: jus dioeceſanum & tota jurisdictio eccleſiaſtica cum omnibus ſuis ſpeciebus.*

2. *alios habent fines*) expoſitos ſupra §. *37. cap. 18.*

§. 15. *vi ſuperioritatis territorialis*) add. §. *29. & 38. c. 18.* cum Animadv. *1. ad c. §. 29.* cui Auto-

tis noſtri ſententiæ hic iterum iterumque ſubſcribo, quia non minus rationi, quam publicis ſanctionibus conſentanea eſt. vid. *§. 30 & 43. art. 5. & §. 1. art. 8. pac. Oſnabr.* Quodſi autem cum vulgo Statibus Evangelicis, qua Epiſcopis, jus Sacrorum tribuatur, illud abſurdum ſequitur, Sueciæ & Angliæ Reginas, quin etiam modernos Saxoniæ & Marchiæ Brandenburgicæ Electoras, quoad ſubditos eorum Lutheranos, imo & plurimos Epiſcopos, velut Bambergenſem, Wurzeburgicum &c. qui eccleſiis repurgatis quibusdam præſunt, eo jure carere, cum fœminæ Epiſcopale munus gerere nequeant, & Epiſcopus ejus religionis eſſe debeat, cui eccleſiæ, et ſubditæ, addictæ ſunt, per §. *31. extr. c. 18.*

AD CAP. XXIII.

De Juribus Majeſtatis ac Regalibus circa ſecularia.

SECTIO I.

De Regalibus Majoribus.

§. 4.

C*Ontra jus commune*) concedo quantum ad jus Romanum, Longobardicum & Canonicum, quod nunquam ab Imperio expreſſa ſanctione receptum, nec ubique ad Germaniæ Statum ſatis accommodatum, dum peregrinum; nego autem quantum ad jus naturale, commune omnium hominum & immutabile; & quantum ad Receſſ. Impe-

Imperii inter totum Imperium & ſingulos Status diſtinguo; Et illud qoidem quod attinet, ab Imperio univerſo legee civiles, quæ Receſſibus continentur, per Receſſus poſteriorec contrarios mutari poſſe, nullum eſt dubium; quantum ad bos vero tiegantium mihi ſemper placuit ſantentia, propterea, quod (1.) legislatio, ut alia ragalia, quæ in Comitiis exerceotur, totum Imperium reſpicit.; (2.) majora ſuffragia minora vincunt, & diſſentientes pauciores etiam obſtringunt, per §. *36. & 38. r. 20.* (3.) Receſſus Imperii non in Procares ſolum, ſed in horum ſubditos etiam publicantur, ut ex prologis eorum ſingulorum apparet; (4.) rei Germanicæ publicæ multum intereſt, conformitatem jurie ſervari, nec per promiſcuas leges provinciales & particulares impediri; (5.) tori Imperio in territoriis ſingulorum Statutim, quam horum ipſorum, majos jus eſt, ſalute publica exigente, & proinde jus particulare communi Imperii ſanctioni merito cedit; (6.) exempla, quæ in cootrarium afferuntur, facti, non juris, ſunt, nec ſemper idem eſt, duo cum faciunt idem. Unde intrepide aſſero, leges provinciales, Receſſibus Imperii adverſas, nullas invalidasque eſſe, niſi quando vel conttariæ leges provinciales & coosuetudines antiquiores generatim, & expreſſe quidem, valere jubentur, vel ſingulis Statibus, pro diverſa territoriorum ſuorum conditione, diverſum ſtatuere expreſſe permiſſum, quale quid babetur inf. §. *22. h. t.* cui add. R. I. de a. 1654. §. 106, Ord. Crim. *proœm.* Diſſentit Il-

 luſtr.

luſtr. Dom. Thomaſ. *in differt. de Statuum poteſtate legislatoria contra jus commune.*

2. *regulariter vero poſſunt*) quia, quantum ad legislationem provincialem, Ordinum provincialium votum utplurimum conſultativum tantum videtur; quanquam eis, quoad contributiones, ex priſca libertate populari, regulariter votum deciſivum competere certius ſit. vid. Animadv. ad §. 52. *h. t.*

3. *Neque - derogare poſſunt*) quod tamen e contrario affirmavi Animadv. 1. *ad h.* §. quia Germanicæ perinde, ac alterius cujuscunque reipublicæ permultum intereſt, conformitatem juris ſervari, quantum fieri poteſt; exigente utilitate publica autem majus eſt jus totius corporis in partem, quam hujus ipſius; neque Statibus ſingulis, velut Imperii ſubditis, huic ſe ullo modo opponere convenit. Quod eo magis verum eſſe reor, quo minus contraria Noſtri ſententia per alleg. pac. Oſnabr. *art.* 8. §. 1. & Capitulat. Ferdinandi IV. *Art.* 3. ſuffulcitur. Quanquam enim ibi cautum, ne ſingulorum Statuum territoriale jus ab ullo violetur; nusquam tamen, eo jure leges provinciales Receſſibus Imperii derogantes condendi facultatem generatim contineri, ſancitum reperitur. Neque diſtinctione inter cauſas Statuum ipſorum & ſubditorum mediatorum privatas, in quam Noſter cum aliis proclivis videtur, hanc rem expediri poſſe credo, dum Receſſus Imperii non tantum in ipſos Status, ſed præterea in horum ſubditos etiam publicari ſolent, & proinde, tam horum quam iſtorum ratione inita, vim legum generalium obtinent, quod

quod & ipſe. Noſter fatetur ſupra §. *5. c. 1.* & §. *38. c. 20.*

4. *ratione rerum, quæ ſunt*) unde ſucceſſio rerum immobilium, &, quæ his inhærent, incorporalium, ad jura loci, ubi ſitæ, particularia exigitur, etſi defunctus domicilium alibi habuerit. vid. compend. jur. Lauterb. *p. m. 547.*

5. *vel actuum, qui ſunt*) per *l. 6. ff. de Evict.* & *l. 34. ff. de R. I.* Hinc & negotium ſive judiciale, ſive extrajudiciale, a fœmina Saxonica absque Curatore extra Saxoniam, in loco, ubi jus Imperii commune viget, geſtum, in Saxonia etiam validum babetur; & e contrario fœminæ, v. c. Franconicæ, pactum in Saxonia absque Curatore initum, ne quidem in Franconicis judiciis validum judicatur. Quare etiam teſtamentum, vel codicillus, vel mortis cauſa donatio, ſecuodum jura loci, ubi fit, cnoditum, pro valido agnoſcitur, quantumvis io domicilii defuncti, vel rei ſitæ loco, diverſum jus teſtamentarium &c. obtineat. add. Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 2. §. 5.*

§. 6. *duo illa jura*) quæ tamen magis nomine, quam re differunt, teſte Speculo Suevico *c. 393. §. 2. edit. Burgerm.* ubi dicitur: Schwäbiſch Recht zweyet ſich nicht von der Sachſen Recht, dann an Erb zunehmen, und Urtheil zu geben.

§. 7. *civitates Vandalicæ*) quarum ſingularum oomina ſupra §. *59. c. 3.* habeotur.

1. *Quin & aliæ provinciæ*) unde confirmantur ea, quæ ſupra *Animadv. 2. ad* §. *2. c. 9.* adnotavi.

3. *Po-*

3. *Poloni ac Bohemi*) quin etiam omnes alii Slavi, ad Imperium Germanicum alioquo modo pertinentes.

§. 8. *legibus derogandi & privilegia dandi*) ejus enim eſt leges vel in univerſum, per abrogationem, vel ex parte, per diſpenſationem & privilegiorum conceſſionem, tollere, qui poteſt & ferre, cum nihil tam naturale ſit, quam eo modo quicquam diſſolvi, quo colligatum eſt. vid. Hugo Grot. *libr. ſingul. de æquit. indulgent. & facilit. c. 2:* Unde pendet deciſio quæſtionis: *an Nobilis mediatus, juriſdictione alta gaudens, pœnam ordinariam cum leviori vel extraordinaria abſque domini territorii conſenſu commutare valeat?* quod negandum videtur, cum ejusmodi Nobilis poteſtate legislatoria deſtituatur, quæ cum jurisdictione ipſi conceſſa nequaquam confundi debet. add. Ordinatio Proceſſ. Saxo-Gothana *part. 3. c. 8.*

2. *ſalvo jure tertii*) quia Princeps nemini jus quæſitum ſine juſta cauſa aufferre poteſt. Unde ſequitur, ut (1.) ſublata vel mitigata per diſpenſationem delicti commiſſi ordinaria pœna, ei, qui inde læſus, nihilominus privata ſatisfactio debeatur, ſiquidem illa juris publici, e moderamine Principis, utilitati communi, pro ratione circumſtantiarum, attemperando, pendentis; hæc vero privati juris eſt; (2.) in cauſis civilibus, ubi ſemper jus privatorum verſatur, nunquam diſpenſationi locum eſſe. Quapropter Principi neglecta Proceſſus judiciarii fatalia ſine cauſa legibus publicis approbata reſtituere, aut teſtamentum vel pactum, legibus publicis

tis improbatum, io gratiam alterutrius litigaotis, validum pronuociare nequaquam licet.

3. *Hæc ſoli Status*) quæ verba ad jus aggratiandi in cauſis criminalibus reſtriogenda videntur, per §. *13. h. c.* & §. *ult. c. 24.* nam jus moratoria daodi Imperatori ſine dubio competit, per alleg. Reform. & Ordinat. polir. quibus add. R. I. de anno 1654. §. *175.* quod etiam de jure reſtituendi famæ probat illuſtris Dominus de Berger *l. 1. Oeconom. jur. tit. 2. §. 14. extr.* & *not. 4. inſequ.* Nec obſtat, rum famæ reſtitutione, tum moratoriis litteris juri communi derogari, proindeque, ut legislationem, ita hanc derogatiooem etiam, in Comitiis ab univerſo Imperio exercendam eſſe, dum nihil ram naturale habetur, quam eo modo quicquam diſſolvi, quo colligatum eſt; quia huic regulæ in abrogatione tantum locus eſt, quantum ad derogationem autem fallit, ideo, quod hæc, eoque famæ reſtitutio & litterarum motatoriarum conceſſio etiam, levioris momenti res ſunt, & præterea privatorum negotia reſpiciuot, de qualibus in Comitiis, invito Rege, tractari nequit, per §. *29. c. 20.* & §. *3. c. 24.* Quare nec quoad jus aggratiandi in cauſis criminalibus Autoris ſententia indubia eſt. Quanquam enim merum imperium Statibus abſque provocatione datum eſt, ſecundum §. *13. h. c.* id tameo per diſpenſationem Imperatoris violatum dici oequit, quippe qua non cauſæ cognitio & ſententiæ dictio, ſed effectus bujus ſolum, ſalva juriſdictione alta eorum, quibus conceſſa, per gratiam Superioris, ex juſtis cauſis impertitam, ſuſpenditur; Quemad-

quemadmodum nec imperium merum, nobilibus mediatis conceſſum, imminuitur, ſi quando a concedente pœna ab iſtis dictata per diſpenſationem mutatur, ſecundum Animadv. *1. adh. §.* Quod tamen ſalvo aliorum meliori judicio dictum volo.

§. 10. *jus aſyli*) quod jure Hebræorum particulari, Deuteron. *c. 19. & 35.* & Joſ. *c. 20.* datum ſex Judææ oppidis, quo ſe reciperent homicidium involuntarium perpetrantes, ne per injuriam a vindice ſanguinis interimerentur. add. Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 2. §. 5. n. 5. & l. 2. c. 21. §. 5.* ir. Seldenus *de jur. nat. & gent. juxta diſciplin. Hebræor. l. 4. c. 2.* Qua de cauſa aſylorum uſus in republ. Judaica maxime neceſſarius erat; quemadmodum olim in Germania etiam, cum ferum illud manuarium jus adhuc valeret, poſtea per conſtitutam pacem publicam a Maximiliani I. ævo potiſſimum abrogatum. Unde, interdicta hodie omni vindictæ privatæ licentia, jus aſylorum etiam merito ceſſare debet; quod tamen etiamnum eccleſiis & coemereriis Pontificiorum, ampliandæ Sacerdotum juriſdictionis, & imminuendi contra imperii civilis ergo tribuitur, apud Deſſel. *l. 3. Erotem. jur. Canon. tit. 49. quaeſt. 5. ſeqq.* Quemadmodum & alias legum Judaicarum particularium uſus jure Canon. præcipitur, quotiescunque ad rem & autoritatem Sacerdotum augendam collineare videtur. add. Animadv. ad *§. 12. c. 8.*

2. alibi jam coeperit) veluti in domicilii delinquentis, vel commiſſi delicti foro; per reſponſionem

ſionem ad articulos inquiſitionales, aut litis conteſtationem ad libellum accuſatorium, quinimo per ſolam citationem. add. Illuſtr. Dom. de Berger *L. 4. Oeconom. jur. tit. 4. §. 2.* & Stryck. *Uſ. modern. de Judic. §. 27.*

3. *ad impunitatem ſcelerum*) unde aſyli dominus delinquentem aut punire aut dimittere tenetur, niſi judicium jam alibi coeperit; tum enim præciſe ad exhibitionem ejus judici priori petenti obſtringitur, per antecedentia.

4. *neque ad injuriam læſi*) per Animadv. 2. ad §. 8. b. t.

5. *Diſſentit Lauterbach.*) & Illuſtris Domin. de Berger *in Reſolut. c. l.*

§. 11. *jus Judæos recipiendi*) & tuendi; pro qua receptione & defenſione Judæi tributum fiſco inferre tenentur, indeque Schutzverwandte audiunt, §. *28. c. 31.* quod jus ante interregnum ad Imperatores ſolos ſpectabat, per §. *11. extr. c. 10. & §. 3. c. 25. Spec. Suev.* unde Judæi Cameræ regiæ ſervi dicti, apud Goldaſt. tom. 2. Conſtit. ad annum 1401. deinde vero Statibus Imperii, & Nobilibus immediatis etiam, datum, per §. *13. c. 14.* ubi add. Animadv. 2. & 3.

2. *absque cauſa*) qualis non eſt religio, ſed delictum paulo gravius, per §. *1. 2. 3. & 29. c. 18.* & Animadv. ibid.

§. 12. *Non vero*) concedo quoad jurisdictionem adminiſtratoriam ſeu perſonalem; nego vero quantum ad jurisdictionem patrimonialem vel realem, quia hæc omnino ad jura regalia pertinet,

per

per Aoimadv. *1. ad §. 13. c. 21.* Uode & relaxatio juramenti injuria extorti, juriſdictionis patrimonialis ratione inita, ad jus regium referenda erit.

§. 12. relaxandi juramenti) quemadmodum enim jure civili negotium principale, veluti promiſſio de non vindicanda iojuſta incarceratiooe, validum habetur, licet metu mortis, carceris, &c. injecto geſtum; & per reſtitutionem in integrum Prætoriam, jus oaturale imitaotem, demum reſcinditur; ita & juramentum tali negorio accedens. vid. Compend. jur. Lauterb. *p. m. 175.*

2. *ordinaria juriſdictionis*) uti ergo hodie quilibet judex læſum ex clauſula Prætoris, vel ſpeciali, vel generali, in integrum reſtituendi poteſtate gaudet; ita & juramentum injuria extortum relaxare valer, ſive ſir eccleſiaſticus, ſive ſecularis ſeu profanus, dummodo judicium de negotio principali, cui ejusmodi juramentum acceſſit, ad eum ſpectet. Quod ita jure civili & hodierno obtinet, ſecus ac jur. Canon. quo juramenti relaxatio, imminoendæ juriſdictioois ſecularis ergo, indifferenter ad juriſdictionem eccleſiaſticam refertur. vid. Schilt. *l. 1. Inſt. jur. Can. tit. 5. §. 8.*

3. *Improbiſſime vero*) vid. tamen Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac c. 13. §. 20.*

§. 13. quatenus reſervatum) quibus verbis Noſter juriſdictionem inferiorem extra jurium regalium cenſum iterum eliminare videtur, quemadmodum & ſupra *§. 13. c. 21.* & infra *§. 59. h. c.* factum, ubi tamen Animadv. Hoc loco enim non, ut alias *§. 3. n. 3. c. 24.* de ſola juriſdictione Impe-

no

Google

rio reſervata, ſed de Statuum ſingulorum etiam judiciaria poreſtare tractari, ſequentia evidenter indicant.

2. *niſi aliud privilegium indultum*) ubi tria potiſſimum noranda, (1.) privilegium de noo appellando oon impedire, quo ilunus provocatio ex cauſa vel protractæ & denegatæ juſtitiæ, vel nullitatis proceſſus, ad ſumma Imperii tribunalia fieri queat; per Animadv *4. ad §. 13. & 14.* (2.) denegari juſtitiam, ubi judex ſine juſta cauſa cognitionem & deciſiooem cauſæ alicujus aperte deoegat; protrahi autem, cum quidem judex juſtitiæ administrationem in cauſa ad ſe pertinente & delata aperte non denegar, eam tamen ultra menſem a tempore ſupplicationis factæ numerandum protrahit; vid. Ordinat. Cameral. de anno 1555, *part. 2. tit. 1. §. 2. & tit. 26.* (3.) privilegium de non appellando decreta & ſenteotias ſolum reſpicere, quæ inter partes litigantes ab eo, qui ejusmodi privilegio gaudet, feruntur, privilegiatum ipſum autem jurisdictioni cum Auſtregarum, tum ſummorum Imperii judiciorum nihilominus obnoxium manere, ita nimirum, ut ab hiſce adverſus eum & mandata cum vel ſine clauſula, & citationes decerni valeant. vid. Illuſtr. Dom. de Ludolph. *in Annotat. ad tit. 25. part. 2. Conc. Ordinat. Cameral.*

3. *non imperium merum*) ſed & hoc ad jura regalia in ſenſu juris Romani pertinet, non Præſidum, vel aliorum magiſtratuum Romanorum, qui id adminiſtrabaot; ſed Populi & Principis, cujus imperium merum jure proprio erat, ratione inita,

B b add,

add. Animadv. *ad §. 13. cap. 21.*

4. *abſque provocatione*) ea ſcil. quæ ex cauſa iniquitatis ſententiæ fit; nam provocationem, quæ hæc ex cauſa nullitatis proceſſus criminalis vel inquiſitorii vel accuſatorii ſuſcipitur, gravato permiſſam eſſe, expreſſe conceditur infr. *§. 22. c. 32.* per Ord. Cam. *c. l.* ubi & id, quod jam de provocatione, ex capite iniquitatis quæ fit, exerte ad cauſas capitales reſtringitur. Unde ea in aliis cauſis criminalibus non capitalibus licita videtur. Sed nec illud omittendum, ea, quæ de reſtricta provocatione ad Camerale judicium dicta, ad cauſas ſubditorum mediatorum criminales ſolum pertinere; quanduquidem, liberam jurisdictionem criminalem in ſubditos Imperii immediatos Imperatori, quinimo in cauſis quibusdam *tit. 20. part. 2. Ordinat. Camer.* deſignatis, Camerali judicio etiam, competere, certum eſt.

5. *non vero remittendus*) quia tali in caſu judicium in domicilii delinquentis, vel delicti commiſſi, foro nondum coepit. vid. *§. 10. h. c. & Animadv. 2. ibid.*

§. 14. die Durchführung der *Maleficanten*) quia eſt actus jurisdictionis criminalis, cujus exercitium in alieno territorio, invito domino, prohibitum. Permiſſa ergo eſſe debet die Durchführung der Verſtorbenen per alienum territorium, etiam conſenſu domini ejus non petito, ſiquidem dergleichen Durchführung abſque imperio & coactione fit. vid. Schilt. *Exercit. ad ff. 21. §. 31.* diſſentit Lauterb. *compend. jur. p. m. 166.* cum aliis ibi alle-

allegatis, qui adeo diverſam utriusque perductionis ſpeciem confundere videntur.

§. 15. *jus proſcribendi)* de cauſis proſcriptionis ſeu banni ejusque diviſione vid. infr. §. *12. cap. 32.*

2. *ex ipſa inprimis forma mixti imperii)* quæ tamen origo cauſave des Fürſtenrechts mihi minus probabilis videtur. Quanquam enim imperium Germanicum mixtum, indeque jura regalia potiora cum Statibus communicata eſſe negari nequit, non minus tamen, in omnibus Procerum cauſis, allodialibus, feudalibus & criminalibus, jurisdictionem, ad quam jus proſcribendi refertur, §. *13. h. c.* ſolius Regis moderamini relictam eſſe, certum eſt. vid. Animadv. *3. ad §. 25. c. 15.* Unde magis arridet illa cauſa des Fürſtenrechts, quam Noſter cum multis aliis a Parium jure deducit ſupra §. *7. ibi: ceu curia Parium, c. 3.* & §. *5. tit. 13. Hypomn. feudal.* add. Schweder. *Introd. in jus publ. part. 2. ſect. 1. c. 9. §. 9. ſeqq.* & Illuſtr. Dom. Baro de Lyncker. *in Anal. ibid. & ad c. 11. §. 1.* Quo pacto jurisdictio Imperatoria minus offenditur, quam ubi originem & cauſam des Fürſtenrechts formæ imperii Germanici mixtæ adſcripſeris, quandoquidem Pares curiæ Conſiliariorum inſtar ſunt, adeoque conſilium duntaxat Domino impertiunt, per §. *22. tit. 6. Hypomn. feudal.* reipubl. mixtæ vero Proceres præterea conſenſum etiam, per Anim. *ad §. 8. c. 7.* quo in Germania admiſſo, jurisdictio Cæſarea dividatur neceſſe eſt. Enimvero quicquid ſit de jure antiquo, hodie certe conſtat, jus

 pro-

proſcribendi ob delictum cum Statibus communicatum, & proinde jurisdictionem Cæſaream hactenus diviſam eſſe, per Capitul. Caroli VI. *art. 20.* quæ tamen communicatio non impedit, quominus Rex etiamnum de cauſis Procerum feudalibus, & civilibus quidem, ſolus judicare valeat, ſecundum *tit. 7. part. 2.* Ordinat. Camer. de anno 1555. ita tamen, ut nihilominus, rei gravitate expoſcente, inſuper quorundam utriusque religionis Electorum & Principum ſententias & vota requirere teneatur, per §. *55. art. 5.* pac. Oſnabrug.

§. 17. *miniſteria non poſſe*) mihi vero hæc conſequentia minus recta videtur, cum Regni & Principum miniſteria diverſiſſima ſint, illa nimirum hereditaria & univerſalia per totum Imperium quippe valentia; hæc autem temporaria tantum & particularia. Unde Nobilitatem ſeu Regni miniſteria e ſolo Regis beneficio pendere certum puto.

2 *hoc ipſo*) quod negandum videtur. Etſi enim die Mittelfreyen vaſalli Principum habeantur; § *32. n. 3. c. 15.* inde tamen, eos nobilitatem per feuda ſua mediata olim adeptos eſſe, vel hodie adipiſci, nequaquam efficitur. vid. Schilt. *Inſtit. jur. feudal. c. 9. §. 5.*

§. 18. *Nobilibus ut Patricii*) illi ſcil. agriculturæ & pecuariæ, innocentiſſimo omnium & antiquiſſimo vitæ generi, operam impendunt; hi vero negotiationibus civicis, quibus & luxus alitur & fraus facile exercetur, ſtudent; illi Regi, Regno & Principibus ſerviunt, hi vero civibus oppidanis

mini-

miniſtrare videntur. Unde, quanquam Patricii prima origine Nobiles ſunt, Nobilitatem tamen ſuam eo vitæ & ſervitiorum genere contaminare exiſtimantur. vid. Animadv. *1. n. 11. & 12. ad §. 30. c. 15.* Ceterum add. Lehmann. *l. 5. Chron. Spirenſ. cap. 1.*

§. 19. *valet & extra regnum & territorium*) magis tamen ex prudentiæ & mutuæ utilitatis, quam juſtitiæ ſtrictè dictæ regulis. Ut enim extra regnum vel territorium ſuum imperanti impune non paretur; ita nec exteri Miniſterium publicum ſeu Nobilitatem ab eo conceſſum agnoſcere tenentur; agnoſcunt tamen, ut viciſſim & ſuis Nobilibus apud alios honos decens deferatur.

§. 23. *Statibus omnibus non competit*) eoque nec ſuperioritate territoriali comprehenditur, ſed a ſingulari Cæſaris beneficio dependet, quod mediatis etiam Imperii ſubditis competere poteſt, addatur Capitulatio Caroli VI. Imperatoris Auguſti, *art. 9.* Jus monetæ itaque nemini permiſſum, niſi (1.) Regi, jure regio; vid. R. I. de anno 1570. §. Alsdenn auch die Müntzgerechtigkeit kein Mercant, ſondern unſer Keyſerl. *Regal, &c.* 132. & quibusdam Procerum, jure privilegii, ut (2.) Electoribus, ſecundum A. B. *tit. 10.* & (3.) aliis, quibus id ſpeciatim conceſſum.

§. 26. *Jus Archivi*) quod, quanquam ad jura regia refertur, connexum eſt cuilibet jurisdictioni, ſive ſuperiori, ſive inferiori, quia & hæc ratione ejus, cujus nomine adminiſtratur, juri regio annumeranda eſt, per Animadv. *1. ad §. 23. c. 21.*

Unde ſequitur, ut jus Archivi non ſolum Statibus Imperii, ſed & Nobilibus, ſive mediatis ſive immediatis, aliisque ejus generis magiſtratibus tribuendum ſit. Id quod uſui certo non minus, quam rationi convenit. Ubi enim v. c. exceptio rei judicatæ probanda, rerum in judicio aliquando geſtarum monumentis ex Archivo Nobilis vel alterius cujusdam magiſtratus deſumtis pariter ac iis, quæ ex Archivo Principis depromuntur, ceteris paribus, fides habetur.

2. *litteris inde deſumtis*) modo tamen in cauſa aliena, v. c. duorum litigantium, a magiſtratu, vel hujus vicario jurato, exaratæ ſint; tales enim falſitatis ſuſpicione carent, ſicubi inde v. c. probatio rei judicatæ depromatur.

3. *etiam contra extraneos*) ſive ſubditi alii, cujus contra ſubditos extraneos in Judicio extraneo; ſive e contrario hi adverſus iſtos in Judicio, ubi litteræ ejusmodi cuſtodiuntur, experiantur.

4. *inter duos Principes*) v. c. de jurisdictione alicujus loci contendentes, cui aſſerendæ alter adverſus alterum monumentis ex Archivo proprio deſumtis, ſuper cognitione & deciſione cauſarum inter ſubditos ejus loci controverſarum aliquando exaratis & juſto ordine collectis, utitur. Quanquam enim nunc tales in cauſa ejus, ad quem Archivum pertinet, propria allegantur, eis tamen ideo omnis fides prorſus abjudicari nequit, propterea, quod olim in cauſa aliena, adeoque alii fini confectæ ſunt. Quodſi ergo initio allegantis vel ejus, in cujus locum is ſucceſſit, gratia exaratæ ſint litte-

litteræ, quæ nunc ex Archivo illius proprio adverſus alterum producuntur, ut chirographum, ſyngrapha, apocha, antapocha, tum eæ non aliter vim probandi habere poſſunt, niſi ab adverſario agnoſcantur.

§. 27. *de repreſſaliis*) addatur Hugo Grot. *l. 3. de jur. bell. & pac. c. 2* & Ziegler. *in notis ibidem; & c. 34. l. 1. de juribus Majeſtatis.*

§. 28 *Requiritur conſenſus Ordinum*) ſi ſcil. Imperator prædictis juribus bellicis nomine totius Imperii uti velit. add. Capitul. Caroli VI. art. 4.

§. 29. *Statibus quoque Imperii*) ad defenſionem ſcil. ſuam, quæ juris privati eſt, per §. *59. extr. h. c.* ut & ad ſubditos rebelles vel refractarios in ordinem cogendos; per §. *29. extr. h. c.* nec minus ad uſum Imperii, quando ab hoc aut bellum extraneis inferendum, aut ab his illatum defendendum eſt; nequaquam vero ad bellum aliis Imperii membris inferendum, ſiquidem Status Imperii ſinguli hactenus jure belli & pacis deſtituuntur. vid. Tabul. pac. Oſnabr, *art. 17. §. 7.*

2. *modo juſta diffidatio præceſſerit*) quæ quanquam olim Statibus æque ac aliis Imperii ſubditis permiſſa, poſtea tamen cum ipſa poteſtate belli inferendi iis omnibus & ſingulis quibuscunque prorſus interdicta eſt, per Conſtitut. Maximil. I. *de pace publ. de anno 1495. tit. 1.* Fried-bot & Aufhebung aller Fehd. Nec Imperii ſanctiones a Noſtro in contrarium allegatæ quicquam probant; quandoquidem Aur. B. & Reformat. Friderici III. dictam Maximiliani I. Conſtitutio-

 nem

nem præceſſerunt, & proinde per hanc, tanquam legem contrariam poſteriorem, hactenus abrogatæ cenſeri debent; quemadmodum & limitationes *cit. art. 129. Ordinat. Criminalis anno 1532. conditæ*, poſtero tempore per R. I. de annis 1548. & 1555. penitus ſublatæ ſunt, Beyero etiam *in Delineat. jur. crimin. ad d. art. 129. Ordin. Crimin.* monente; ſecundum quæ ea, quæ Capitul. Leopold. & Joſeph. *c. l.* de Procerum præſidii imponendi, caſtellorum habendorum, & ſequelæ jure dicuntur, ad neceſſariam aliquando defenſionem eorum reſtringenda, nequaquam autem ad offenſionem armatam aliorum Imperii Ordinum protendenda ſunt.

3. *non deeſt*) de eſt autem copia judicis, ut Hugo Grotius *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 2. n. 1.* docet, ubi, hoſte appropinquante, judex expectari non poteſt ſine certo periculo aut damno; vel quando ſubditi, belli interni aut rebellionis tempore, judicem non audiunt: vel cum judex aperte cognitionem rejecit, quod poſterius tamen, ceteris paribus, accipiendum. Quibus in caſibus uti privata vindicta quibuscunque permiſſa eſt; ita nec ſingulis Imperii membris interdicta cenſeri debet. add. inprimis Ziegl. *in notis ad Grot. d. l.* & Struv. *Exercit. ad ff. 9. §. ult. it. §. 13. extr. h. c.* Unde ſimul & hoc liquet, nec regium belli & pacis jus, territorii ſuperioritate comprehendi poſſe. Quanquam enim bellum, quod defenſivum dicitur, ſingulis Statibus conceſſum eſſe negari nequit, id tamen ad jura privata magis, quam publica & re-

regia referendum videtur, ſecundum §. *59. extr. h. c.*

§. 30. *vulgo* Burgfried) add. ioptimis Beyer. *l. 1. Specim. jur. German. c. 21.*

§. 31. *merum*) quod tamen ſalvo ac integro civitatis jure abeſſe poteſt, cuio, experientia teſte, multæ civitates, imperio mixto contentæ, mero imperio careant.

2. *mixtumque imperium*) ad conſtitutionem civitatis maxime neceſſarium, utpote quo cives conditione ſervili ſeu ruſtica eximuntur, eoque, velut liberi, ſeptimo clypeo militati ſeu Nobilitatis gradui adſcribuntur. Pagi ergo a civitatibus non tantum muniendi jure & vitæ genere differunt; ſed in eo etiam diſcrepant, quod illi propria jurisdictione deſtituuntur, hincque Nobilibus & Principum Comitumve judiciis inferioribus ſubſunt; hæ vero propria jurisdictione gaudent, & ſuperiorem neminem, niſi territorii Dominum, vel Imperium, agnoſcunt, prout vel mediatæ vel immediatæ ſunt, Unde cives neque Nobilibus, neque Principum Comitumve Præfecturis operas (frohnen) præſtant, aut ſtatum cenſum pendunt, ut ruſtici. Et quanquam iſti oneribus publicis non minus ac hi obnoxii vivunt, imo aliquaodo iis magis quam ruſtici atteruntur, id tamen ſtatui & libertati civium non magis officit, quam cum Imperii Status ſinguli ſervitia Imperio debita præſtant. vid. §. *31. c. 15.* cum civium libertati & ingenuitati ſufficiat, quod neque Nobilibus, neque Principum Comitumve Præfecturis, ſed vel territorii Domino, ſi mediati,

nem præceſſerunt, & proinde per hanc, tanquam legem contrariam poſteriorem, hactenus abrogatæ cenſeri debent; quemadmodum & limitationes *cit. art. 129. Ordinat. Criminalis anno 1532. conditæ*, poſtero tempore per R. I. de annis 1548. & 1555. penitus ſublatæ ſunt, Beyero etiam *in Delineat. jur. crimin. ad d. art. 129. Ordin. Crimin.* monente; ſecundum quæ ea, quæ Capitul. Leopold. & Joſeph. *c. l.* de Procerum præſidii imponendi, caſtellorum habendorum, & ſequelæ jure dicuntur, ad neceſſariam aliquando defenſionem eorum reſtringenda; nequaquam autem ad offenſionem armatam aliorum Imperii Ordinum protendenda ſunt.

3. *non deeſt*) de eſt autem copia judicis, ut Hugo Grotius *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 2. n. 1.* docet, ubi; hoſte appropinquante, judex expectari non poteſt ſine certo periculo aut damno; vel quando ſubditi, belli interni aut rebellionis tempore, judicem non audiunt: vel cum judex aperte cognitionem rejecit, quod poſterius tamen, ceteris paribus, accipiendum. Quibus in caſibus uti privata vindicta quibuscunque permiſſa eſt; ita nec ſingulis Imperii membris interdicta cenſeri debet. add. inprimis Ziegl. *in notis ad Grot. d. l.* & Struv. *Exercit. ad ff. 9. §. ult. it. §. 13. extr. h. c.* Unde ſimul & hoc liquet, nec regium belli & pacis jus, territorii ſuperioritate comprehendi poſſe. Quanquam enim bellum, quod defenſivum dicitur, ſingulis Statibus conceſſum eſſe negari nequit, id tameo ad jura privata magis, quam publica &

re-

regia referendum videtur, ſecundum *§. 59. extr. h. c.*

§. 30. vulgo Burgfried) add. inprimis Beyer. *l. 1. Specim. jur. German. c. 21.*

§. 31. merum) quod tamen ſalvo ac integro civitatis jure abeſſe poteſt, cum, experientia teſte, multæ civitates, imperio mixto contentæ, mero imperio careant.

2. *mixtumque imperium*) ad conſtitutionem civitatis maxime neceſſarium, utpote quo cives conditione ſervili ſeu ruſtica eximuntur, eoque, velut liberi, ſeptimo clypeo militari ſeu Nobilitatis gradui adſcribuntur. Pagi ergo a civitatibus non tantum muniendi jure & vitæ genere differunt; ſed in eo etiam diſcrepant, quod illi propria jurisdictione deſtituuntur, hincque Nobilibus & Principum Comitumve judiciis inferioribus ſubſunt; hæ vero propria jurisdictione gaudent, & ſuperiorem neminem, niſi territorii Dominum, vel Imperium, agnoſcunt, prout vel mediatæ vel immediatæ ſunt, Unde cives neque Nobilibus, neque Principum Comitumve Præfecturis operas (frohnen) præſtant, aut ſtatum cenſum pendunt, ut ruſtici. Et quanquam iſti oneribus publicis non minus ac hi obnoxii vivunt, imo aliquando iis magis quam ruſtici atteruntur, id tamen ſtatui & libertati civium non magis officit, quam cum Imperii Status ſinguli ſervitia Imperio debita præſtant. vid. *§. 31. c. 15.* cum civium libertati & ingenuitati ſufficiat, quod neque Nobilibus, neque Principum Comitumve Præfecturis, ſed vel territorii Domino, ſi mediati,

 vel

vel Imperio, ſi immediati, cenſum exſolvant. Quo & paroemia Germanica alludit, quando dicitur: keine Henne fleugt uber die Mauren, apud Hertium *l. 2. Paroem. 11.* Præterea hæc etiam civium & ruſticorum notabilis eſt differentia, quod illis prædia ſua urbana olim feudi lege a magiſtratu oppidano nomine Principis data ſint, quanquam ea hodie allodialium jure fere cenſentur; hi vero prædia ſua ruſtica a Nobilibus aut Principum Comitumve Præfecturis emphyteuſis vel cenſus lege accipiant; vid. Illuſtr. Dom. Thomaſ. *differt. de lib. vet. de benefic. uſu* §. 44. quodqve in pagis prædia urbana ruſticorum; econtrario autem in civitatibus prædia ruſtica urbanorum acceſſiones habeantur. add. Idem Thomaſ. *Select. feudal.* §. 6. *ſeqq.*

3. *jus muniendi*) neque enim requiritur, ut actu muris cincta ſit urbs vel civitas, ſed ſolum jus muniendi cum jurisdictione propria conjunctum ad Civitatis conſtitutionem ſufficit, prout recte docet Noſter ſupra §. 1. *c. 17.* quanquam pauciſſimæ civitates muris careant; unde Germanorum paroemia: Bürger und Bauer ſcheidet nichts denn die Mauer, apud eundem Hertium *d. l. Paroem.* 10.

4. *Hodie id Principibus quoque competit*) jure territoriali ſcilicet, quod tamen negat Illuſtris Dom. de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 9. part. 2.* §. 41. idque olim dubium fuiſſe ex §. 4. *c. 17.* apparet. Quicquid ſit, hodie ſaltem jus muniendi, eoque & civitatis conſtituendæ, ſuperioritate territoriali

rritoriali contineri, certum eſt, per art. *4. Capitul. noviſſ.* add. art. *10. §. 6. Pac. Oſnabrug.* Cum enim hodie territoriorum Domini & mero mixtoque imperio eoque proprio hereditarioque, & muniendi collegiaque (Handwercker, Zunffte, Innungen,) permittendi jure ſine controverſia polleant, non video, qui iſti ab Imperio impediri queant, quo minus hæc jura ſub lege fidelitatis & ſubjectionis condendæ civitati concedere valeant.

5. *collegiorum permiſſio*) Quare collegia quæcunque opificum, mercatorum &c. a territorii Domino non confirmata pro illicitis habenda ſunt. vid. tot. tit. ff. *de Colleg. & Corpor.*

§. 32. jus pacis & fœderum) qua nimirum hoc ad defenſionem Imperii Ordinum collineat; non qua ad offenſionem aliorum Imperii membrorum id ſpectat. Ut enim hactenus belli, ita pacis & fœderum jus etiam, iis per pacis publicæ ſanctionem penitus interdictum eſt, vid. Animadv. ad §. *29. h. c.*

2. *contra Imperium*) vel ſingulos ejus ſubditos, ut expreſſe additur art. *8. §. 2. ibi : pacemque ejus publicam, pac. Oſnabr.*

3. *idque deciſum*) add. Capitul. noviſſ. *art. 6.* ubi tamen duntaxat Fœdera, quæ ad defenſionem Statuum ſpectant, permittuntur. Nec contrarium per A. B. tit. 15. probatur, quia hæc ibi generatim loquitur, & præterea ante pacis publ. ſanctionem condita eſt, cum diffidationes & manuarium jus quibuslibet licita eſſent.

§. 34.

§. 34. *lubitu ſuo inferre voluit*) Unde duplex Furſtenerii error eſt, (1.) quod is Principes a Dominis, quantum ad jus legationis, diſcernit. Quanquam enim bis dignitate & ſuffragandi modo iſti potiores ſunt, *per §. 8. & 13. c. 15. it. §. 15. c. 20.* utrique tamen, quoad ſuperioritatem territorialem, unde legationis aliaque Statuum jura publica potiſſimum æſtimantur, æquales habentur (2.) quod Principibus potentioribus plus juris quam minus potentibus tribuit, cum tamen jura eorum non ex po entia, ſed cauſa & titulo, quo Principes ac Domini Imperio inoectuntur, metieoda ſint. add. *§. 8. c. 21.*

§. 35. *Legatorum ritibus*) quanquam enim ſingulis Statibus jus legationis vi ſuperioritatis territorialis competere certum eſt, qua ſcil. belli & pacis fœderumquè negotia iis permiſſa per legationes expedienda ſunt; honoris tamen & ceremoniarum, quibus legati excipi ſolent, diverſi gradus ſunt, qui adhuc largius Electorum, quam Principum legatis tribuuntur, ob dignitatis ſcil. quæ inter hos illosque intercedit, differentiam. vid. *§. 13. n. 12. c. 14. & art 3. Capitulat. noviſſ.*

2. *non ſingulis*) quanquam enim hos noo deficit jus, hujus exercitium tamen cum ſingulorum Nobilium immediatorum auguſta re parum convenire videtur. add. §. *14. c. 21.* & Animadv. ibid.

§. 36. *a ſuperiore*) vid. omnino Illuſtr. Dom. de Lyncker. *Diſſertatio duplex, una de Commiſſar. Cæſar. ad negotia Status; altera de Commiſſ. Cæſar.* ad

ad negotia juſſit. item Bechmann. olim Profeſſ. Jenenſ. *ejuſd. generis diſſertatio duplex*.

§. 37. *ſed & contra*) add. §. 2. *n*. 2. *c*. 22.

2. *vix fidem mereatur*) ſed vid. Animadv. 2. *ad* §. 2. *c*. 7.

3. *homagium perſonale*) quod præſtatur magiſtratui ſuperiori ejus loci, ubi quis domicilium habet, indeque verus & perpetuus ſubditus efficitur, ſalva tamen alio ſum migrandi facultate. vid. Hugo Grotius *l*. 2. *de jur. bell. & pac. c*. 5. §. 24.

4. *etiam Miniſtri Principis*) qui inde veri ſubditi efficiuntur, etſi in eo loco nulla bona immobilia poſſident; quod itidem obtinet, cum domicilium alibi habent, dummodo ſimul jurent & fidelitatem & ſubjectionem, (Treu, Unterthänigkeit und Gehorſam). Ubi enim ſolam fidelitatem obſtringunt ſuam miniſtri Principis extra locum degentes, vaſallorum duntaxat jure cenſendi ſunt. vid. Cl. Dom. Beck. *de parib. vaſall. & miniſtr. Princip. juribus*; & adde §. 12. *c*. 15. *it*. §. 41. *ejusd. cap. cum Animadv. ibid*.

5. *in loco habent*) vel extra locum, ſi, præter fidelitatem, ſubjectionem inſuper promittunt miniſtri Principis; ſecundum Animadv. præced. Nec obſtat, prorogationem jurisdictionis patrimonialis in Germania interdictam eſſe; vid. Compend. jur. Lauterb. *p. m*. 26. & Illuſtr. Dom. de Lyncker *in Anal. ad Struv. ibid. th*. 59. quia talis prohibitio de prorogatione jurisdictionis quoad ſingulas cauſas intelligi debet, proindeque ad con-

ſtitu-

ſtitutionem jurisdictionis, de qua hoc loco quæritur, protendi nequit. Alioqui enim ſequeretur, nemini, ſine conſenſu prioris domini in diverſis territoriis diverſa domicilia habere, licitum eſſe, quod non minus uſui fori, quam rationi & libertati naturali repugnat.

6. *forenſes*) qui ſcil. alibi domicilium, alibi bona habent.

7. *nec quadrat*) eoque nec Majeſtatis læſæ crimen, ut quod ſubjectionem perſonæ committentis requirit.

8 *non videtur uſum habere*) qoia forenſis, ſive homagium reale præſtet ſive minus, actionibus realibus tantum in foro rei ſitæ conveniri poteſt; ſiquidem actiones perſonales in foro domicilii inſtitui debent. Ceterum Domino territorii, ubi forenſium res ſitæ, de oneribus publicis ipſa re ſatis cautum eſt. Quin etiam forenſis tenetur in loco, ubi bona quædam poſſidet, poſtulante Domino ſubſtitutum ſeu vicarium ſiſtere, qui loco ejus onera publica, ejusmodi rebus inhærentia, præſtet. vid. Ordinat. provinc. Saxo-Goth. *part.* 2. *c.* 2. *tit.* 14. §. Es ſollen auch dergleichen Auswürdiſche *&c.*

9. *& mos variat*) ita ſcil. ut quibusdam in locis forenſibus prædia poſſidere non liceat, niſi homagium perſonale etiam jurent, & ſe jurisdictioni Domini loci, ubi ea prædia ſita ſunt, hac ratione ſubjiciant; quale quid in Saxonia obtinet, ubi vaſalli, quin ſimultanee inveſtiti etiam, ſimul fidelitatis & ſubjectionis vinculo ſe obſtringere, eoque

que in omnibus indiſcriminatim cauſis ſive feudalibus ſive allodialibus, & ſive realibus ſive perſonalibus, coram domino feudi ſtare tenentur, etſi alibi domicilium habent, dummodo feudum ſolo Saxonico comprehendatur. Quodſi enim extra Saxoniam id ſitum, homagium ejusmodi vaſallo extraneo invito obtrudi nequit. add. *§. 41. c. 15.* & Animadv. ibid.

AD CAP. XXIII. SECT. 2.

De Regalibus Minoribus.

§. 38.

E*X quibus fiunt navigabilia*) per confluentiam ſcil. Cetera ergo aqua juris privati eſt.

2. *maria occupata*) & multo magis littora maris, de quibus cit. l.3.pr.ff. *ne quid in loco publico &c.* loquitur, quæ tamen jure Romanorum civili ſeu proprio ad res communes omnium hominum negative tales referuntur, ut probat Hugo Grotius *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 9.* jure naturali autem ad res publicas cujusque populi occupantis ſpectant. Quanquam autem mare integrum in proprium jus populi alicujus abire nequit, quia (1.) uſus ejus omnibus hominibus ad navigandum & piſcandum ſufficere poteſt, & proinde ratio introducti dominii aliarum rerum, quarum uſus ita amplus non eſt, maris integri ratione inita, ceſſare videtur; (2.) id, quod ſub dominium redigendum, ita comparatum eſſe debet, ut poſſideri, h. e. ab uſu

ejus

ejus alii arceri queant, quandoquidem dominium ſine poſſeſſione, in ſtatu naturali præſertim, inefficax eſt, dum ab hac perceptio fructuum & de re pro lubitu diſponendi facultas pendet; maris integri autem ea amplitudo eſt, ut ab uſu ejus alii populi arceri nequeant; Idem Grotius *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 2. §. 3.* & integro Tractatu *de mari libero*; partes tamen maris ut poſſideri, ita & a ſingulis populis occupari & dominio eorum publico ſubjici poſſunt, ut recte ſtatuit Noſter *h. c.* Hugone Grotio etiam adſtipulante *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 8. ſeqq.*

§. 39. *viæ regiæ*) a quibus diſtinguuntur viæ com vicinales, quæ tamen publicæ fere ſunt; tum privatæ, jure ſervitutis in prædio alieno privato competentes, add. *l. 2. §. 21. 22. & 23. ff. ne quid in loco publ.* & Ziegler. *l. 2. de jur. Majeſt. c. 17. §. 1. ſeqq.*

2. *Comiti Palatino*) add. §. *14. c. 14. & Animadv. 2. ibid.*

3. *accedunt plerumque*) excepto telonia imponendi jure, utpote quod non e ſuperioritate territoriali, ſed unice ex Imperatoris privilegio pendet, per §. *44. h. c.*

§. 41. *liberum eſt*) concedo, ſi populus, ad quem flumina & maria occupata ſpectant, annuit; nego autem cum Struvio, ubi is ejusmodi caritatis officium, imperfecte tantum obligans, renuit. Ut enim nemini liberum eſt, fundum privatum ingredi, aut in eo quicquam facere, invito domino, per §. 12. Inſtit. *de rer. diviſ. & acquir. ear. dom.* ita

nec

nec exteris liberum eſſe poteſt, aquam haurire & ſine noxa ducere, anchoras jacere, merces exponere, invito populo, ad quem hæc res ſpectat. confer. omnino Illuſtr. Dom. Thomaſ. *nova addit. ad Huber. Prælect. ad Inſt. de rer. diviſ. §. 5. & 6.*

2. *ſine noxa*) quid tum? quandoquidem nec res innoxiæ utilitatis invitus quis alteri præſtare tenetur, cum ejusmodi humanitatis officium ad juſtitiam attributricem ſpectet, quæ, quantum ad forum humanum nimirum, imperfecte obligat. vid. §. *1. 2. & 3. c. 18.* & Animadv. *ibid.*

3. *ſolvendum*) ſed videtur hic ſibi Noſter contrarius. Si enim exteris uſus littorum & riparum liber eſt, diſſentiente licet populo, cujus ea ſunt; hic ſane anchoragium jure perfecto poſcere nequit.

4. *cum ſit præter uſum juris gentium*) qui cum in rebus publicis non magis, quam privatis, invito domino, permiſſus ſit, ſecundum Animadv. præced. *ad h. §.* ideo nobis hic alia ſubſtituenda ratio eſt, quare molendina in ripis & littoribus ſine permiſſu territorii domini exſtruere in Germania non liceat. Quanquam enim riparum & litorum proprietas & ſubſtantia populi eſt, per §. *17. c. 9.* uſus tamen eorum in Germania non ad quoslibet ex populo, ſed ad Proceres vel Miniſteriales tantum, qui eum ab Imperio, vel feudi vel privilegii jure, poſſident, pertinet, eoque ad jura horum fiſcalia merito refertur, quibus privatis absque permiſſu Superioris uti non licet. Unde ſequitur, in Germania ne quidem civibus, jure fiſci deſtitutis,

nedum exteris, libetum eſſe, in ripis fluminum publicorum vel littoribus occupatis molendina exſtruere, aut anchoras jacere, aut merces exponere, aut aquam ex flumine publico ducere, niſi talia a fiſci domino permittantur; aliter atque in republica Romana, ubi mare cum littore rebus nullius accenſebatur; quemadmodum & fluminum, velut rerum publicarum, uſus quibuslibet ex populo ibi permittebatur, ſecundum §. *1. 2. 4. 5. Inſt. de rer. diviſ. & acquir. ipſar. domin.* Quare cum multis aliis graviter errat Ziegler, quando molendinorum exſtructionem apud nos privati juris eſſe, ex legibus Romanorum civilibus ſeu propriis probare contendit, *l. 2. de jur. Majeſt. c. 15. §. 32.* Ubi enim diverſa ratio ſtatus Romani & Germanici eſt, ibi etiam diverſæ juris applicationi locus dari debet, ut in quæſtione præſenti.

§. 42: *niſi aliud uſu loci obtineat*) quin ego hoc invertendum, proindeq; ſtatuendum exiſtimo, niſi aliud uſu loci obtineat, criminis in via publica commiſſi cognitionem regulariter non ad eum, cujus eſt jus conducendi, ſed ad territorii dominum potius pertinere, ſive iſte per alienum territorium ipſum jus viarum publicarum, ſive jus conducendi ſolum habeat, jure vectigalium penes territorii dominum manente; quia (1.) juriſdictio territorio inhæret, per §. *15. c. 21.* (2.) merum imperium ad regalia majora, jus viarum publicarum & conducendi autem ad regalia minora refertur; §. *15. & 38. h. c* ideoque (3.) diverſa ſunt, a quorum uno ad alterum nulla valet conſequentia; nec (4.) facile

eſſe probari poteſt, eo tempore, cum viarum publicarum jus ad fiſcum regium adhuc pertineret, ſecundum *§. 39. h. t.* Regibus Germaniæ juriſdictionem in viis publicis reſervatam eſſe, conceſſo territoriorum dominis mero imperio. Quare nec (5.) hoc eis tribui poteſt, qui per territorium alienum jus viarum publicarum vice Regis exercent. Quinetiam (6) exiſtimem, ne quidem territoriorum dominis criminis in via publica commiſſi cognitionem regulariter competere, quantum ad eum diſtrictum, ubi Nobili cuiquam merum imperium quæſitum eſt; quamvis & hic pleroſque omnes diſſentire non neſciam.

2. *ita concluſum memini*) quod argumentum tamen parum valet, cum rationibus magis, quam exemplis pugnandum ſit.

3. *damna reſarcire ſpoliatis*) unde ſequi videtur, cum jure conducendi per alienum territorium merum imperium regulariter conjunctum eſſe debere. Ubi enim hoc territorii domino competere dicatur, conducenti latrones conquirendi puniendique facultas adimitur, proindeque ei nec damnum a latronibus datum imputari poterit. Verum falſa res eſt, ſiquidem allegatus Imperii Receſſus de ſpecie frequentiore intelligendus eſt, ubi nimirum ſuperioritas territorialis cum conducendi jure penes unum eundemq; eſt, qui proinde damnum a latronibus datum vectoribus vel viatoribus ſolvere tenetur, ſive hi conductum petierint, ſive minus, dummodo vectigal ſecuritatis, das Gelait, ſolverint, & præterea iſte in conquirendis & puniendis latronibus

negligens fuerit, eoque damno cauſam dederit. Quodſi enim hæc abſit, adeoque conducens, velut territorii dominus, officio ſuo functus ſit, damnum ejusmodi pro caſu fortuito habendum, quem nemo, adeoque nec conducens, præſtare tenetur; quod itidem de eo, qui jus conducendi per alterius territorium absque mero imperio habet, dicendum videtur, cum & hic culpa vacet, eoque a damni ſatisfactione immunis eſſe debeat, niſi conductum a viatoribus vel vectoribus petitum denegaverit.

4. *utriusque erit cognitio*) quia omne confinium, eoque jurisdictionis etiam, inter utrumque confinem commune eſt, adeo quidem, ut neuter alterum a cognitione criminis per præventionem excludere valeat, utpote cui tum demum locus eſt, cum duobus vel pluribus v. g. diverſis domicilii, delicti commiſſi & deprehenſionis magiſtratibus, ſuper uno eodemque delicto ſimul jurisdictio in ſolidum competit, quam unicuique eorum præveniendo antevertere licet.

§. 43. *cohærent*) quod tum demum verum puto, ubi cuidam non ſolum jus conducendi, ſed integrum viarum publicarum jus inſuper, quo & telonia imponendi facultas comprehenditur, per alienum territorium quæſitum eſt; ſecus ergo, ubi quis nudum conducendi jus in territorio alieno habet, utpote qui a vectoribus vel viatoribus præter ſecuritatis vectigal, das Geleit, nihil exigere valet; ſed tum jurisdictionem, tum vectigal, quod pro uſu viarum & pontium penditur, & vulgo

Zoll,

Zoll, Weg- und Brückengeld audit, relinquere tenetur, quia diverſa ſunt, proindeque ab uno ad alterum inferri nequit. videatur omnino Schilt, *Exercit. ad ff. 42. §. 50. ſeqq.* ubi etiam inter Marckzoll, & Brucken- und Weggeld diſtinguit, ita nimirum, ut iſti ſolæ res promercales; huic vero uſuales quorumcunque inſuper, obnoxiæ habeantur, in quam diſtinctionem & Lauterb. Compend. jur. p. 554. proclivis videtur; eaque obſervata, telonìorum immunitas fere nulla eſt, niſi quæ olim Aſſeſſoribus Regimenti per Ordinat. Regimenti de anno 1500 *tit.* Alle, ſo in des Reichs Regiment gehörig, ſollen allen Tax, Zöll und Ungelds frey ſeyn *21.* item per Ordinat. Regimenti de anno 1521. §. Item, ſollen Churfurſten *&c. 39.* & hodie Statuum Deputatis, qui ad conventus publicos univerſales vel particulares mittuntur, per Capitulat. Caroli VI. Imperatoris Aug. att. 8. §. Nachdem auch die Billigkeit erfordert; item Aſſeſſoribus aliisque ad Auguſtum judicium Camerale ſpectantibus, per Ordinat. Camer. de anno 1555. *part. 1. tit. 49. princ.* & R. I. de anno 1654. §. 141. data eſt.

§. 49. *ſeu hero*) privato ſcil. ſiquidem in ſtatu civili nulla res hero publico caret, eoque hic res quædam nullius dicuntur, non univerſorum ſeu reipubl. ſed privatorum vel ſingulorum duntaxat ratione inita. Unde nec his ulla res occupationis titulo cedere poteſt. Quicquid enim vel jurium vel rerum territorio alicujus populi continetur, & vel nunquam herum privatum habuit, vel habuit

 qui-

quidem, ſed habere deſiit, ad rempubl. ſpectat & jurium regalium nomine inſignitur. Quin etiam durante dominio privato, reipubl. ſupremum & eminens dominium in rebus ſingulorum competit, cujus vi bona hero privato quæ carere incipiunt illa ſibi vindicat, add. Animadv. *ad §. 15. ſeqq. cap. 9.*

2. *uſus variat*) jure Hebræorum ſane theſaurum pro parte ſeu acceſſione fundi haberi, Hugoni Grotio ex Chriſti parabola, quæ Matth. c. 13. *v. 44.* extat, probabile *videtur, l. 2. de jur. bell. & pac. c. 8. §. 7.* quod idem de jure Romano civili ſolidiſſimis argumentis probat Illuſtr. Domin. Thomaſ. *in ſcholio & nova addit. ad §. 29. tit. 1. l. 2. Prælect. Huber. ad Inſtit.* a quo utroque tamen lex naturalis diſcedit, ſecundum quam theſaurus, velut res hero privato vacans, pro cujusque reipubl. inſtituto, vel ad fiſcum, vel ad ærarium populi refertur.

3. *venationes, piſcationes, aucupia*) add. Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 2. §. 5. & c. 8. §. 5.* ubi quæritur (1.) venatione Nobili ſimpliciter conceſſa, minorne tantum, an major etiam intelligenda? quod affirmandum videtur, ſi id mos regionis ferat; ſecus, negandum puto, quia ſemper contra eum, qui ſermonem ambiguum ad ſuam utilitatem trahit, Interpretatio facienda; vid. Excell. Dom. Bohmeri *diſſert. de interpretat. facienda contra eum, qui clarius loqui debuiſſet*; (2.) an fera beſtia capta ab eo, qui jure venandi vel omnino vel ratione certi loci duntaxat, deſtituitur, capientis fiat? Etſi autem in Germania non ipſæ feræ

beſtiæ,

beſtiæ, ſed facultas venandi ſolum ad jura regia referatur, & proinde iſtæ & reipubl. & privatorum reſpectu res nullius ſint; non tamen ideo ejuſmodi fera capta capienti, qui venandi jure caret, cedit, ob defectum facultatis nimirum, qui actum ſubſecutum vitiat, ſecundum ea, quæ Hugo Grotius docet *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 5. §. 10.* Unde & talis occupatio ferarum pro nulla & invalida habenda eſt, ex qua proinde capienti nullum dominium acquiri poteſt; aliter atque jure Romano, quo quidem fundum alienum invito domino ingrediens injuriarum actione recte convenitur, ſed captum nihilominus acquirit, dum eo jure venandi facultas cuilibet conceſſa eſt. vid. *§. 12. Inſt. de rer. diviſ. & acquir. ipſarum dom.*

§. 50. *Sylvaticum*) qua parte dominium ſilvæ comprehenditur, quod publicum eſt, per Animadv. *1. ad §. 49. h. c.*

2. *nec ab uno ad alterum infertur*) unde, conceſſo ſilvæ feudo, jus venandi exceptum videtur; & contra. add. *§. 12. tit. 5. Hypomn. feudal.* & Mylet. *de Stat. imp. part. 2. c. 73. §. 4. & 5.*

3. *ſed ea domini territorii ſunt*) per §. 56. *h. c.* ubi tamen Animadv. addantur.

§. 51. *nec ad heredes*) ſed ſucceſſores tantum.

2. *niſi re judicata*) quam ſcil. ſententia condemnatoria præceſſit; ſecus enim, ubi pœna ipſo jure irrogatur, & ſententia declaratoria tantum ſubſequitur; tum enim ut pœna ab heredibus delinquentis exſolvenda eſt, etſi hic ante ſententiam

 dece-

deceſſerit; ita etiam heredibus domini jurisdictionis debetur, quando hic ante rem judicatam animam exhalat, dummodo delictum eo vivo perpetratum ſit. add. Schilt. *l. 1. Inſt. jur. canon. tit. 19. §. 6. not. lit. a.* & Andr. Gail. *l. 2. de pac. publ. c. 5.*

§. 52. *Statuum*) & Imperii quidem, ubi collectæ Imperiales; provinciæ autem, quando tributa provincialia indicenda; quæ conſenſus neceſſitas quantum ad prioris generis Status certa eſt, *§. 30. c. 20. & §. 2. c. 30* quoad poſterius genus autem cujusque provinciæ jura moresque inprimis attendi debent. Quicquid autem in quibusdam obtineat, in plerisque tamen provinciis Germaniæ Statuum provincialium & ſubditorum ea libertas adhuc ſupereſt, ut ſine horum conſenſu collectæ a territoriorum dominis indici nequeant, exceptis iis, quæ ad ſuſtentationem pacis publicæ, item Cameræ Imperialis & præſidiorum caſtellorumque in Statuum territoriis neceſſariæ ſunt, quibus ſe ſubditis vel Statibus provincialibus ſubtrahere nequaquam licet, per R. I. de anno 1555. §. Dieweil nun dieſe Hülffe *&c.* 82, item R. I. de anno 1654. §. Und gleichwie dieſes hochangelegene Werck *&c.* *180.* & Capitul. Carol. VI. Imperatoris Auguſti *artic. 15. & 19.* add. inprimis Illuſtr. Dom. Baro de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 4. §. 4.* Quod Statuum provincialium in imponendis collectis arbitrium ſine controverſia ad priſcæ libertatis popularis reliquias pertinet, ut ex §. *8. & 10. c. 7.* & *§. 13. ſeqq. c. 20.* colligitur; eoque mihi a vero longiſſime aberrare videntur, qui id Conradi I. ævo

demum

demum Ordinibus provincialibus a Ducibus Principibusque eo ſine conceſſum fingunt, quo hi, favore opeque iſtorum adjuti, poteſtatem ſuam propriam hereditariamque, nove uſurpatam, adverſus prædictum Conradum I. hujusque ſucceſſores facilius tuerentur; cum hæc Germaniæ ſubditorum libertas originem ſuam ad tempora multum antiquiora referat. add. Animadv. *ad §. ult. c. 7. it. ad §. 43. c. 15. & ad §. 13. c. 16.* Quemadmodum vero non eſt, quod Ordines provinciales equeſtris dignitatis ægre ferant, quando in Comitiis provincialibus magiſtratus municipales iſtis aſſociantur, poſtquam hi ex cauſis, ſupra Animadv. *1. ad §. 30. c. 15.* & Animadv. 2. *ad §. 32. b. c.* memoratis, ſeptimo clypeo militari ſeu Nobilitatis gradui adſcripti ſunt; ita an Status Imperii onera publica, ſubditis contributionem detrectantibus, ex domanio ferre teneantur, infra ad *§. 2. c. 30.* videbimus. Interim hic noto, jus collectarum regulariter jure territoriali non contineri.

2. *non poſſunt*) add. Capitul. noviſſ. *art. 8.* §. Wann auch einige, ſie ſeyen gleich unmittelbar oder mittelbar dem Reich unterworffen *&c.* & R. I. de anno 1596. §. Weiters ſind wir auch glaubhafft berichtet worden *&c. 118. & 119.*

§. 53. *dolata extraneis*) modo tamen ea ab his exportetur. Ubi enim extranei hereditatem ſibi delatam ipſi retinent poſſidentque, detractioois cenſui vix locus dabitur. vid. Beyer. *l. 1. Specim. jur. German. c. 20. §. 2.* ubi integram hanc mate-

 riam,

riam, quanquam ſummatim, præ aliis accurate expoſuit.

2. *immunes ſunt.*) Neque (3.) ſuperioritati territoriali, vel juriſdictioni criminali, aut civili, præciſe & ſemper cohæret; quanquam nemini, niſi qui juriſdictione, civili ſaltem, gaudet, facile debeatur.

3. *jure retorſionis*) quod & Ordinatione provinciali Saxo-Gothana *part. 2. c. 2. tit. 2.* approbatum.

4. *ex privilegio novi domicilii*) quale quid inter civitatem Noribergenſem & Coburgenſem obſervatur. Quanquam enim ambæ hæ civitates jure cenſus ejusmodi alioqui gaudent; eo tamen inter ſe abſtinent, quando vel civis Noribergenſis Coburgum, vel Coburgenſis Noribergam migrat.

§. 54. *niſi vel ſolitæ*) quales ſunt, quæ Principibus, ut aliis Dominis inferioribus, puta Comitibus, Baronibus, Nobilibus ex pacto emphyteuticario ſeu cenſitico vel expreſſo, nach den Erb- und Lehnbüchern oder Lehnbriefen, vel tacito, ſeu conſuetudine, ad privatam eorum utilitatem commoditatemve debentur, & vel determinatæ vel indeterminatæ ſunt, modo ab aſſerente probentur, quia facti ſunt, ex pacto expreſſo vel tacito quippe pendentes.

2. *vel ad publicas neceſſitates*) quæ ſuperioritate territoriali continentur, nec facile quis talium operarum immunitatem obtendere valet, dummodo, ut Noſter vult, non ad privatam Principis, ſed publi-

publicam & communem utilitatem neceſſitatem exigantur. Harum ergo & illarum operarum, de quibus Animadv. præced. *adh.* §. dictum, differentiæ potiores ſunt, quod (1.) operæ emphyteuticariæ ſeu cenſiticæ ex pacto expreſſo aut tacito; ceteræ e ſuperioritate territoriali pendeant; eoque (2.) illæ a dominis quibuscunque, ſive territorialibus, ſive inferioribus; hæ ab iſtis ſolum imponantur; (3.) quanquam illæ ſubditis Nobilium a territorii domino imperari nequeunt; his tamen iſti non minus, quam Principum ſubditi, obnoxii ſint; (4.) illæ vel determinatæ vel indeterminatæ; hæ vero indeterminatæ tantum ſint, toties ſcil. præſtandæ, quoties neceſſitas vel evidens utilitas publica exigit; (5.) illæ ad utilitatem cujusque domini privatam; hæ contra ad ſolam utilitatem publicam & communem imperentur; (6.) in illis facilius, quam in his, mandata ſine vel cum clauſula adverſus dominos decerni queant, vid. R. I. de anno 1594. §. So ſoll auch zum fünfften *&c. 79.* it. Concept. Ordinat. Camer. *part. 2. tit. 25. §. 3.* & Capitul. Caroli VI. Auguſti *art. 19.*

§. 55. *Capitul. Joſeph.*) add. Capitulatio noviſſima de anno 1711. *art. 29.*

§. 56 *quod non eſt jus morale*) ſed poſitivum & particulare Hebræorum, ut adverſus Hugonem Grotium *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 1. §. 17. n. 4.* Caſpar Ziegler. *in notis ibidem* demonſtrat, ideo nimirum ſancitum, quia in republica Judaica Levitis, utpote omnium aliorum bonorum & redituum expertibus, præter decimas, primitias & oblationes,

nes, nihil relictum erat, unde viverent. Quanquam autem eccleſiæ Chriſtianæ eæ inprimis, quæ placita Romana ſequuntur, abunde opibus polleant, neque adeo decimis ad Sacerdotum ſuſtentationem indigeant; nihilominus tamen Papa jure hoc divino particulari, ut alias, ita hac in parte etiam, in rem ſuam abuſus, decimas eccleſiis dudum aſſeruit, adeo quidem, ut in Concilio Lateranenſi Laici earum inpoſterum incapaces declararentur. vid. Deſſel. *l. 3. Erotem. jur. Canon. tit. 30. quæſt 8.* & Schilt. *l. 5. de libert. eccleſ. Germaniæ c. 6. §. 5. ſeqq.* add. Animadv. *ad §. 12. c. 8.* & Animadv. 1. *ad §. 10. h. c.*

2. *vel decimæ*) concedo, quæ inter decimatorem, ſive ſecularem ſive eccleſiaſticum, & territorii dominum hac de re controvertitur. Cum enim decimæ in terris repurgatæ religionis ad jus humanum referantur, decimatori plus, quam adhuc poſſeſſum, acquiſitum cenſeri nequit; at inter agrorum novalium poſſeſſores & territorii dominum ſi quæſtio agitatur, paululum ſubſiſto, quandoquidem omnia onera, quæ hic ſubditis ſuis imperat, aut ex pacto expreſſo vel tacito emphyteuticario ſeu cenſitico, aut ex territoriali poteſtate pendent. Quodſi ergo decimarum præſtationem ad prius fundamentum revoces, conſenſus ejus, qui loca inculta adhuc, & ad territorii dominum ſpectantia, ad culturam redigit, neceſſarius erit, nec territorii dominus ad decimas agrorum novalium, qui Nobilibus emphyteuticario ſeu cenſitico jure obnoxii ſunt, manus porrigere valebit; ubi

vero

vero hanc præſtationem ſuperioritati territoriali acceptam feras, absque Statuum provincialium conſenſu, velut onerum publicorum ſpecies, exigi nequit, præterquam ſi jus decimandi territorii domino per præſcriptionem vel conſuetudinem quæſitum ſit, quæ & Autoris noſtri ſententia eſſe videtur *h. §. ibi: ſi illa recepta in loco non ſint.* add. *§. 52. h. t. & Animadv. ibid.*

3. *canon*) jure territoriali ſcil. ubi talis canon generatim per diuturnum uſum receptus eſt; ſecus, jure emphyteuticario duntaxat, ubi agri novales de territorii domini locis antehac inculti decisi ſunt. Quodſi enim canon emphyteuticarius agris novalibus, qui de ſilvis Nobilium cultura ſubiguntur, imponendus, ille hactenus ad Nobiles illos potius, quam ad territorii dominum ſpectare videtur. add. Animadv. præced. *2. ad h. §.*

4. *Quod negatur*) de jure canonico Evangelicorum videlicet, de quo Animadv. *1. & 2. ad h. §.* Affirmatur autem jure canonico Pontificiorum, quo decimæ novales cuique parochiæ, in cujus finibus exſurgunt, tribuuntur. vid. Deſſel. *l. 3. Erotem. jur. Canon. tit. 30. quæſt. 10.* & Wehn. *Obſerv. Practic. voce: Noval* zehend.

§. 57. *quorundam ſolem privilegia ſunt*) eoque ſolo jure territoriali exerceri nequeunt.

2. *jus explorandi*) quod tamen Beyer *l. 1. Spec. jur. German. c. 18. §. 5.* nudo vectigalium juri adhærere contendit, etſi territorii dominus privilegio ſtapulæ prorſus deſtituatur.

3. *Con-*

3. *Conſiſtit regulariter*) ſed & hoc negat idem Beyer. *c. l.* §. *8. 9. 10. & 11.*

4. *ſed latius*) diſſentit, ut Animadv. *2. ad h.* §. dictum, Beyer, qui jus Geranii ad explorationem mercium exoticarum prætervectarum reſtringit, & prætereaid privilegio vectigalium generali regulariter annexum eſſe aſſerit. Quodſi ergo jus Geranii cum noſtro ad explorationem mercium a ſubditis invectarum protendas, tanquam Politiæ pars jure territoriali abſque privilegio a Statibus quibuscunque exerceri poterit, per §. *21. h. c.*

5. *jus Gruis ſeu Grutiæ*) quod tamen, tanquam juris fluminum acceſſio, quibuslibet Statibus jure territoriali competit, etſi privilegio careant, per §. *38. 39 40. & 41. h. c.*

6. *jus Albergarii*) quo etiam jus metatorum Palatinorum, die Einquartirung der Fürſtlichen Hoff-Bedienten, comprehenditur, quorum neutrum ex Autoris noſtri ſententia domino competit, niſi ſpeciatim quæſitum.

7. *Aperturæ*) quæ domino debetur vel ſubjectionis jure, & proinde ſuperioritate territoriali continetur; vel feudi. vid. Noſter *in Hypomnem. feudal. tit. 3.* §. *50.* & infra §. *12 c. 26.*

8. Fräulein-Steuer) quæ adeo tanquam jus ſingulare non debetur, niſi vel præſcriptione ſeu conſuetudine alicubi ſpeciatim inducta ſit; vel cum Statuum provincialium conſenſu ſaltem imponatur; quia in caſibus non exceptis regulæ inhærendum; at Statibus per ſanctionem Imperii gene-

generalem die Fräulein-Steuer conceſſam eſſe, nusquam legimus. repetatur §. *52. b. c.* & ibi annot. & add. §. *1. c. 28.*

9. *Legations*-Koſten) Scilicet legati mittuntur vel ab univerſo Imperio, & tum communibus Statuum ſumtibus legatio expedienda eſt; neque tamen in allegato I. R. eos Statibus a ſubditis ſuis cogendi jus eſſe, dicitur; vel a ſingulis Statibus, quo in caſu ſumtus regulariter ex domanio erogari debent, niſi alterutri earum exceptionum, quæ ſupra §. *52. b. c.* habentur, locus detur.

§. 58 *ſive officii jure*) perpetuò & proprio ſcil. etſi ſubordinato, quale eſt jurisdictio Municipiis & Nobilibus mediatis, qui prædia allodialia ſeu propria poſſident, eamque per privilegium ſeu conceſſionem ſuperioris conſequuntur, conceſſâ; nequaquam vero jurisdictio adminiſtratoria ſeu perſonalis, quippe quæ ad regalia referri nequit, per Animadv. *1. ad* §. *13. c. 21.* Sed quo jure Nobiles mediati jurisdictionem ſubordinatam prædiis allodialibus innexam tenent, Superioris conceſſione ſpeciali deſtituti? reſpondeo, vel ex conceſſione generali & tacita, vel, quod magis videtur, priſcæ libertatis popularis jure. Quare nec titulum poſſeſſionis edere, nec præſcriptionem immemorialem docere tenentur, dum vel diuturna poſſeſſio a priſca libertate populari originem ducens, vel conceſſio generalis & tacita, ſatis tituli eſt: niſi ſe in præſcriptione fundent; tum enim hujus probationem ſubterfugere nequeunt, quia præſcriptio eſt modus acquirendi rem alienam; eoque Nobi-

Nobilis iſtam, in jurisdictiooe, vel alio quocunque jure regio ſeculari ſeu profano aſſerendo, ſibi vel feudi vel privilegii jure ſpeciatim non conceſſo, adverſus territorii dominum allegans, id aliquando hujus fuiſſe, tacite fatetur, parum caute ſcil. propterea, quod territorii dominus facile obtendere valet, præſcriptionem allegatam miniſterii ſui negligentia vel dolo impletam, proindeque ſibi innoxiam eſſe, per *l. 28. ff. de verbor. ſignificat.* & *l. ult. Cod. de acquir. & retin. poſſeſſ.* qua ſive exceptione ſive replicatione præſcriptio vel prorſus eluditur, vel ſaltem difficilis redditur. Unde in rebus hujusmodi præſcriptionis titulum omittere ſatius eſt.

§. 59 *recipere*) quæ cauſa eſt, quara Nobiles mediati Præfectos ſuos jurisdictionis Regimini aulico ad exameo & confirmationem ſiſtere detrectent.

2. *ſtatuta de proceſſu facere*) quod tamen poteſtatis legislatoriæ territorialis indubia pars eſt, proindeque Nobilibus vel Municipiis mediatis vi jurisdictionis cooperere nequit, niſi eis hoc ſpeciatim conceſſum ſit, ſecundum §. *praced. 58. h. c.*

3. *utivi armata*) ad exequeodas ſententias & decreta adverſus contumaces; ſiquidem jurisdictio ſine modica coercitione vel exequendi facultate nulla eſt, per *l. ult. ff. de offic. ejus, cui mandata eſt jurisd.* add. Hugo Grot. *l. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. §. 4. n. 3.*

4. *non ſunt vere jura regalia*) concedo da jurisdictiooe adminiſtratoria & perſonali; nego vero

vero, imo pernego, quoad juriſdictionem patrimonialem & propriam, utpote quæ cum ſuis acceſſionibus, hoc loco enumeratis, omnino ad regalia pertinet. vid. Animadv. *1. ad §. 13. c. 21.*

5. *Quo non obſervato)* ſed & , diſtinctione juriſdictionis propriæ & alienæ, Animadv. *præced. 4.* repetitæ, non obſervata, confuſionem naſci neceſſe eſt.

6. *olim venandi)* quod verum de jure Romano, falſum autem de jure Germanico, quo venatio quibuslibet privatis nusquam permiſſa eſt.

7. *armis defendendi jus eſt)* quod Noſter largior, ubi offenſio injuſta præcedit, & judex absque certiſſimo periculo adiri nequit ; tum enim defenſio, tali offenſioni oppoſita, ad jus privatum ſpectat ; nego vero , quantum ad executionem conceſſæ juriſdictionis ſubordinatæ, & propriæ quidem, quippe quæ offenſionis juſtæ magis, quam nudæ defenſionis , ſpeciem habet , proindeque ad jura publica referenda videtur.

§. 60. Jagdfrohnen, Forſthaber) quas præſtationes uti juri Foreſtali innexas eſſe perperam hoc loco ſtatuit Noſter ; ita nec Mylero ab Ehrenbach adſtipulor, qui eas juri territoriali cohærere aſſerit, *de Statibus Imperii part. 2. c. 73. §. 14.* quia hoc jure nullæ operæ debentur, niſi quæ ad neceſſitatem vel evidentem utilitatem publicam indicuntur, quod de dictis præſtationibus venatoriis vix dici poterit ; &, admiſſa hac Myleri ſententia, ſequeretur, ab operis venatoriis neminem immunem eſſe, per §. 54. & *Animadv. ibid.* quod tamen

certiſſimo uſui repugnat, quo præſtationes hujusmodi iis ſolum injungi ſolent, qui ad eas ex pacto emphyteuticario expreſſo vel tacito ſeu conſuetudine tenentur.

2. *conſtituere* Förſter und Jägermeiſter) quod admitto, argumento eorum, quæ ſupra §. *59. h. c.* de receptione & remotione miniſtrorum juriſdictionis habeotur, & rationi naturali conveniunt.

3. Wald-Forſt-Ordnungen) Sed has ordinationes condendi facultas, mea quidem ſententia, rectius ad legiſlatoriam poteſtatem territorialem refertur, a qua tom jus ſilvaticum ſeu dominium ſilvæ, tum banoum ferinum diſtinctum eſt. Quodſi enim jus ordinationes foreſtales faciendi nudo juri foreſtali adſcripſeris, idem Nobili mediato etiam, qui dominio ſilvæ cum banno ferino gaudet, concedas neceſſe eſt.

4. Waldrugen) unde multis in locis jurisdictio foreſtalis a reliquis jurisdictionis ſpeciebus ſecernitur, iſtaque ſoli territorii domino tribuitur.

Ad Cap. XXIV.

De Juribus Reſervatis.

§. 1.

Die Keyſerl. hohe *reſervaten*) ſed vid. Animadv. *3. ad § 5. c. 21.* ubi dictum, Imperatori regulariter omnia jura Majeſtatis competere, eoque Statuum ſingulorum ſubordinatum territoriale

le imperium, ac horum univerſorum in adminiſtratione præcipuarum ſummi imperii partium in Comitiis ſuffragandi jus tum per morem reipubl. Germanicæ inveteratum, tum per Capitulationes Cæſareas reſervatum accommodatius dici.

§. 3. *ut cauſæ civiles contentioſæ* quæ tamen a Statibus remiſſæ propterea dici nequeunt, quia earum arbitrium penes hos nunquam, ſed ſemper penes Regem fuit, quanquam Status aliquando ex libera hujus voluntate in conſilium adhibitos eſſe negari nequit, ſiquidem, jurisdictionem non Conſiliariorum, ſed Principis propriam eſſe, omnes cordati fatentur. vid. Animadv. *ad* §. *29. c. 20.*

2. *nomine totius Imperii*) quin ſolius Imperatoris, cujus nomine omnia mandata, tum Cameralia tum Aulica, expediuntur, ut in vulgus notum eſt. Ceterum de quæſtione *: an Status univerſi jurisdictionis Cameralis a Maximiliano I. avo participes facti?* videbimus infra ad §. *2. c.32* de jurisdictione aulica enim quæſtio otioſa eſt, cum ea ſine controverſia ſoli Imperatori competat.

§. 4. *maximi omnium momenti*) ſed & res magni momenti eſt, uni Statuum integrum Principatum, Comitatum &c. quantumcunque ex cauſa civili per ſententiam abdicere & alteri contra addicere, quod tamen nihilominus ſolius Cæſaris arbitrio etiamnum relictum eſt, per Ordinat. Camer. *part. 2. tit. 7.* & add. Animadv. *1. ad* §. *15. cap. 23.*

2. *contra formam Regni*) ſed vid. Animadv. jam allegatam; ubi tamen ſententiam Au-

toris nunc quidem recte ſe habere conceſſimus.

§. 5. *extraneis quoque*) per *§. 19. c. 23.*

2. *bannum Imperii*) quo qui percutitur, non juris civilis communis Imperii ſolum, ſed naturalis inſuper, dum a quolibet impune offenditor, expers fit. Ex quo apparet, quam inepte vulgo dicatur, bannum Imperii in locum deportationis in inſulam Romanæ ſurrogatum eſſe, cum iſtud in Germania diu ante juris Romani receptionem in uſu fuerit, prætereaque hac ſola juris civilis participatio adimatur, ſalva juris naturalis communione. Ceterum a banno Imperii bannum provinciale differt, quod a ſolis Statibus contra aufugientes criminum atrocium reos, inſtituto banni proceſſu, potiſſimum decernitur, & vires ſuas intra territorium jus dicentis duntaxat exſerit, nec adeo juris naturalis vel civilis Imperii extra id, ſed provincialis ſolum communione proſcriptum privat. Unde hic extra provinciam proſcribentis de bonis alibi ſitis teſtamentum valide condit, aliaque omnia agere valet, quæ Jure communi Imperii permittuntur. vid. Ordinat. Cameral. *part. 2. tit. 9. §. 2.* Ordinat. Proceſſ. Saxo-Gothana *part. 3. c. 10.* item Carpzov. *Inquiſitions-* und Achts-Proceß. *& part. 3. Prax. Crimin. quaſt. 140.* Schilt. *Exerc. ad ff. 3. §. 9. & 10. & Exercit. ad ff. 38. §. 20 ſeqq.* Beyer. *Poſit. ad ff. tit. de interd. relegat. ineunte & not. lit. m. & poſit. 17. ſeqq. ad art. 151. - 156. Ordinat. Crimin.*

3. *contrarium ſtatutum eſt*) ita nimirum, ut bona feudalia & allodialia immediata Imperio, medi-

mediata autem, & feudalia quidem, feudi, allodialia autem fiſci domino cedant. add. Capitulario noviſſ. *art. 21.*

§. 6. ut in §. 5.) *num. 2. ſcil.* ſiquidem ad ea, quæ *num. 1. ejuſdem* §. continentur, Statuum conſenſus neceſſarius haud eſt, excepto tamen banno, quod adeo num. 2. *cit. §. 5.* comprehendi debebat.

§. 8. uti in jure legitimandi & cetera) quæ traduntur §. *8. & 9. c. 23.* ubi add. Animadverſ. *2. c. 23. §. 8.*) & *13.* ubi tamen Animadv. addantur.

AD CAP. XXV.
De Nobilibus immediatis.

§. 1.

HActenus Regentes) Imperator ſcil. & Status univerſi, qua nimirum in corpore & complexu hi ſpectantur; de quibus a cap. *8.* ad præſens usque actum eſt.

2. *Nunc parentium*) quorum numero ipſos Imperii Status etiam hoc loco rectiſſime accenſet Noſter. Quanquam enim hi, ut univerſi, in regendo Imperio, quantum ad partes ſecum communicatas, concurrunt; eos tamen, ut ſingulos, parere, certiſſimum eſt, per *§. 3. c. 21.* & Animadv. *ad §. 2. c. 7. it. ad §. 8. c. 8.* ut proinde inter Principes & Dominos hactenus nulla ſtatuenda ſit differentia, quam tamen admittit Noſter *§. 5. 6. & 13. num. 6. it. §. 6, c. 21, & alibi paſſim.*

 3. *nun-*

3. *nunquam fuiſſe*) ſed contrarium adſtruximus nos *ad cit* §. *14. c. 19.* in Animadverſ.

§ 3 *cap. 15. §. 21.*) hic deleatur §. 21. & loco ejus ponatur §. *30 31. & 32.*

§. 4. *quæ & ipſa immediata eſt*) concedo; quatenus jus fiſci & juriſdictionis, quod ante interregnum, ut in aliis omnibus provinciis, ita in Weſtphalia etiam, ex parte Regibus competiit, ſpectatur; nego autem, ubi de legislationis & magiſtratuum Weſtphaliæ jure quæritur, quod ejus proprium fuit, a Regno tamen dependens; proindeque, hujus ratione inita, Weſtphalia, quinimo omnes aliæ provinciæ Germanicæ, mediata terra eſt; quemadmodum & quæcunque aliæ provinciæ, qua prædictum antiquum jus regium conſideratur, immediatæ dici poſſunt. add. Animad. ad §. *1. 2. 3. 4. 5. 6. 12. & 13. c. 9.* Ceterum Autori provincias Germaniæ in mediatas & immediatas diſpeſcenti, quantum ad ſtatum modernum, refragari nolo.

2. *mediata terra fuit*) quod quatenus admittendum, ex Animadv. præced. *1. ad h.* §. patet.

3. *exempta eſt*) ſed hanc exemtionem & mutationem veteris Weſtphaliæ ſtatus ſub Carolo Magno impugnavimus ſupra Animadv. *ad §. 12. & 13. c. 9.*

4. *loco libertatis popularis*) §. *36. c. 3.* deſcriptæ, quam tamen Weſtphalos cum ceteris Saxonibus illico pace cum Carolo Magno inita amiſiſſe, & ſupremo Francorum imperio obnoxios factos eſſe, adnotavi ſupra *ad 37. 38. & 39. d. c. 3. it. ad §. 12. &*

12. & 13. c. 9. quanquam libertatem popularem, qua hæc cum regio & ariſtocratico ſtatu conjungitur ſupra §. *8. ſeqq. c. 7.* Saxonibus ſervatam eſſe nequaquam diffiteor.

5. *Comites & Magiſtratus Regii*) niſi vero demonſtretur, hos non perpetuos & propria poteſtate, ſubordinata videlicet, inſtructos, ſed nudos & temporarios ſolum adminiſtros regios fuiſſe, inde, Weſtphaliam ex terra mediata immediatam factam eſſe, ut Noſter quidem contendit, evinci nequit.

6. *non fiebat*) quod concedo; ſed Weſtphaliam, Franciam, Sueviam, & terram Rhenenſem, ſeu Lotharingiam, unquam deterioris conditionis fuiſſe, nusquam reperio.

7. *in eodem ſuo ſtatu mediato*) verumenimvero graviter obſtat, quod dixit Noſter ſupra §. *12. c. 20.* eos, qui in terris immediatis, (qualis ex ſententia ejus Weſtphalia aliquamdiu poſt pacem inter Carolum Magnum & Saxones, ſopito penitus bello, initam, tacite & ipſo facto effecta eſt,) non parent Principibus, non deſinere eſſe immediatos, etſi Comitibus, judicibus &c. pareant; & §. *13. ibid.* olim mediatos etiam Comitiis interfuiſſe; item §. *14. 16. & 17. c. 15.* Comites Palatinos in integris provinciis mediatis non minus, quam immediatis, juriſdictionem resque fiſcales regias curaſſe; item §. *13. extr. c. 9.* Prælatos, Comites & civitates Weſtphaliæ etiamnum immediatos eſſe; inde enim, hujus Nobiles etiam ſub Carolo Magno, & porro, in ſtatu immediato perſtitiſſe, juſta ratione inferas;

præſertim cum horum & illorum diverſæ conditionis modernæ cauſa a Noſtro nusquam afferatur. Quare veroſimilius crediderim, Weſtphaliæ Nobiles, poſt Henrici Leonis proſcriptionem, vel imbecillitatis ſuæ conſcientia, jure manuario adhucdum graſſante, vel ſauctitatis autoritatisque ſingularis Sacerdotum, quibus nunc ſubſunt, opinione & fiducia, ſua ſponte, vel horum ſive artibus ſive vi adactos, jugum mediatum ſubiiſſe; quoad mihi cauſa verior non oſtenditur.

§. 5. *a vero abeſt)* quod verum puto, per Animadv. *ad* §. *6. c. 9.*

2. in terra Rhenenſi mediati) quæ tamen dubitandi ratio parum valida videtur. Cum enim terra Rhenenſis in varios dominos, eoque Nobilibus ejus ſubigendis impares, divulſa dicatur ſupra §. *96. extr. c. 3.* prætareaque Palatinus Franciæ Comitatus ſeculo duodecimo demum emergere coeperit, *per* §. *98. & Animadv. ibid.* hicque inſuper ex variis ibidem dominiis pedetentim conflatus ſit, ut habet Lehmann. *l. 4. Chron. Spirenſ. c. 7.* nemo, qui e propinquo libertatem Nobilium Rhenenſium infringeret, ſuperfuit.

§. 9. *paribus ſuffragiis)* h. e. Nobilibus Alſaticis cum uno Circulo a reliquis duobus Circulis concordibus diſſentientibus, ubi illorum ſuffragium inane eſt; efficax autem tum demum, ſi uno Circulo diſſentiente, Alſatici Nobiles ceteris duobus Circulis conſentientibus accedant; quanquam ne hoc quidem caſu, uti jam dictum, diſſenſus iſtorum ullas vires habet.

§. 10.

§. 10. *uſu acceſſere*) quemadmodum & ipſis Imperii Statibus poteſtatis territorialis plenitudo, per *§. 43. c. 15. it. §. 11. c. 17. & §. 10. c. 21.* qui uſus tamen tum expreſſo tum tacito Imperii conſenſu dudum firmatus eſt, per ſe ad acquirendum res jurave Imperii alioqui invalidus, ſecundum Animadv. *5. ad §. 12.* & Animadv. *3. ad §. 15. c. 21.*

2. *ut jus monetæ cudendæ; vectigalium*) Enimvero hæc jura nequidem ſuperioritate Statuum territoriali comprehenduntur, per *§. 23. & 44. c. 23.* eoque ab hiſce Nobiles immediati hactenus nequaquam differunt.

3. *plurimaque alia*) ob rem anguſtam ſingulorum magis, quam ob juris defectum, add. Animadv. *ad §. 14. c. 21.*

4. *ut habeant bona immediata*) ſed ſufficit, eos dictis tribus Circulis comprehendi, etſi bona ſua a Principibus, quibus olim, jure manuario valente, ea conditione oblata ſunt, feudi jure recognoſcant & accipiant, dum hoc pacto vaſalli tantum mediati efficiuntur, ſalva ceterum libertate ſua & immediata ſubjectione, qua Imperio obſtringuntur, per *§. 41. c. 15.* cui add. Animadv. *2. ad §. 35. c. 15.* & Animadv. *3. ad §. 2. c. 19.*

§. 13 *circulorum*) imo non Circulorum, ſed diſtrictuum, Orthe, ſecundum *§. 6. h. c.*

§. 14. *etſi hi ſint Status Imperii*) ex quibus verbis facili Minerva colligitur, Noſtrum in eorum ſententiam inclinare, qui ſtatuunt, univerſos diſtinctus vel circulos immediatæ Nobilitatis civitatibus liberis nunc quidem, amiſſo iſtorum Comi-

tiali ſuffragandi jure, poſtponendos eſſe, etſi his aliquando, cum nimirum Statibus Imperii adhuc aſſociarentur, per Animadv. *ad §. 14. c. 19.* prælati ſunt, uti ex locis cit. loc. allegatis apparet. Ceterum, ſingulos Nobiles immediatos ſingulos cives liberarum Imperii civitatum præcedere, facilius affirmatur.

AD CAP. XXVI.

De Juribus Illuſtrium ex pactis.

§. 2.

JUre privatorum utuntur) add. *§. 2. c. 29.* & ibi Animadv.

2. *jure communi*) Romano videlicet. Nam jure naturali, ut & Germanico communi, pacta ejusmodi ſucceſſoria permiſſa ſunt quibuslibet, eoque perſonarum illuſtrium propria dici nequeunt, ut probat Schilt. *Exercit. ad ff. 8. §. 36. ſeqq.* cui jungantur Struv. *Exerc. ad ff. 38. th. 46. ſeqq.* Beyer. *ad Inſtit. de teſtam. ordinand. poſit. 12. 13. 14. 15. & 16.* in Stryck. *Uſ. Mod. ad ff. de pact. §. 18. & de Succeſſ. ab inteſt. diſſert. 8.*

3. *ſed uſu*) cum enim pacta ſucceſſoria in Germania diu ante valuerint, quam jus Romanorum teſtamentarium invaleſceret; hoc poſtea, in ſubſidium & ſupplementum duntaxat, recepto, illa abrogata dici nequeunt. Stryck. *diſcurſ. prælimin. ad uſum modern. §. 27.*

4. &

4. *& Nobiles immediatos*) quin inter quoscunque alios, ut conjuges &c.

5. *etſi ultimo poſſeſſori nihil relictum ſit, de quo teſtetur*) quia hac parte jus patrium antiquius obtinet, eoque juris Romani ſanctioni, pacta ſucceſſoria prohibenti, hactenus locus dari nequit. Et quanquam jure Romano teſtandi facultas per conventionem directe impediri vetatur ; vid. Compend. jur. Lauterbach. *p. m. 485.* conventio tamen, quinimo quivis alius actus, quo ea facultas per conſequentiam adimitur, nihilominus eodem hoc jure validus habetur, ut profeſſio monaſtica, Lauterb. *ibid.* venditio, item donatio omnium bonorum præſentium & futurorum, arrogatio, prodigalitas, &c. Idem Lauterb. *p. m. 558.* add. Huber. *Prælect. ad ff. de Donation.* §. 3.

6. *licet id fieri ſoleat*) quo ſcil. diſceptationi : *an in Germania per conventionem facultas teſtandi directe auferri poſſit ?* anſa præſcindatur, eoque confraternitatis pactum ſine controverſia valere poſſit. Cui diſceptationi quamvis moribus Germanorum per Animadv. præced. locus nequaquam dari debeat, Mylerus tamen, hujus juris patrii immemor, etiamnum in Germania neceſſarium putat, ut ultimo confratri morienti certa portio in confraternitatis pacto aſſignetur, de qua teſtari valeat, *c. l.*

§. 3. *conſenſus ſubditorum*) quorum etſi conſilium, conſenſum tamen nequaquam neceſſarium eſſe puto, propterea, quod Status Imperii territoria ſua ab Imperio feudi jure tenent, quæ ut per pactum

pactum quodcunque, ita & hujus eam ſpeciem etiam, quæ confraternitas dicitur, ex Imperatoris, velut directi ſupremique Domini, voluntate, in alios transferri queunt, nulla conſenſus vel diſſenſus ſubditorum ratione habita.

2 *confirmatio Imperatoris*) quæ tamen ſola an hodie ſufficiat merito dubites, poſtquam Imperatori facultas expectativam dandi inpoſterum adempta eſt; vid. Capitul. noviſſ. de anno 1711. *art.* 11. quandoquidem per confraternitates pariter ac per expectativas dominii utilis & directi conſolidatio impeditur, & proinde utrobique par ratio militat. add. *§. 4. num. 1.*

3 *ſimultanee præſtatur*) a ſubditis nimirum, in eum eventum, ubi familia domini ſui, qui alteri confraternitatis pacto obſtringitur, defecerit; quemadmodum confraternitate Saxonica & Haſſiaca cautum. Unde & hoc juramentum ſimultaneum ſubditorum Saxonicorum homagii inſertum legitur in Ordinat. provinc. Saxo-Gothana *part. 2. c. 2. tit. 1. p. m. 122.* add. Myler. *c. l.* §. *21.*

§. 4. *in heredes paciſcentis*) ad id quod intereſt; nequaquam vero in confratris ſucceſſores ad rem tradendam; neque etiam in Imperatoris confirmantis ſucceſſores, quippe qui deceſſorum geſtis non tenentur, niſi qua hæc ad utilitatem publicam vergunt, per Animadv. *ad* §. *29. c. 8.* item Animadv. *1. ad* §. *1. c. 17.* & Animadv. *3. ad* §. *2. c. 21.* quin nec in heredes ejus, dum ſuperioris cujuscunque confirmatio ſemper clauſulam ſive expreſſam ſive tacitam ſaltem: *ſalvo jure cujusque*,

in

in ſe continet, eoque nec confirmans, nec ejus heredes, ad rei, vel ejus, quod intereſt, præſtationem, inde obſtricti cenſeri queunt. Unde confratribus per Capitulationes caveri ſolet, ut Caroli VI. Imperarotis Auguſti, *art. 1.*

2. *in heredes paciſcentis*) qua de re vide omnino Hypomn. feudal. *tit. 6. §. 14. 15. 16. 17. & 18.*

3. *inſtar fideicommiſſi*) quod vix admittendum videtur, cum fideicommiſſum vel codicillo vel teſtamento; confraternitas autem pacto & ſuperioris confirmatione conſtituatur, unde paciſcentes nihil, niſi actionem perſonalem, ad rem vel æſtimationem, contra heredes conſequuntur, neque adeo huc dominii, vel tacitæ hypothecæ, jus, legatariis & fideicommiſſariis particularibus jure civili ſpeciatim indultum, trahi poteſt. vid. *l. 14. 15. & 16. ff. de legib.* & *§. 6. Inſt. de jur. nat. gent. & civil.*

4. *vel ex ſimultanea inveſtitura*) qua confratribus jus reale, non feudi ſeu utilis dominii, ſed ex eventu in illud ſuccedendi, acquiritur; ita ut in ejus præjudicium nihil interim fieri poſſit, actione revocatoria cum ex retractu, tum ex ſucceſſione confratribus competente, ſicubi quid contra confraternitatis pactum alienatum fuerit. vid. Hypomn. feud. *d. tit. 6. §. 17. n. 3. & tit. 7. §. 3.* quod ſi ergo pacto confraternitatis neque hypotheca expreſſa, neque ſimultanea inveſtitura acceſſerit, confratres jure reali & actionibus inde deſcendentibus carere neceſſe eſt.

5. *ipſo jure nullum eſt*) quod etſi concedendum,

dum, ubi confraternitatis pacto hypothecæ clauſula expreſſe addita eſt, vel confratres ſimultanea inveſtitura ſibi cavent; aliud tamen dicendum videtur, quando confraternitas intra nudos pacti terminos ſubſiſtit. Quemadmodum enim hoc in caſu confratribus nullum jus reale acquiritur; ita nec actio realis, qua alienatum revocari queat, iis competere poteſt, per *l. 3. ff. de obligat. & action.* & *l. 20. Cod. de pactis.* Nec eſt, quod quis frontem contrahat, ubi in cauſis illuſtrium Imperii ſubditorum jus civile allegatur, ſi recogitet ea, quæ infra *ad §. 2 & 3. c. 29.* annotantur.

§. 7. *uſu quæſitum*) add. Capitulat. noviſſ. de anno 1711. *art. 27.*

2. *tueri non poſſit*) concedo, ubi ſubditus mediatus nequidem ab Imperio, bello inteſtino vel rebellione fervente, defendi poteſt; ſecus, nego, per d. art. 27. *Capitul. noviſſ. ibi:* alſo männiglich forthin in unſern und des Heil. Römiſchen Reichs alleinigen Schutz und Verthätigung gelaſſen, &c. Quodſi ergo dominus ſubditis mediatis tuendis impar eſt, defenſio ab Imperio peti & expectari debet, quo prætermiſſo, protectio alteri cuiptam delata illicita erit. add. *§. 15. num. 6. h. c.*

3. *vim pareat*) quin nec hoc caſu protectionem aliunde, quam ab Imperio, quærendam cenſeo, a quo & mandata inhibitoria & protectoria tum generalia tum ſpecialia, item ſalvos conductus, afflictis ſubditis mediatis adverſus dominum ſuum ordinarium impetrare licet.

§. 8. *niſi*

§. 8. *niſi conſenſu Ordinum*) quia protectionis & clientelæ nexus fœderis inæqualis ſpecies eſt; fœdera autem ratione Imperii a Rege cum aſſenſu Ordinum pangi debent, ſecundum §. *2. art. 8.* Pac. Oſnabr.

§. 9. *jus armorum*) quod tamen unice ex clientis perſona æſtimandum eſſe reor; cui ſi cum extraneo res ſit, armis cum ad offendendum, ubi ea aliter expediri nequit, tum ad defendendum uti licet, eoque idem Patrono etiam pro cliente licebit. Quodſi vero clientem inter & alium Imperii ſubditum res agatur, & Imperatoris, velut ſupremi judicis, copia haberi queat, vis armata ad offendendum uti clienti, ita Patrono non minus, penitus interdicta eſt, ad defendendum quippe, ubi opus eſt, tantum permiſſa. Quod enim quis ipſe facere nequit, id nec alteri, nomine ejus, permiſſum cenſeri poteſt; quemadmodum ex diverſo id, quod cuiquam licet, per alium etiam licite expeditur. add. §. *29. & 32. c. 23.* & ibi Animadverſ.

§. 12. Schirm giebt keine Obrigkeit) præterquam eccleſiarum Advocatis, quibus, quod Prælatis jurisdictio in ſubditos earum, velut negotium profanum & a munere ſacro alienum, interdicta eſſet, per tit. X. *ne clerici vel monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant*; juris dicundi poteſtas cum adminiſtratione & defenſione eccleſiarum neceſſario dabatur; prout ad §. *11. c. 18.* adnotavimus. Quod quidem ita obtinuit, quoad apud ſacerdotes pudor valuit; quo poſthac penitus decocto, plerique eorum juris dicundi & ſui armis defen-

defendendi munus, exterminatis Advocatis ſuis, ad ſe traxerunt.

§. 15. *Nec capitali inimicitia)* quod tum verum exiſtimo, ubi utrique, & Patrono & clienti, protectionis & clientelæ nexum, nulla inimicitiæ capitalis ratione habita, continuare placet; ſi autem alteruter ob ſubortas inimicitias ejusmodi inde diſcedere velit, id ei liberum eſſe puto, quia protectio in ſingulari utriusque cum Patroni tum clientis amicitia & fiducia fundatur, quæ cum inimicitia capitali conſiſtere nequit.

§. 16. *ſed uſu receptior)* qui tamen facti magis, quam juris eſt, quia (1.) protectio in onere magis quam commodo conſiſtit, proindeque patrono, nexus clientelaris continuationem adverſus clientem urgenti, exceptio: *tua non intereſt*, quemcunque agentem repellens, opponi poterit; quemadmodum ex hac cauſa deponenti etiam rem depoſitam ante finitum tempus invito depoſitario revocare licet; (2.) defenſio invito clienti regulariter obtrudi nequit, ſecundum *§. 14. h. c.* cum ei quilibet, eoque cliens etiam, renunciare valeat; (3.) turpe eſt Patrono, clientem ad ſubjectionis conditionem detrudere, ſicuti tutori, ex tutela lucrum capere. Quemadmodum ergo hic tutelam, lucri ſui obtentu, dimittere nolens nequaquam audiendus eſt; ita nec Protector, qui clienti futuræ ſubjectionis, quam is forte meditatur, commodum opponere audet; niſi præter protectionem jurisdictionem etiam vel aliud inſigne commodum jam quæſitum habeat.

§. 17.

§. 17. *Ganerbinatus eſt conventio)* ubi inprimis notandum, duplex Ganerbiorum genus eſſe, unum, de quo hoc loco agitur, & ad vetus Germanorum manuarium jus originem refert, eoque poſt ſtabilitam pacem publicam paulatim in deſuetudinem abiit; alterum, quod etiamnum, in Franconia aliisque terris immediatis inprimis, in frequenti uſu eſt, ubi plures Domini in uno eodemque loco ſubditos quisque ſuos ſibi ſeorſum obnoxios habent; res horum communes autem communiter moderantur; ceterum neque bonorum ſocietatem vel mutuam ſucceſſionem colentes, neque mutuæ defenſionis fœdere juncti, neque commune caſtrum habentes; qui adeo cum prioris generis Ganerbiis vulgo perperam confunduntur. vid. Rittershuſ. *l. 1. Partit. jur. feud. c. 17.* Stryck. *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſert. 8. c. 8.* Beyeri Volckmann. emendat. *part. 1. tit. 3. c. 21.* Ejusd. Specim. jur. German. *l. 1. c. 21. §. 3. & 11. it. l. 2. c. 11. §. 52. & 53.*

§. 18. Burggrafen) qui alicubi Burgvogt dicitur.

2. Burgfried) quo nomine ipſa Ganerbiorum conventio, ſupra *§. 17. h. c.* deſcripta, inſignitur. add. *§. 31. c. 23.*

§. 19. *jus retractus)* ex ſocietate bonorum ſcilicet. Lauterb. *compend. jur. tit. Communi divid. extrem. p. m. 153.* Struv. *Exercit. ad ff. 15. th. 24. & Exercit. ad ff. 23. th. 55.*

§. 21. *etſi mediata)* quod concedo, ſi domini territorialis conſenſus, ſeu expreſſus ſeu tacitus, ac-

 cedat;

cedat; ſecus, ſubſiſto, propterea, quod civitates, omneſque alii ſubditi mediati, & fœderum, & protectionis alienæ recipiendæ jure regulariter carent. vid. *§. 33. c. 23.* & *§. 7. c. 25.*

AD CAP. XXVII.

De Juribus maſculorum illuſtrium; ubi de ſucceſſione, primogenitura & apanagio.

§. 1.

A*Ut fœminis*) de quibus cap. ſeq. *28.*

2. vel utrisque communia) quæ *c. 29.* exponuntur.

§. 2. modo ſint habiles) inhabiles enim alimenta tantum capiunt, ſecundum *§. 5. h. c.* & *§. 1. c. 29.* apanagiati autem, quorum ſucceſſio in ſuſpenſo eſt, apanagium, *§. 10. ſeqq. h. c.*

§. 3. *relicta & conceſſa ſunt*) ea ſcil. lege atque conditione, ne extra familiam in alios transferantur; quæ ſi abſit, bona hereditaria potius, quam familiaria ſunt; nec aliud per cit. l. 3. ff. *de interdict. & relegat.* probatur, ut quæ de diſcrimine rerum adventitiarum & earum, quæ liberis a parentibus obveniunt, loquitur.

§. 4. *Sola itaque privata*) quorum nomine jureque bona Illuſtrium patrimonialia, vulgo Cammergüther dicta, comprehendi exiſtimo, niſi vel feudi jure poſſideantur, vel territorio per præ-

ſcriptio-

ſcriptionem ſeu conſuetudinem acceſſerint, vel per pacta familiaria extra familiam alienari prohibita ſint. Loquor de jure Canon. & civili Juſtinianeo; ceterum non neſcius, jure Germanico veteri a bonorum privatorum & allodialium ſeu liberorum etiam ſucceſſione remotas eſſe fœminas. vid. Animadv. *ad §. 9. 10. 11 & 12. c. 15.*

2. *etſi addita clauſula ſit*) quippe quæ pro ſubſtrata fideicommiſſorum familiæ & feudorum materia in dubio de maſculis interpretanda eſt. add. Hypomn. feudal. *tit. 3. §. 23. & 36.*

§. 6. *feuda majora*) quæ alioqui regalia vocantur, & jure feudali utroque, Germanico & Longobardico, individua habentur. Quod etſi Schilt. *in Comment. ad c. 52. §. 4. tt. ad c. 60. & 61. jur. feud. Alemann.* & in Diſſert. *de feud. jur. Francici*, concedat; negat tamen, ideo feuda regalia ad primogenitum præciſe deferenda eſſe, ſed ſenii juri potius locum dandum, quod & antiquius ſit primogenituræ jure, nec minus illo, quam hoc, feudorum regalium diviſio evitari queat. add. Ill. Thomaſ. *Diſſert. de lib. vet. de benef. uſu §. 39. ſeqq.*

2. *licet ante dignitatem natus ſit*) quod & Hugo Grotius probat *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 7. §. 28.*

§. 8. *Lege*) quod quidem quoad Electoratus indubium, per cit. A. B. *tit. 7.* quantum ad cetera feuda regalia autem idem *2. Feud. 55. §. 1.* probari negat cum Betſio Schilt. *in allegat. Diſſertat. de feud. jur. Franc. §. 10.*

§. 9. *ſubjicitur ſucceſſori*) quod tamen Springsfeld rectius negare videtur, quia apanagiatus jure Auſtre-

garum gaudet, quo e contrario ſubditi Imperii mediati conventi carent. vid. *§. 34. c. 32.* it. Blum. *Proc. Camer. tit. 27. §. 43.* & diſſentientes alii infra *§. 15. h. c.* allegati.

2. *Neque ipſi invito*) neque directe per exheredationem; neque per conſequentiam, ſi pater juri primogenituræ renunciet. Ratio eſt in Animadv. *1. ad §. 13. h. c.*

§. 10. ſolo jure primogenituræ) nam ſi ideo excludantur, quod ſucceſſionis incapaces, alimenta tantum capiunt, per *§. 1. c. 29.*

2. *aliqui dicunt*) ut Schilt. *in Diſſertat. de paragio & apanagio*, refutatus propterea ab Hertio in Diſſertat. *de commentitia apanagii & paragii diſtinctione in Roman. Germanici Imperii Principatibus profanis & Comitatibus tom. 2. volum. 2. Opuſc.* qui paragii & apanagii differentiam rejicit, & contra vulgarem apanagii, in proprium & improprium, diviſionem defendit, atque ſpeciem a Noſtro hoc loco allatam ad diviſionem hereditariam refert, adeoque cum a paragio tum ab apanagio diſcernit.

§. 12. *e bonis domanii*) quibus proprie acceptis cum Germaniæ Proceres careant, ſecundum Animadv. *ad §. 18. c. 9.* igitur hoc loco bona fiſci intelligenda ſunt. Populi enim ærarium ab apanagii onere regulariter liberum eſt. vid. Animadv. *ad §. 52. c. 23.*

§. 13. *nec teſtamento auferri poteſt*) quia apanagium, ut ipſa primogenitura, vel pacto & providentia majorum, vel lege ſcripta & non ſcripta, conſtituitur, *§. 8. & 11. h. c.* eoque teſtatoris vel pa-

tris arbitrio exemtum eſt, utpore cui id tantum obnoxium habetur, quod heres aliunde, quam ex teſtatoris vel patris voluntate, non conſequitur.

2. *nec eam æquari neceſſe eſt*) quod & Springsfeld. *c. l.* ſtatuit, & proinde in eo tantum peccat, quod legitimam ad jus naturale refert, cum tamen inventum juris civilis potius ſit, quia in quantitate determinata conſiſtit, quam jus naturale ignorat, nec liberis parentes præter alimenta quicquam hoc jure debent. Unde ſequitur, ut legitima & pacto & ſtatuto non tantum mutari, ſed & tolli prorſus queat. add. Hugo Grot. *l. 2. de jur. bell. & pac. c. 7. §. 4. n. 3.* ibique Ziegler. *in not.* Stryck. *in Uſ. mod. ad ff. tit. de inoffic. teſtament.* §. 17. & Illuſtris Dom. Thomaſius *in Diſſertat. de legitima viventis.*

§. 15. *exercet*) quod verum de primogenito regio, cui, alio quippe judice deficiente, conjugem, liberos, fratres aliosque cognatos omnes ſubjici, pax & tranquillitas publica poſtulat; de Procerum Germaniæ autem conjugibus, liberis, fratribus cognatisque, etſi apanagiatis, omnino probari nequit, dum his idem, qui ipſis primogenitus, judex eſt, Imperator ſcilicet.

2. *idque juris gentium eſt*) quo ſolo Rex, item Senatus ariſtocraticus, & populus liber utitur; ſed Proceres Germaniæ legibus & judiciis civilibus inſuper, ut alii ſubditi, obnoxii vivunt. Unde quod de illis dicitur, ad hos continuo trahi nequit.

3. *fratres quoque vult eſſe immediatos*) quibus

 ego

ago conjugem & liberos Procerum etiam jungo, qui omnes pariter ac ipſe primogenitus Imperii juriſdictioni ſubſunt. add. Animadv. *1. ad* §. *9. h. c.*

4. *cum pleno territorii jure*) quod tamen cum apanagii conditione directe pugnat. Unde talem Principatum jure hereditario poſſideri exiſtimem, niſi in diviſione contrarium expreſſe actum ſit.

5. *niſi mero jure apanagii*) quod §. *12.* & *14.* inprimis explicitum, & in ſucceſſionis jure potiſſimum conſiſtit, quantum ad præſentem quæſtionem videlicet.

§. 17. *eoque utuntur ſoli Principes*) hodie ſcilicet. Olim enim hic titulus fere promiſcuus fuit, eoque Comites etiam uſi ſunt. vid. Dom. ab Eyben *de Titulo Nobilis* §. *25.* & *26.* Quod ejuſmodi eſt, ut ei alius, quam propriæ poteſtatis, character aſſignandus videatur, cum Comitum pariter ac Principum poteſtas propria ſit, ut ex Animadv. *ad* §. *6. c. 15.* apparet.

§. 17. *in ſtatu electivo*) quia hic certa ſucceſſionis ſpes, velut apanagii fundamentum, §. *10. h. c.* & §. *1. c. 29.* deficit.

2. *Delicto apanagiati*) quo ſcil. hic ſe ſucceſſionis incapacem reddit, quale eſt perduellionis ſeu læſæ majeſtatis crimen, quo qui ſe obſtringit, jurium quorumcunque, eoque alimentorum & apanagii etiam, expers ſit. vid. Aur. Bulla *tit. ſi quis cum Principibus &c. 24.*

3. *non primogeniti*) quandoquidem hujus delictum, tanquam alienum, apanagiato nocere nequit.

§. 19.

§. 19. *nomina publica*) quæ ſcilicet ad ærarium publicum pertinent; vel ex pecunia privata ſeu patrimoniali, quinimo fiſcali etiam, quæſita, ad uſum publicum expreſſe deſtinata ſunt.

§. 20. *ſi vero privata*) patrimoniali nimirum; quin etiam fiſcali, quia fructus feudales percepti ad allodium, & proinde ad heredes etiam pertinent, niſi qua ad uſum publicum expreſſe deſtinati, vel ad onera territorii ferenda neceſſarii ſunt. *§. 24. h. c. & §. 14. c. 30.*

2. *nec ex publico*) ærario populi ſcilicet, cui in plerisque Germaniæ provinciis die Landſchaffts-Caſſa ſimilis videtur.

3. *ad regulariter heredibus reſtituitur*) addatur omnino *§. 4. tit. 12. Hypomn. feudal.*

4. *fructus pendentes*) quippe qui pars feudi cenſentur, & proinde primogenito cedunt; a quibus tamen pendentes bonorum patrimonialium fructus diſcerni debent, ſecundum Animadv. *1. ad §. 4. h. c.*

5. *ad uſum publicum*) alioqui ad allodium ſpectantes, ſecundum Animadv. *1. ad h. §. & §. 1.* Hypomnem. feudal. *c. l.*

6. *Deſtinantur ita*) Scilicet acceſſiones vel legales ſunt, jure, ſive ſcripto, ſive non ſcripto, particulari vel generali, definitæ; vel naturales, quæ ad perfectionem rei immobilis, cui junguntur, velut partes integrantes, ut feneſtræ &c. pertinent; vel conventionales, quæ contrahentium voluntate definiuntur, quibus & teſtamentariæ æquales habentur; vel a deſtinatione patrisfamilias dependent;

dent; quæ tamen poſtrema ſpecies tum præſertim, quando expreſſa declaratio deficit, valde anceps, eoque multis dubitationibus obnoxia eſt, proindeque probatu difficillima. Unde de iis, quæ Noſter de acceſſionibus territorii *h. & ſequ.* §. 21. tradit, quid ſentiendum, facile judicari poteſt. add. §. *22. h. c.* & ibi Animadv.

§. 22. *æquius ac verius videtur*) quod tamen omnino negandum eſt, ſi, quæ ad dignitatem & ſplendorem Principis comparata, & *num. 5. 6. 7. & 8. §. præced. 21* potiſſimum deſcribuntur, pro acceſſionibus territorii habenda ſunt, quippe quæ ſemper & indiſcriminatim rem principalem ſequuntur, eoque tam agnato, quam primogenito relinquenda eſſe videntur. Unde ego rerum ejusmodi non minus heredes & apanagiatos, primogenito ſuccedente, quam liberos, ubi agnati ſuccedunt, participes eſſe, neque eas ad territorii acceſſiones ex nuda Principis patrisfamilias deſtinatione facile referri poſſe, ſecundum Animadverſionem *6. ad §. 20. h. c.* verius exiſtimem.

§. 23. *Primogenitus filius*) qui ſcilicet feudi, vel ſubjectionis etiam jure obligatur, quales ſunt omnes Germaniæ Proceres, qui non tantum naturalibus, verum etiam civilibus legibus reguntur, quæ filium, feudum capeſſentem, debitis paternis allodialibus obnoxium faciunt; ſecus ac primogenitus regius, feudi nexu ſolutus, qui, ſalva ſucceſſione regia, hereditatem paternam repudiare valet, & ne quidem hac agnita ultra vires ejus privatis patris creditoribus obſtringitur, ſecundum legem na-

turalem

turalem ſcilicet, cum qua & Saxonum jus convenit apud Struv. *l. 2. Juriſpr. forenſ. tit. 23. §. 15. item Exercit. ad ff. 34. th. 33.* & Carpzov. *part. 3. conſtit. 33. definit. 18.* add. Animadv. ad §. *29. c. 8.*

§. 24. *nunquam a ſucceſſore repetunt*) confer. §. *14. c. 30.* infra.

§. 25. *ſolus præſtat*) quemadmodum quilibet alius heres, ſive teſtamentarius, ſive legitimus.

2. *deficiente allodio*) jure Saxonico & Marchico particulari ſcilicet; nam communi jure agnatus ab hoc onere immunis eſt, dum feudum, ut ſucceſſor, non ut heres, capit. add. *§. 14. num. 3. tit. 12. Hypomnemat. feudalium.*

AD CAP. XXVIII.
De Juribus fœminarum illuſtrium.

§. 1.

ILLuſtrium) adde: & Nobilium, quandoquidem hæ non minus, quam familiæ illuſtres, juribus, quæ hoc capite exponuntur, gaudent. An & ignobiles vel civicæ? affirmo ſimpliciter quoad dotem & donationem propter nuptias, quippe quæ ignobilibus pariter ac illuſtribus & nobilibus ex feudis, ſi quæ poſſident, debentur, poſtquam ruſtici etiam, & multo magis urbici cives, feudorum capaces effecti ſunt, prout Noſter docet Hypomnem. feudal. *tit. 4. §. 1.* quantum ad morgengabam & dotalitium autem jus ab uſu diſcerno. Etſi enim cives & ruſtici nec morgengaba, nec dotalitio,

 uti

uti ſolent; propterea tamen utendi facultas iis interdicta cenſeri nequit.

2. *proſpectum eſt*) ita nimirum, ut dos & propter nuptias donatio in ſubſidium, dotalitium autem ſimpliciter ex feudo debeatur, nec præter illuſtres & nobiles familias aliæ morgengaba facile utantur.

3 *vel ex domanio*) i. e. rebus & juribus fiscalibus, quæ Imperii Proceribus utplurimum feudi jure competunt.

4. *ubi receptæ ſunt*) dum collectarum jus Imperii Statibus non aliter competit, niſi vel legitime quæſitum, vel ab Imperio ſpeciatim permittatur; vel Statuum provincialium conſenſus accedat; vel collectæ ad Cameræ Imperialis, ut & pacis publicæ & præſidiorum caſtellorumque neceſſariorum ſuſtentationem exigantur. vid. §. 52. c. 23. & ibi Animadverſ. & add. Betſ. *de pact. familiar. illuſtr. c. 6. §. 57. ſqq.*

5. *Hypomnem. feudal. tit. pen.*) §. 8. *ſeqq.*

§. 2. *Vid Hypomn. d. l.*) §. 10. & ibi allegati, Mevius, H. Piſt. Koppen, Kohl. quibus jungatur Struvius *c. 14. jur. feud. aphor. 5.*

§. 3. *jurato renunciant*) ſecundum c. Quamvis *2. de pact. in 6to.* Omiſſa ergo renunciatione, fœminæ hereditatis paternæ, ut & feudorum, quæ fœminina ſunt, ſub onere dotis conferendæ jure communi participes manent. confer. Struv. *Exercit. ad ff. 38. th. 50.*

§. 4. *Hanc heres debet*) ubi ſcilicet propter nuptias donatio a marito defuncto conſtituta eſt, neque dos amplius extat; tum enim viduæ ejus donatio-

nationem propter nuptias adverſus heredem, & ſucceſſorem, deficiente allodio, vindicare licet. Ceterum loca a Noſtro hic ex Cæſare, Specul. Suevic. &c. allegata non de donatione propter nuptias, de qua hoc & ſeqq. §. ex profeſſo agitur, ſed de morgengaba & dotalitio potius loquuntur.

2. *Diſſent. Vinn.d. n. 4.*) & Pagenſtecher *l. 2. tit. 7. aph. 74. & 75.* ubi textus juris a Noſtro hic in contrarium objecti accurate diluuntur, atque una donationis propter nuptias, tanquam hypothecæ expreſſæ, & ejus hypothecæ, quæ uxoribus in ſecuritatem dotis a lege datur, diſcrimen duplex oſtenditur.

§. 6. *Subſiſtit jure quoque civili*) ſive conſtituatur ante nuptias, quia donationes ſponſum inter & ſponſam valent, ſecundum l. 5. & 27. ff. *de donat inter virum & uxorem*; ſive ſecundo demum nuptiarum die, cum morgengaba in primi concubitus remunerationem detur, quales donationes inter conjuges jure Romano etiam permiſſæ videntur, *l. 7. §. 2. ff. de donat. inter vir. & uxor.* add. Schilt. *Exercit. ad ff. 36. §. 103.* Ceterum morgengabam & dotalitium a jure Germanorum non ſcripto potiſſimum originem ducere certum eſt. vid. Tacit. *de morib. German. c. 18.* & Schilt. *Exercit. ad ff. 36. §. 68. ſeqq.*

2. *vel viduæ*) quandoquidem morgengaba non in virginitatis, ut vulgo exiſtimant, ſed primi concubitus compenſationem datur, prout in definitione dictum.

§. 7. *Neg.*) & recte quidem, quia jure Chriſtianorum hodierno copulatio ſacerdotalis de eſ-

ſen.

ſentia matrimonii habetur, ſine qua nec matrimonium, nec dos, nec vir, nec uxor, neque jura connubialia conſiſtere valent. Schilt. *l. 2. Inſt. jur. Canon. tit. 11.* §. 2. *& Exercit. ad ff. 36.* §. *60. ſeqq.* Nec obſtat, morgengabam in remunerationem primi concubitus dari, per §. *6. h. c.* & annotat. *ibid.* quippe quod de concubitu honeſto & licito intelligendum eſt, minime vero de illicito, qualis eſt, qui copulationem ſacerdotalem præcedit.

2. *extra terras Saxoniæ)* in his enim matrimonium per ſolam ſacerdotalem copulam non conſummatur, ſed præterea thalami conſcenſio, qua ipſe concubitus modeſte ſignificari videtur, ad conſummationem ejus neceſſaria eſt, §. *20. h. c.* Quod & rationi naturali convenit.

3. *omnes affirmanda)* quod mihi quidem non videtur; cum morgengaba in primi concubitus compenſationem detur, §. *6. h. c.* Nec in contrarium me movet l. 30. ff. *de regul. jur.* ubi nuptiæ non concubitu, ſed conſenſu fieri dicuntur. Præterquam enim quod omnis lex civilis paululum obſcura, eoque cit. *l. 30.* etiam, ita interpretanda ſit, ut quam minime a ratione naturali recedatur; huic autem ante allegatum jus Saxonicum omnino conveniens ſit; amplius dicta *l. 30.* hoc ſaltem innuere videtur, nuptias non ſolo concubitu perfici, ſed ad hoc conſenſum nuptialem inſuper neceſſarium eſſe, quo matrimonium a concubinatu, apud Romanos permiſſo, diſtinguitur. Quemadmodum ergo quod in l. 4. ff. *de concubinis* dicitur, concubinatum ex ſola animi deſtina-

tione

tione æſtimandum eſſe, reſpectu nuptiarum ſeu matrimonii intelligendum eſt, concubitu non excluſo; ita & quod in l. 30. ff. *de reg. juris*, habetur, concubinatus ratione habita ſcriptum videtur. Quam explicationem juvat §. 2. Inſtit. *de hereditat. quæ ab inteſt. defer.*

§. 12. *nec regulariter ſufficit*) adverſus ſucceſſores feudi, aut creditores, ıнoto concurſu, ſcilicet; nam adverſus heredes confeſſio mariti otiquæ ſufficit, quia his geſtis & promiſſis defuncti jure civili obſtrictam unionem perſonarum nullo modo contravenire licet. add. Carpzov. *part. 1. Conſtit. 28. defimt. 72. ſeqq. & differt. de jur. fœmin. ſing. dec. 5. poſt. 6.* Gail. *l. 2. obſervat. 81.*

§. 13. *neque promiſſum neque conſtitutum*) quia agnati ad dotalitu conſtitutionem obligantur, partim jure Germanico non ſcripto, partim lege naturali, quæ eos ex dote illata; quæ in feudum verſa præſumitur, cum viduæ damno locupletari vel lucrum capere non patitur.

§. 16. *ſiluerint*) de cujus aſſertionis veritate tamen merito dubites, propterea, quod hoc loco de obligatione & damno domini & agnatorum agitur, quo in caſu alias ſilentium pro diſſenſu magis quam conſenſu habendum, niſi ei lex civilis vim aſſenſus ſpeciatim tribuat; at talem legem pro hac aſſertione uſquam extare vix credo. conf. Animadv. *3. ad §. 37. c. 5.*

2. *nedum ſi ſignaperint*) Sed ne hinc quidem conſenſum in dotalitium colligi poſſe puto, cum in dubio ſubſcriptio vel ſubſignatio ejus, qui pacto

ex-

expreſſe non continetur, teſtimonii cauſa inſtrumento pacti ejusmodi acceſſiſſe cenſeatur.

§. 17. *At verius eſt,*) Quin ego e contrario ex communi pactorum natura verius exiſtimem, viduæ optionem penitus ademtam, & proinde dotalitii pacto ſimpliciter obſtrictam eſſe, ubi ei cum heredibus, qui in defuncti mariti jus ſuccedunt, res eſt, ſive iſti huic pacto interfuerint ſive minus; ratione agnatorum vero tum demum, quando hi pacto dotalitii comprehenſi ſunt, hincque jus quæſitum habent. Etſi enim executio ejus poſt mortem mariti differtur, obligatio paciſcentium tamen exinde ſtatim naſcitur.

§. 21. *non ex jure communi*) unde ſequitur, ex Autoris mente dotis & propter nuptias donationis, ex jure communi, ſeu Romano, deſcendentis, jura viduæ competere, etſi ſponſus ante concubitum deceſſerit; quod Illuſtr. Dom. Stryck. *de ſucceſſ. ab inteſtat. diſſert.* 1. c. 2. §. *49.* & *50.* ad eum etiam caſum protendit, ubi ſponſus ante copulationem ſacerdotalem animam exhalavit. Quantumvis autem detur, matrimonium ſine concubitu per ſolum conſenſum nuptialem jure Romano conſummari; hoc tamen in Germania non obtinere inde manifeſtum fit, quod jure noſtro & copulatio ſacerdotalis & concubitus ad matrimonii conſummationem requiratur, ſine quo nec dos neque propter nuptias donatio valere poteſt, ſecundum §. 12. Inſtit. *de nupt.* & §. 3. ibi: *ut tunc ratum eſſet, cum matrimonium eſſet inſecutum,* Inſt. *de donat.* add. Animadv. *ad* §. 7. *h. c.*

§. 22.

§. 22. *ſed uſusfructus*) qualis vero, Germanicusne, qui dominii civilis ſeu utilis inſtar eſt, an Romanus, in nudo utendi fruendi jure conſiſtens? Quanquam vero Noſter paſſim h. c. in vulgarem ſententiam inclinare videtur, qua viduæ dotalitium uſusfructus Romani finibus circumſcribitur; magis tamen placet Schilteri ſententia, iſtud dominio civili ſeu utili aſſimilantis, *Exercit. ad ff. 17. §. 3. ſeqq.* quem & Beyer. ſequitur *l. 2. Specim. jur. German. c. 10. §. 15. ſeqq.*

§. 25. *Diſſentit Rauchbar.*) cujus ſententiam amplectitur Schilt. *c. l.* §. *21. & 22.* & Beyer. *d. l. §. 20. & 21.* propterea, quod dotalitium dominii utilis naturam imitatur, eoque tum Romano tum Germanico jure a cautione immune eſſe debet.

AD CAP. XXIX.

De Juribus utrique ſexui communibus; ubi de tutela &c.

§. 2.

N*On tenentur ſolennibus juris*) quod ego contra ſimpliciter affirmandum cenſeo. Nec obſtat l. 31. ff. *de leg.* in contrarium allegata, quæ de Imperatore, ceu ſummo Principe, & legibus civilibus omnino ſoluto, loquitur, & proinde ad Germaniæ Principes, ſubordinatos quippe, unique ſummo imperio civili, eoq; judiciis & legibus civilibus etiam, quibus nulla reſpublica nullumque judicium carere poteſt, obnoxios, trahi nequit, prout luculenter defini-

definitur R. I. de anno 1654. *§ 105.* & Ordinat. aulic. Imper. Ferdinandi III. *tit. 7. §. 17. ibi:* So ſollen auch unſere Keyſerl. Wahl-*Capitulation &c.* ubi utriusque Auguſti Judicii, aulici & cameralis, Aſſeſſores, nulla diſtinctione Principum & aliorum Imperii Statuum vel ſubditorum adhibita, ſecundum juris Romani & Canon. corpus, aliasque Imperii ſanctiones, cauſas quascunque ad ſe delatas examinare & decidere jubentur.

2. *niſi cauſa ſit cum extraneo*) ſed hæc diſtinctio non Imperii ſolum legibus, verum certiſſimo uſui etiam repugnat, cum omnes Imperii Principum actus, ſive cum extraneis vel aliis Statibus & Proceribus immediatis, ſive cum ſubditis ſuis & familia geſti, ſicubi ad ſumma Imperii tribunalia deferantur, ſecundum jus civile, ſeu patrium, ſeu Romanum, examinentur & decidantur. Unde & ad quæſtionem: *an præſcriptio, Statibus a ſubditis ſuis oppoſita, admittenda ſit?* in promtu eſt reſponſio, affirmans ſcilicet. Etſi enim præſcriptio, tanquam inventum civile, adverſus Imperatorem vel univerſum Imperium, jure civili prorſus ſolutum, inanis eſt; Statibus ſingulis tamen, ceu ſubditis, omnino nocet, ſive coram Auſtregis, ſive ipſis ſummis Imperii tribunalibus opponatur, dum utriusque generis judicia, in cauſis Statuum ſingulorum dijudicandis & ſententiis ferendis, jus civile ſequantur, & ſequi teneantur. Quod ut paulo evidentius evadat, ex *§. 8. c. 7.* & *§. 4. c. 21.* repetendum eſt, corpus Germanicum unam eſſe rempublicâm, & mixtam quidem, in qua tamen regia po-

teſtas

teſtas potior habetur, *§. 9. d. c. 7.* Jam vero ubicunque eſt una reſpublica, ibi unum tantum eſt imperium civile ſummum, & proinde ſinguli, veluti ſubditi, parent, ceteri vero imperant, Rex nimirum in monarchia, univerſi autem, Optimates, in ariſtocratia, & cives, in democratia, *§. 3. cit. c. 21.* Porro imperium civile ſummum nullum ſine judiciis & legibus civilibus quicquam valere poteſt, cum ſolæ leges naturales cauſis ſubditorum controverſis decidendis nequaquam ſufficiant, ſed civiles inſuper, quibus locus, tempus aliaque, jure naturali omiſſa, ſecundum cujusque reipubl. conditionem ſtatumque definiantur, neceſſariæ ſint, ut late demonſtrat Pufendorf. *l. 8. de jur. nat. & gent. c. 1. & l. 2. de Offic. hom. & civ. c. 12.* Ex quo luculenter patet, Status Imperii ſingulos legibus civilibus neceſſario ſubjici, ſive propriis & patriis, ſive peregrinis utantur. Habent enim judicem; ergo legibus civilibus obnoxii ſunt, ſine quibus nulla reſpublica, nullumque usquam judicium conſiſtere valet. Et fruſtra objicitur, multa Statuum negotia optatum finem ſortiri, etſi omiſſis ſolennibus juris geſta, ut quod inde evenit, quia hæc a ſubditis vel ob reverentiam, vel ob metum, vel ob proceſſus difficultatem ad Auſtregas, vel Imperii judicia, non deducuntur, quo in caſu privatorum quorumcunque etiam actus, quamlibet invalidi, vires conſequuntur. Illud vero extra omnem diſceptationis aleam poſitum eſſe reor, ipſos Reges, nedum ſubalternos Germaniæ Principes, legibus civilibus obſtringi, ſicubi cum ſubditis ſuis pacta ineunt, dum hacteous ut privati agunt, eoque ſubditorum

torum jure utuntur, præſertim cum jus naturale æqualitatem paciſcentium præcipiat, adeoque Princeps aut legibus civilibus, a ſe etiam latis, quantum ad pactum ejusmodi, ſe ſubjiciat, aut ſubditum, ſecum paciſcentem, iis pariter ſolvat neceſſe eſt. vid. Hugo Grotius *l. 2. de jur. belli & pacis c. 4. §. 12. & c. 14. §. 5. & 6.* & ibi Ziegler. *in notis.*

§. 3. *condere poſſunt absque ſolennibus*) modo teſtamentum ejusmodi non impugnetur; hoc enim ubi fit, vel coram Auſtregis, vel ſummis Imperii tribunalibus, ad juris communis civilis regulas teſtamentum exigitur, eoque invalidum pronunciari neceſſe eſt, ſi præſcriptis ſolennibus careat, ſive jura civium vel familiæ, ſive extraneos contingat.

2, *non a liberis impugnata*) eoque a Noſtro tuendæ ſententiæ ſuæ fruſtra allegantur. Si enim talia teſtamenta impugnata non ſunt, non poterunt a judice invalida pronunciari, quia hic officium ſuum non impertit, niſi imploratus. Et allegatus Reinkingius non, ut Noſter h. l. de ſolennium defectu, ſed de partium hereditatis inæqualium determinatione a parentibus facta loquitur; quæ alia quæſtio eſt, ad juris feudalis prudentiam ſpectans. Adhæc teſtamenta parentum quorumcunque inter liberos, omiſſis ſolennibus, facta valere, nemini facile ignotum eſſe poteſt. Quare non eſt, quod quis miretur, ſi quando ejusmodi teſtamenta Principum a judice, vel Auſtregali vel ſupremo, pro validis habita ſunt.

3. *huc applicari poſſunt*) ubi ſcilicet teſta-

mentum

oogle

mentum ſit à Principe, qui in caſtris vel expeditione non militat. Valet enim, ubi a milite Principe in caſtris vel expeditione conditur, jure militari videlicet. vid. Inſtit. *de teſtam. milit.*

4. *quicquam huc inferri*) quia pacta nullam ſolennitatem deſiderant, ſicus ac teſtamenta, quæ adeo diverſa ſunt, a quorum uno ad alterum inferri nequit.

5. *neque denique extendi hoc jus*) quod facile largior, quia nec ipſi Principes patres & regentes ſolennibus teſtamentariis ſoluti ſunt.

§. 4. *Ita & valent*) concedo, ſi ejusmodi donationes non impugnentur; ſecus, ſubſiſto, propter autoritatem, quam jus civile in ſummis Imperii tribunalibus pollet, etſi non ubique, quantum ad donationes conjugum, item parentum & liberorum præſertim, ad reipublicæ noſtræ ſtatum accommodatum ſit. Nec contraria Autoris noſtri ſententia per allegatas leges probari poteſt, quæ de Imperatore, ſolennibus juris civilis exſoluto, loquuntur, & proinde ad Principes Imperii ſubalternos trahi nequeunt.

§. 5. *jus commune obtinet*) de quo videbimus infra *ad §. 8. c. 32.*

§. 7. *ab Imperatore*) quippe qui perſonas illuſtres immediatas lege civili communi per diſpenſationem ſine controverſia ſoluere poteſt, etſi legem ejusmodi ſolus abrogare nequeat, cum diſpenſatio minoris momenti res ſit, quam abrogatio. Sed & idem quoad ſubditos mediatos diſpenſandi facultate regulariter pollere videtur, præ-

 ſertim

ſertim ubi diſpenſatio adverſus jus commune petitur, vid. *§. 8. & 9. c. 23.* & ibi Animadv.

§ 8. *etiam non illuſtris*) quod tamen temperat Illuſtr. Dom. Stryek, *in uſu modern. ff. de tutel. §. 19.*

2. *in territoriis*) ſive allodialibus ſive feudalibus, ſecundum jus Germanicum antiquius ſaltem, de quo ſupra *§. 9. ſeqq. c. 15.* & ibi in Animadv. actum. Ceterum uti hodie mater illuſtris liberis ſuis in allodio privato indubie ſuccedit; ita ex iis, quæ infra *§. 11. h. c.* habentur, neceſſario ſequitur, ei hactenus tutelam legitimam etiam cum liberorum illuſtrium educatione competere, ita tamen, ut agnato proximo rei publicæ cura & adminiſtratio relinquatur. Quin nec ab hac matrem per agnatum proximum removeri adeo in expedito eſt, ut Noſter quidem retur. Quanquam enim mater ſucceſſionis eatenus expers habetur; ſingularis tamen pietatis & affectionis maternæ in liberos ratio ſupereſt, quæ ei tutelam illuſtris pupilli legitimam, & conſequenter rei publicæ adminiſtrationem etiam, commendat. Atque Juſtinianum, cum matri & aviæ tutelam legitimam deferret, hanc rationem ante oculos habuiſſe, inde ſatis abundeque conſtat, quod, præter eas, omnibus aliis foeminis, etſi ſucceſſionis ſpe gaudentibus, hujusmodi tutelæ munus expreſſe interdixit, *c. 5. Novell. 118.* Nec in contrarium movet, quod *A. B. tit. 7.* ſpeciatim de legitima agnatorum Electorali tutela ſtatuitur, ſiquidem Archiofficiorum & aliorum Principatuum diverſiſſima conditio eſt, & proinde

inde ab iſtis ad hos inferti neqnit. Sed nec matri illuſtri, tutelam legitimam, eamque publicam, prenſanti, obſtate poteſt, quod in *l. 2. ff. de R. I.* dicitur; fœminas judicaudi munere, velut publico, abſtinere debere; cum manifeſtum ſit, hanc juris Romani ſanctionem in Germania non obtinere, argumento jurisdictionis patrimonialis, prædio allodiali vel feudali fœminino adhærentis, quæ fœminis non minus, quam maſculis, competit. Id quod a Noſtro etiam conceditur, dum matres illuſtres tutelæ teſtamentariæ & dativæ, & publicæ quidem, capaces eſſe aſſerit *h. & præced.* §. *6. h. c.* Unde nec a tutela legitima, ſive publica ſive privata, facile removeri poterunt, ſuperioris præſertim confirmatione accedente, quæ ut hodie tutoribus teſtamentariis & legitimis quibuscunque, ita illuſtribus etiam, neceſſaria eſt, per R. I. de anno 1548. & 1577. *tit.* von der Pupillen und Minderjährigen Tutorn *31. & 32.* add. omnino Illuſtr. Dom. Stryck. *in uſu moderno ff. de legitim. tutor.* §. *9. ſeqq. item de confirm. tutore* §. *8. ſeqq.*

3. *proximos agnatos*) quibus aſſimilantur illi, qui in Germania ex pacto, puta confraternitatis, ſimultaneæ inveſtituræ, &c. ſucceſſionis ſpe proxima gaudent. vid. Illuſtr. Dom. Stryck. *in uſu ff. moderno de legitim. tutoribus* §. *8.*

4. *in pluribus illuſtribus familiis*) de quibus vid. Illuſtr. Dom. Stryck. *c. l.* §. *14. ſeqq.*

§. 11. *cognatus ſit*) qui ſcilicet in allodio, agnato remotiore hactenus excluſo, pupillo illuſtri ſuccedit, ob eamque ſucceſſionis ſpem tutelæ

legitimæ privatæ jure gaudet, §. 8. *h. c.* Quodſi enim allodium deficiat, tutelæ huic privatæ nequaquam locus dari poteſt, eoque proximus agnatus ſolus tutelam geret, §. 9. & 10. *h. c.*

2. *non perſona*) quod tamen, quanquam juri Romano apprime conveniens eſt, hodie valde dubium videtur, ideo, quia (1.) curatorum & tutorum ut nomina, ita jura & officia etiam, in Germania fere confuſa ſunt, per R. I. ſupra *Animadv. 2. extr. ad* §. 8. *h. c.* allegatos; add. Illuſtr. Dom. Stryck. *in uſu modern. ff. de tutelis* §. 5. *ſeqq.* eoque (2.) curator pariter ac tutor perſonæ datur; Stryck. *d. l.* §. 10. & proinde (3.) agnatus proximus non ſine ratione contendit, pupilli illuſtris educationem & directionem ad tutorem cognatum non magis, quam ad ſe pertinere; iſtiusque adeo (4) tutelam legitimam nuda allodii adminiſtratione circumſcribendam eſſe. Unde ſanctione publica opus eſſe videtur, qua, agnatine an cognati tutoris ratio in regenda pupilli perſona potior habenda ſit, certo definiatur. Interim, cum juris Romani in Germania maxima ſit autoritas, illius quam hujus cauſa, modo cetera ſint paria, facile juſtior haberi poteſt.

§. 14. *non ſoleat rationes reddere*) ideo nimirum, quod reditus pupilli illuſtris a fiſci & ærarii adminiſtratoribus privatis colligantur & erogentur, rationum reddendarum oneri inde obnoxiis; & proinde in Principe tutore ad reddendas rationes obligatio, alioqui naturalis, ceſſare videatur. Accedit ſpeciatim, quantum ad agnatos tutores, hæc

etiam

etiam ratio, quod hi rerum pupillarium uſufructu, dominorum civilium ſeu utilium inſtar, jure Germanico gaudeant, ut docet Schilter *Exercit. ad ff. 3. §. 11. & Exercit. 7. §. 22.* quales a reddendarum rationum onere immunes eſſe, nemo ambigit.

§. 15. *anno 25.*) quia Status Imperii regulariter utuntur jure civili communi, quo minor ætas anno 25. impleto finitur. add. §. *19. h. c.* & Animadv. 1. *ad* §. 2. *h. c.*

2. *recepta ſit*) quam & ipſa ſumma Imperii tribunalia in cauſis ad ſe delatis ſequi tenentur, ubi ætas major per conſuetudinem definita, qualis eſt jus Saxonicum commune, quo minorennitas anno ætatis 21. finitur, eoque ipſi Saxoniæ Duces etiam utuntur; vid. Ordin. Camer. *part. 1. tit. 13. &* 57. & R. I. de anno 1654. *§. 105.* Secus ſi per pacta gentilitia, ubi Imperaroris expreſſa vel tacita confirmatione opus videtur, ad hoc ſcilicet, ut ejusmodi pacta, juri communi derogantia, a ſummis Regni judiciis in judicando & decernendo obſervari debeant. add. §. *7. h. c.*

§. 16. *definire poſſe*) modo tamen Imperatoris expreſſa vel tacita confirmatio accedat, per Animadv. *ad* §. *præced. 15.* cui add. *art. 11. Capitul. noviſſ.*

§. 17. *ad adminiſtrandum non Principatum*) Scilicet diſtinguit Noſter ipſa jura Archi-officialia a territorio Electorali, cui iſta innexa ſunt, ita nimirum, ut illius quidem adminiſtratio proximo agnato neceſſario relinqui debeat; hujus ve-

rio gubernatio, ab Electore, ſi velit, tutori teſtamentario committi poſſit. Sed magis placet eorum opinio, qui, rejecta hac tutela teſtamentaria Electorali, tum jurium Archiofficialium, tum territorii Electoralis adminiſtrationem una ad legitimam agnatorum tutelam, *t.7.A.B.* ſtatutam, neceſſario pertinere contendunt, propterea, quod Archiofficium cum territorio Electorali inſeparabiliter cohæreat, ita quidem, ut illud neceſſario eum, qui hoc poſſidet, ſequatur. add. A. B. *tit. 20.* Unde firmum ducitur argumentum, ad eum etiam ſpectare territorii Electoralis gubernationem, cui per A. B. *tit. 7.* jurium Archiofficialium adminiſtratio data eſt, proximo agnato videlicet.

2 *& quæ ab eo pendent*) veluti jura Electorum præcipua, ſupra *c. 14.* expoſita; intra quæ tamen legitima Electoralis agnatorum tutela non ſubſiſtit, ſed, excluſa quippe teſtamentaria tutela, regimen territoriale inſuper complectitur.

3. *eo expreſſe reſtringuntur*) ſed hæc expreſſa reſtrictio in Aur. Bull. nusquam reperitur. Unde jure & officio electionis ſolo ibi expreſſo, regimen territoriale, velut inſeparabile, comprehenſum merito cenſetur; quemadmodum & primogenitus, hocque ſine maſculis mortuo, ſenior frater in utroque ſuccedit, etſi cit. Aur. Bull. loco neutri plus, quam jus, vox & dignitas electionis aſſignatur, nec plus aſſignari opus fuit, cum id jus a territorio Electorali ſeparari nequeat, & proinde ſucceſſio ad utrumque porrigatur. Quare non obſtat, quod Noſter objicit infra *§.32 c.33.* aliud eſſe Principatum, aliud officium ei cohærens; quia utrumque per legem

gem publicam connexum eſſe, & proinde neceſſario cohærere ſufficit. Neque etiam inſtantia ibid. §. 36. objecta multum roboris habet. Præterquam enim quod Principatuum Electoralium integritatem duntaxat reſpicit, eoque Archiofficii & territorialis regiminis copulationem parum ferit; adminiſtratio inſuper generalis cum particulari; item legalis cum arbitraria manifeſte confunditur.

§. 18. *expoſuerunt ac novis bullis firmarunt*) in quibus adeo, quantum ad præſentem quæſtionem, nihil reperitur, quod non Aurea Bulla jam continetur; quare novi quid hic Noſtro opponere merito ſuperſedeo, ſed ea tantum, quæ *ad §. præced. 17. h. c.* adnotavi, huc repetita volo.

§. 19. *In Principatibus autem, Ducatibus aliisque Dominiis gubernandis*) Quibus verbis Principatus & Dominia deſignantur, quæ vel ab Electoribus, præter Electorales terras, vel ab aliis Principibus & Dominis, Archiofficio & eligendi jure deſtitutis, poſſidentur; in quibus adeo ætas jure communi definita ſupra *§. 15. h. c.* merito obſervatur.

§. 20. *Officii Electoralis*) quinimo territorialis etiam cum Officio Electorali conjuncti, per Animadverſ. *ad §. præced. 17. h. c.*

§. 21. *At Principatibus ſuis ac liberis*) quod concedo quantum ad eos Principatus, qui ab Electoratu diverſi ſunt; quoad ipſum Electoratum vero conſtanter nego, ut qui indiſcriminatim tutelam teſtamentariam reſpuit.

2. *ante annum ætatis 18.*) quod tamen neo

per Joachimi I. Electoris Brandenburgici exemplum, infra §. 23. *h. c.* relatum, ad exceptiones quippe ſpectans, probatur; neque Caroli IV. & Sigismundi Bullis, ſupra §. 18. & 19. *h. c.* allegatis ſatis conſentaneum videtur, ubi in Principatibus, Ducatibus & Dominiis ætas, jure communi determinata, obſervari præcipitur. add. §. 15. *h. c.*

3. *uſu ipſo quoque & publice comprobata eſt*) ſed hinc Autoris noſtri opinioni, quæ & ipſi ſingularis videtur, parum roboris conciliatur, cum legibus, non exemplis, judicandum ſit, & hic magis de Aureæ Bullæ ſententia, quam uſu ejus quæratur, qui ſi quando ab iſta diverſus fuit, Imperatore, cui jus diſpenſandi eſt, ex juſtis cauſis approbante, ad exceptiones, non regulam ipſam, referri debet. Neque etiam eſt, quod cum quibusdam ſtatuas, tutelam Electoralem teſtamentariam in Aurea Bulla a Carolo IV. ideo prætermiſſam eſſe, quod tum temporis ut juris Romani, ita & teſtamentorum uſus in Germania incognitus fuerit, proindeque hoc poſtea, & ſeculo decimo quinto quidem, a Germanis recepto, tutela teſtamentaria Electoralis amplius interdicta cenſeri nequeat; quandoquidem hoc quicquid eſt argumenti ex ipſa Aurea Bulla ſatis refellitur, cujus integer titulus 24. *Si quis cum Principibus &c.* ex lege 5. Cod. *ad legem Juliam Majeſtatis* deſcriptus eſt, & præterea *tit* 15. *de Conſpiratoribus*, ſacræ leges & Imperatorum ſuperiorum conſtitutiones ex titulo ff. *de collegiis & corporibus*; item titulo Codicis, *de Seditioſis*, tanquam ſatis jam vulgatæ, allegantur, prout Schilter.

etiam

etiam obſervavit *in notis ad Aur. Bull. d. tit. 15. tom. 2. Inſtit. jur. publ. tit. 19. §. 35. p. m. 296. ſeq.* Quale quid inſuper ex Caroli IV. & Sigismundi Bullis memoratur ſupra *§. 19. h. c.* ut alia quam plurima argumenta, ob chartæ & temporis anguſtiam, nunc omittam; ex quibus ſatis liquet, jam Caroli IV. velut Aureæ Bullæ conditoris, ævo, juris Romani uſum, etſi non tantum, ut hodie, in Germania valuiſſe, quem & Speculum Suevicum, eodem fere tempore compoſitum, non minus teſtatum facit, ubi ejus juris autoritatem ſubinde excitatam videas. Conſentit Illuſtris Dom. Baro de Lyncker *in Analect. ad ff. de Conſtitution. Princip. th. 35.*

Ad Cap. XXX.
De Oneribus Imperii.

§. 1.

O*Rdinaria*) quo Noſter expeditionem Romanam refert, *§. ſequ. 2. h. c.* eoque multo magis ſuſtentatio Cameræ Imperialis & comparitio in Comitiis pertinent, de quibus *§. 4. 5. & ſeqq. h. c.* agitur.

2. *extraordinaria*) quibus Noſter expeditiones Turcicas annumerat, *§. ſequ. 2. h. c.*

3. *Perſonalia*) ut tutela, de qua *§. 6. ſeqq. §. 29.* actum, confer. cit. *l. ult. §. 1. ſeqq. ff. de munerib. & honor.*

4. *rea-*

Google

4. *realia*) qualia ſunt expeditio Romana, §. *ſequ.* 2. & ſuſtentatio Cameræ, §. 4. *h. c.*

5. *mixta*) ut comparitio in Comitiis, utpote quæ partim animi proviſione, & corporis labore, partim ſumtibus a Statibus impendendis expeditur, ſecundum §. 5. & 6. *h. c.* conf. §. 1. & 27. *l. ult. ff. d. t.*

6. *vel patrimonii*) quæ homagio perſonali cohærent, eoque a municipibus, ſubditis & incolis ſolum debentur, ſecundum *l.* 6. §. 4. & 5. *item l. ult.* §. 21. *ff. eod.* add § 37. *c.* 23.

7. *vel poſſeſſionum*) quæ iis etiam incumbunt, qui extra domicilii locum bona poſſident, & proinde homagio reali tantum rei ſitæ ſuperiori domino tenentur, inde forenſes dicti; qui tamen in multis Germaniæ locis, quantum ad patrimonii onera, municipibus incolisve pares habentur. *vid.* Gail. *l.* 2. *obſerv.* 52. *num.* 17.

8. *Alia Imperii*) ut expeditio Romana, ſuſtentatio Cameræ, teique Circularis, & Comitiorum frequentatio.

9. *alia territorii*) quo inprimis præſidiorum & caſtellorum, item miniſtrorum Principis ſuſtentatio, &c. pertinent, de quibus §. 14. *h. c.* agitur, ubi tamen Animadv. jungantur.

§. 2. *niſi conſenſu Statuum*) prout Pac. Oſnabr. *art.* 8. §. 2. ſancitum.

2. *ſed collectis ſubditorum*) dummodo hi conſentiant, aut jus collectarum Statibus aliunde quæſitum ſit; quia alioqui collectas ex domanio deberi verius eſt; nec contrarium ex allegatis duobus Imperii Receſſibus evinci poteſt, dum ibi (1.) de

de onere extraordinario expeditionis Turcicæ agitur, a quo ad ordinarium expeditionis Romanæ onus, velut diverſum, nequaquam inferri debet; (2.) colligendi jus Statibus, quod domaniorum ſuorum tenuitatem obtenderent, tum ſigillatim datum eſſe expreſſe dicitur. Et quanquam ibidem additur, wie rechtmäßig Herkommen und Recht iſt, hoc tamen (3.) non eo pertinet, ut Statibus jus collectarum generatim quæſitum eſſe significetur; ſed ideo potius adjectum videtur, ne ab alio quoquam magiſtratu, quám cui rei tributariæ cura incumbit, prædictum expeditionis Turcicæ onus ſubditis injungatur; quemadmodum nec (4.) Noſtro quicquam ſuffragatur, cum Imperator Auguſtus *art. 19 Capitul. noviſſimæ* collectarum jura Statibus quæſita ſarta tecta ſe conſervaturum polliceatur, cum hæc ibi ad modum, per Receſſum Imperii de anno 1654. definitum, expreſſe reſtringantur; neque adeo ad expeditionis Romanæ collationem protendi debeant add. *§. 52. c. 23. &* *§. 1. c. 28.* & ibi Animadv. it. Anim. *ult. ad §. ult. h. c.*

§. 3. reſtitutus eſt uſus) ex cauſis, quas Schützius *l. 2. jur. publ. tit. 2. poſit. 13.* collegit.

§. 4. Quod dudum ceſſavit) de quo vid. *§. 2. & 3. c. 20.*

§. 5. accitis Imperii Principibus & Statibus) magis tamen ex prudentiæ, quam perfectæ obligationis regulis, quandoquidem jurisdictio in gravioribus non minus, quam levioribus negotiis ſoli Regi competit, nec usquam cum Proceribus communicata reperitur, excepta hodie Statuum proſcri-

ptione,

ptione, Cæſari & Proceribus conjunctim competente. Quemadmodum autem hinc evidenter patet, ſi quando in Comitiis de cauſis controverſis actum & judicatum eſt, id nunquam non ex libera Regis voluntate factum eſſe, neque aliter fieri potuiſſe, cum hic & proponendi & Proceres convocandi facultate polleat; *§. 9. & 34. c. 20. it. §. 30. c. 23.* ita nec hodie ejusmodi cauſas, invito Cæſare, ad Comitia trahi fas erit. add. Animadv. ad *§. 29. c. 20.*

2. ut liquet ex Speculo Saxon.) cui add. *tit. 3.* A. B. ubi Proceres cum Rege judicii habendi cauſa convenire dicuntur.

3. *inſtituto judicio Camerali*) quod tamen impedire non potuit, quominus de litibus quibusdam privatis aliquando ex Cæſaris placito in Comitiis ageretur. vid. R. I. de anno 1512, part. 2. §. Und nachdem Gottfried, Herr zu Limburg, Erbſchenck *&c. 28.* & alibi.

4. *ut nomine totius Imperii*) vide tamen Animadverſ. *2. ad §. 3 c 24.*

§. 6. *propriis ſumtibus*) qui non ex ſubditorum contributionibus, ſed ex domanio ſumi debent, ut in citato Imperii Rec. expreſſe ſancitum.

§. 8. *nec matriculæ inſerti ſunt*) ideo forte, quod Nobiles olim, cum adhuc præ aliis munera militaria obirent, ad hæc publice deſtinati, Imperium opera militari perſonaliter magis, quam ſubmiſſis aliis, vel collata pecunia, juvarent, eoque, eos

eos cum prædiis ſuis in cenſum publicum referri, nulla idonea cauſa ſubeſſe videretur.

2. *peculiari tractatione*) quia Nobiles immediati Comitiis non interſunt, eoque conſenſum Comitialem impertire nequeunt. Hinc neceſſe eſt, ut Imperator cum illis ſeparatim tractet.

3. *ſed vix eſt)* nec obſtat, plurimos Nobiles immediatos feuda mediata poſſidere, adeoque Imperio nexus beneficiarii nomine ad ſerviendum non teneri, quia, deficiente licet feudi vinculo, obligatio tamen ex ſubjectione & dignitate, quam Nobiles immediati ab Imperio habent, ſupereſt. Conveniunt ergo cum Statibus immediati Nobiles in eo, quod hi non minus ac iſti, neceſſitate vel ſalute publica exigente, ad expeditionem Romanam teneantur, horumque pariter ac illorum conſenſus neceſſarius ſit, ex priſca libertate populari ſcilicet; in hoc vero diſcrepant, quod hic aſſenſus a Nobilibus extra Comitia, a Statibus autem in Comitiis impertiatur. Ceterum vide Animadv. *ult. ad §. ult. h. c.*

§. 11. *non teneri ex Comitiorum decreto)* quia Hungariæ, Daniæ, Poloniæ, &c. Reges, cum adhuc Imperii milites ſeu vaſallos agerent, jure civitatis Teutonicæ carebant, nec ad Comitia, niſi extra ordinem, vocabantur; Rex Bohemiæ autem ex cauſis ſupra *Animadv. 2. ad §. ult. c. 1.* allatis, iis ſeſe abſtinere cogebatur; jam vero nemo Comitiali decreto hactenus comprehenſus intelligi poteſt, niſi qui Comitiis intereſt. vide ſupra *§ 9 & 10. c. 19.*

2. *nec inſeri)* quod ego quidem non capio. Etſi

Etſi enim prædicti Reges a ſubjectionis proprie dictæ oneribus immunes fuerunt, utpote Imperio ſolo fere feudi & fœderis inæqualis vinculo innexi; ſervitiis feudalibus tamen utique obnoxii habebantur, cum adhuc inter Imperii milites nomen profiterentur ſuum, & proinde, eos in cenſum publicum referri, cauſa non defuit. Unde mihi probabilius videtur, Hungariæ, Poloniæ & Daniæ Reges in matricula Imperii ideo omiſſos, quia quo tempore hæc condita, anno 1521. ſcilicet, ipſi directum Germanorum dominium non amplius agnoverunt; Reges Bohemiæ autem, quanquam adhuc Imperio feudi nexu obſtricti, immunitatem onerum obtenderunt; vid. §. *6. c. 7.* quibus tamen ſe nunc quidem obnoxios profitentur, ex quo in priſtinum Comitiorum jus reſtituti ſunt. Animadv. *2. ad* §. *ult. c. 1.*

3. *de conſenſu)* ubi ſcil. quid præſtandum, quod fidelitate feudali non continetur, ut ſi hoſtis ab Hungariæ finibus propellendus, de qua ſpecie citat. Imp. Rec. de anno 1500. loquitur.

4. *niſi ſi quid)* quanquam autem tum conſenſus vaſalli minime neceſſarius videtur, quippe qui jam feudi jure ad ſervitia militaria obſtrictus eſt; de modo & quantitate tamen cum eo tractari ſolet; qui tamen, quantum ad Bohemiæ Regem, nunc quidem ſatis certus & definitus eſt. vid. Animadv. *2. ad* §. *ult. c. 1.*

§. 12. *ſed in foro feudali)* quod in Curia Regis eſt, §. *7. c. 32.* quæ quod hujus ſumtibus ſuſtentatur, vaſalli hactenus immunes habentur.

2. *ad eos non pertinere)* excepto tamen Bohemiæ

hemiæ Rege, qui etſi Imperio ultra fidelitatem feudalem haud tenetur, nihilominus tamen 300. florenorum exſolutionem ad Cameræ Imperialis ſuſtentationem anno 1708. in ſe recepit, *d. Animadv.*

3. *cauſam a Ferdinando I. allegatam*) quæ ſpeciatim regnum Bohemiæ reſpicit, & quanquam hactenus ſatis fundata eſt, id tamen nunc quidem ſuſtentationi Cameræ ex pacto cum Imperio inito obnoxium habetur. add. §. *6. c. 7.*

4. *hoc onere teneri*) velut ſubditos eoque jurisdictioni Camerali obnoxios, cujus commodum qui ſentit, ejusdem onus etiam pro virili ut ſubeat æquum eſt.

§. 13. *onus eſt*) qua nimirum Imperii Status Comitia propriis ſumtibus frequentare tenentur, §. *6. h. c.* Nam quatenus Status cum Rege de præcipuis Imperii negotiis conſultant decernuntque, eoque ſummæ poteſtatis participes habentur, frequentatio Comitiorum jus, non onus, eſt.

§. 14. *ejus tuendi*) quo caſtellorum præſidiorumve, item miniſtrorum, qui Dicaſteriis præſunt, ſuſtentatio inprimis pertinet.

2. *ex reditu publico*) & ærarii quidem ſeu der Landſchaffts-Caſſe, ubi quid in præſidia caſtellave neceſſaria impendendum; domanii ſeu fiſci autem, ſi præterea quædam impenſæ neceſſariæ ſint, v. g. ad collegiorum juridicorum ſuſtentationem; niſi Status provinciales conſentiant, aut territorii Domino jus in ærarium publicum vel generatim, vel particulariter & quantum ad onera territorii tantum, legitime quæſitum ſit. vid. §. *52. c. 23.* &

ibi Animadv. item ad §. 2. *h. c.*

3. *publici reditus conſtituuntur*) vel Imperii autoritate, ut ante de præſidiorum caſtellorumque neceſſariorum impenſis dictum; vel Statuum provincialium conſenſu accedente, quoad reliqua territorii onera; vel a ſolo territorii Domino, ubi ærarii publici jura et legitime quæſita ſunt.

4. *de ſuo quid impenderit*) neque hoc ad uſum publicum expreſſe deſtinaverit; ſiquidem, hac deſtinatione accedente, impenſæ ex pecunia ſive patrimoniali ſeu privata, ſive fiſcali factæ, territorio accreſcunt, & proinde ab heredibus repeti nequeunt, ſed ſucceſſoris lucro ſunt, qui etiam ab impenſarum, ex ærario publico factarum reſtitutione immunis eſt, in iis nimirum provinciis, ubi ærarium a fiſco ſeu domanio diſtinctum eſt. add. §. *18. ſeqq. c. 27.* & ibi Animadverſ.

5. *Status jus collectandi habent*) modo cetera ſint paria, de quibus in *Animadverſ. præced. ad h. §.* dictum. add. omnino Seckendorf. Teutſcher Fürſten-Staat, *part. 3. c. 3. ſect. 7.* ubi quidem jus petendi collectas a ſubditis, velut imperfectum, ab exigendi poteſtate rectiſſime ſecernit, ita nimirum, ut regulariter iſtud ſolum ſingulis territoriorum dominis tribuendum ſit; hæc vero contra, ex priſca populari libertate, eis ademta prorſus cenſeri debeat; in eo tamen mihi a vero paululum deflectere videtur, cum contributionis petitionem ad ſuperioritatem refert, quam tamen, ſecundum vulgatum Germanorum proverbium, ad merum jus privatum, & imperfectum quidem, referendam eſſe

cenſeo

cenſeo. Et quanquam quibusdam in caſibus per publicas Imperii ſanctiones, ſupra *Animadv. ad* §.52. *c.* 23. allegatas, jus exigendi etiam ſingulis Statibus permiſſum ſit, quinimo alicubi plenius competat; id tamen privilegio magis, quam ſuperioritati territoriali adſcribendum eſſe puto, ut de Geranii, Stapulæ & aliis quibusdam juribus Noſter loquitur ſupra §.57. *d. c.* 23. Neque etiam ubique adverſus ſubditos, collectarum oneri aliquando ſe ſubtrahentes, domanii ſeu fiſci inopiam Dominos valide cauſari exiſtimo, tum præſertim, ubi ſuperfluis ſumtibus, vel aulæ ſplendori, nimium indulgetur; quandoquidem reditus ordinarii, ad domanium ſeu fiſcum pertinentes, dignitati regali tuendæ non ſolum, ſed oneribus publicis ferendis etiam, Statibus ab Imperio conceſſi intelliguntur. Ceterum harum collectarum provincialium & Imperialium diverſum jus & conditio eſſe videtur. Cum enim reditus regii ordinarii, olim ampliſſimi, ab interregni potiſſimum tempore, maximam partem Statibus paulatim accreverint, indeque Regi adhuc relicti valde tenues ſint, qui nequidem ſuſtentationi ejus, nedum gravibus oneribus publicis ſufficiunt; illi tributorum indicendorum jus, & perfectum quidem, neceſſitate vel ſalute publica exigente, competat neceſſe eſt, ita tamen, ut concluſum Statuum tum de juſta exactionis cauſa, tum de modo & quantitate, requirere obſtrictus habeatur, per §. 2. *art.* 8. pac. Oſnabr. add. omnino Capitul. noviſſ. *art.* 5.

Ad Cap. XXXI.

De Civibus mediatis.

§. 3.

O*Mnis docendi facultas penes Epiſcopos*) qua de re vid. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. c. 32.* Ubi notandum, Sacerdotes docendi munus obiiſſe, quamdiu res eorum tenues fuerunt; neglexiſſe autem & otio ſe dediſſe, poſtquam opibus aucti, hincque luxu immodico oppreſſi ſunt. Quæ cauſa eſſe videtur, quare Sacerdotibus in ſacris cum veteris tum novi teſtamenti litteris animi cootinentia & opum tenuitas tantopere commendetur. Unde Antiſtitum nimiam omnium rerum abundantiam, quantum fieri poteſt, extenuari, & ad decentem modum reduci, reipublicæ non magis, quam ipſius eccleſiæ ſalus poſtular.

§. 4. *in inania vocum nominumque litigia*) cujus rei potiores cauſæ fuerunt, cum ipſorum Sacerdotum ſupina bonarum litterarum veræque ſapientiæ imperitia, ex luxu immodico & inde invaleſcente otio potiſſimum enata; tum arcana ſtatus Pontificii ratio, quæ, ubi homines, profani inprimis, ad ſolidæ eruditionis fontes ducuntur, parum diuturna eſſe poteſt. Unde Sacerdotibus, cupidam bonarum artium juventutem inanibus vocum oominumque litigiis, quam veræ ſapientiæ præceptis divertere, conſultius viſum. Qua de cauſa diverſi Imperii Ordines in terris ſuis tum ſcholas illuſtres, quæ vulgo Gymnaſia nuncupantur,

tum

tum Academias inſtituerunt, quibus Papa magno ſuo malo autoritatem accommodavit, quod ego quidem ſingulari Dei providentiæ factum eſſe reor, cum exinde meliorum litterarum ſtudiis honos decens reſtitutus ſit, & religionis repurgatio initium ceperit.

2. *in locum cathedræ Epiſcopalis ſucceſſit*) Quemadmodum ergo ab Henrici V. ævo muneris Epiſcopalis confirmatio ad Papam ſpectare cœpit, *§. 20. 21. & 22. c. 18, item §. 5. & 6. c. 22.* ita non minus hujus autoritas neceſſaria viſa eſt, ſicubi ab eo tempore ſcholæ illuſtres vel Academiæ inſtituerentur; quibus tamen præterea Imperatoris confirmatio accommodanda fuit, ob honores ſcilicet, qui etiamnum Ejus nomine in Academiis conferendi ſunt, & conferri ſolent. Sed abrogata in terris Evangelicorum Pontificis Romani poteſtate in Academiis inſtaurandis ſolius Imperatoris conſenſus ſufficit. add. *§. 25. c. 23.*

§. 7. niſi exemti ſint ſpecialiter) quod quidem facile concedendum quantum ad eos Comites Baronesque, qui tantum dignitatem perſonalem habent, & in terris mediatis modica quædam prædia poſſident, quippe qui facile ſub jugum mediatum mitti potuerunt & revera miſſi ſunt; quod e contrario difficilius fuit quoad eos, qui dignitate reali mactati ſunt, eoque juſta territoria cum ſuperioritate territoriali poſſident. vid. Animadverſ. *6. ad §. 15. c. 21.*

§. 10 qui ſunt acceſſiones urbium) quod concedo de iis pagis, qui Weichbildo urbium annexi

ſunt, atque adeo harum patrimonio comprehenduntur; nego autem de aliis omnibus pagis, ut qui ab urbibus ut nomine, ita re etiam ſeparantur, & Præfecturis partim territorialium dominorum, partim Nobilium ſubſunt, & his quidem ſolo pacto emphyteuticario, iſtis autem territoriali inſuper jure tenentur, cui & ipſi Nobiles cum ſuis ſubditis, item urbes, in terris mediatis obnoxii ſunt. add. Animadv. 1. *ad §. 30. c. 15.* item Animadv. 3. *ad §. 2. c. 17.* & Animadv. 2. *ad §. 31. cap. 23.*

§. 11. *redituum cura commiſſa eſt*) Unde apparet, officia togata duplicis eſſe generis, litterata vel illitterata, ex quo nimirum litteræ in Germaniam invectæ ſunt; quandoquidem antehac omnia Germanorum officia togata illitterata fuerunt.

§. 14. *deſtinati ſunt Nobiles*) ex priſco Germanorum inſtituto videlicet, quod tamen poſtero tempore aliquantum immutatum eſt, poſtquam cives urbici ſeptimo clypeo-militari paulatim inſeri coeperunt. Quanquam enim hodieque ſoli Nobiles præcipuorum miniſteriorum palatinorum ſeu aulicorum capaces habentur; cives tamen officiorum & miniſteriorum militarium, velut paulo moleſtiorum, dudum participes effectos eſſe, experientia ſatis edocet.

§. 15. *Tribui immediatis quoque ſolet*) quando nimirum Nobilitas immediata generatim memoratur; ſiquidem, ubi ſpecialior ejus mentio injicitur, in Equites & ſervos eadem diſpeſcitur, prout Animadv. 3. *ad §. 12. c. 15.* ex Receſſ. Imp. probatum

batum dedi. Ceterum Equitum & ſervorum nobilium differentiam tradit Schilterus ibidem *Animadv. 2.* allegatus.

§. 16. *dicunturque Landſaſſii*) add. hoc loco Schilteri Commentatio *de Landſaſſiis*; *item de Amtſaſſiis & Schrifftſaſſiis*, quæ Exercit. ad *ff. 13.* ſubjuncta eſt.

§. 17. *ut Nobilibus comparentur*) add. Animadv. *ad* §. *18. c. 23.*

§. 26. *vel nativitate vel allectione*) conf. §. *3. c. 8.* & ibi Animadv.

2. *Phalburgeri*) quo nomine non præciſe homines proprii deſignantur, quanquam & hi Phalburgerorum numero venire potuerint; ſed homines liberi & cives, qui in ſua civitate perſtituri, alterius cujusdam civitatis jus quærunt, & hoc prætextu priſtinæ civitatis, in qua cum bonis ſuis perſiſtunt, onera detrectare audent, quemadmodum Phalburgeri clare definiuntur *cit. tit. 16. A. B.* ubi adde Schilt. *in not.*

§. 27. *non obtinet*) quantum ad jus civile commune videlicet, cujus partes poriores enumeravi ſupra Animadverſ. *ad* §. *13. c. 1.* quæ quod vulgo, ſed perperam, ab interpretibus ad jus naturale referantur, hujus vero peregrini non minus, quam cives, participes ſint, ideo cum peregrinis etiam facile in Germania adhuc communicatæ ſunt; ad jus provinciale & municipale, ſeu ſcriptum ſeu non ſcriptum, enim quod attinet, jus Albinagii omnino obtinet, ita nimirum, ut ubi provinciæ & civitates quædam diverſo jure utuntur, hoc invi-

çem ab altera adverſus alteram retorqueatur, quod fieri ſolet, cum v. c. Franci, Svevi aliique, in Saxonia res expeditorias, geradam, utenſilia, item fratris hereditatem, excluſis alterius fratris liberis, &c. capere volentes, ab hisce emolumentis, velut ex jure Saxonico deſcendentibus, repelluntur; quemadmodum viciſſim nec Saxonibus, in Franconia, Suevia & alibi, ubi jus commune ſervatur, moto creditorum concurſu, ſortem cum uſuris petentibus, hæ prius exſolvuntur, quam creditores ceteri omnes ſortem debitam acceperunt, dum idem in Saxonia obtinet, etſi jure communi unicuique creditori ſors ſtatim cum uſuris ſolvi debeat. vid. Schilt. *diſſert. de jure peregrinorum* §. 19. *ſeqq.* it. Struv. *Exercit. ad ff. 4. th. 84.* & Pagenſtecher *manip. 2. ſicilim. 41.* add. §. 53. *c.* 23.

2. *niſi jure talionis*) quo etſi provinciæ & civitates, diverſo jure gaudentes, adverſus ſe invicem facile utantur; quantum ad jus commune tamen ejus adverſus peregrinos ſeu extraneos, jure quamlibet diverſo utentes, rariſſimus in Germania uſus eſt, ut Animadv. præced. dictum. Exemplo eſto ſucceſſio teſtamentaria & legitima, cujus Galli, etſi peregrini, in Germania participes habentur, quanquam Germani ab utraque in Gallia penitus repelluntur, ut teſtatur Schilt. *c. l.* § 22.

3. *nequidem bona immobilia comparare poſſint*) ut in Polonia.

4. *ſucceſſiones*) a quibus tamen peregrinos injuſte excludi exiſtimat & propterea Gallorum hac in re iniquitatem accuſat Schilt. *cit. proxime loco*; ſed

ſed perperam, mea quidem ſententia. Neque e-nim negari poteſt, peregrinos a juris civilis communione juſte removeri poſſe, utpote quæ civibus uniuscujusque reipublicæ ſolum competit; ſed & præterea certiſſimum eſt, ſucceſſionem teſtamentariam & legitimam merum inventum civile eſſe, & proinde bona defunctorum ad fiſcum vel ærarium publicum lege naturali pertinere, ut argumentis invictiſſimis probat Illuſtr. Dom. Thomaſ. *Diſſert. de origine ſucceſſionis teſtamentariæ, & l. 2. fundament. juris nat. & gent. c. 10. §. 11 ſeqq. & ibi nov. addit.* Et quanquam Gallis in Germania jus ſucceſſionis minime denegatur; inde tamen iſti inviti ad idem rependendum a Germanis adigi nequeunt, qui adeo ſuæ facilitati & ignaviæ imputent, quod adverſus Gallos juſta talionis ratione non utantur.

AD CAP. XXXII.

De Judiciis, ubi de Auſtregis &c.

§. 1.

Subjecti ſunt judiciis) prout late demonſtravi Animadv. *2. ad §. 2. c. 29.*

§. 2. *Summa duo*) quorum utrumque Imperatorem refert, quo quia nemo ſuperior eſt, ideo a neutro eorum appellari poteſt; ſed gravatis, & a Camera quidem, Reviſionis; a judicio aulico autem, ſupplicationis remedium ſuppetit, quorum hoc quam illud longe facilius & expeditius eſt,

 dum

dum per ſupplicationem ſententia aulica a viribus rei judicatæ ſuſpenditur, quæ e diverſo per Reviſionis remedium in Camera impediri nequeunt; & præterea ſupplicatione interpoſita, a ſolo judicio aulico Reviſio actorum inſtituitur; ad quam in Camera inſuper Commiſſarii Cæſarei Statuumque Deputati neceſſarii ſunt, qui ſumtibus parcendis rariſſime conveniunt, eoque Reviſiones in ſuſpenſo manent, ut alia multa Cameralis Reviſionis incommoda nunc præteream. vid. Ordinat. Cameral. *part. 3. tit. 53. & 53.* R. I. de anno 1654. §. 124. *ſeqq.* Pax Oſnabr. *art. 5. §. 5.* Ordinatio judic. Imperial. aulici Ferdin. III. *tit. 5. §.* Daher ſich nun *&c. 6.*

2. *concurrentem habent juriſdictionem*) qui concurſus tamen ſiſtitur per præventionem, quæ per citationis inſinuationem inducitur. vid. dict. Ordinat. jud. Imper. aul. Ferdinandi III. *tit. 2. §.* So wollen wir auch *&c. 7.* it. Textor ad R. I. de anno 1654. *diſſert. 1. n. 60.* Blum. *de Proceſſu Cameral. tit. 25. §. 47. -54.* Et quamquam in judicio Camerali juriſdictio ſolius Imperatoris nomine exercetur, eam tamen prohibendo, vel inhibendo, aut cauſas avocando hic impedire nequit, prout R. I. de anno 1654. §. 165. & 166. item *art. 16.* Capitul. noviſſ. cautum eſt.

3. *certum fixumque judicium*) cujus rei plures cauſæ adferri poſſunt. (1.) enim Maximilianus I. pacis & tranquillitatis publicæ fuit ſtudioſiſſimus, cujus ſtudii nunquam ſatis laudandi teſtis omni exceptione major eſt juris manuarii abrogatio & perpetuæ

petuæ pacis publicæ ſanctio; ex qua (2.) maxime cauſarum forenſium diſceptatio excrevit, quibus omnibus cognoſcendis & judicandis Idem laudatus Imperator, utpote multis, iisque graviſſimis bellis diſtentus, vacare non poterat; ſed & (3.) numerum judicii aulici Aſſeſſorum tantæ litium forenſium multitudini parem conſtituere nimis ſumtuoſum erat. Quamobrem Ipſi judicium Camerale, adhibito communi Procerum placito, institui conſultius videbatur, quo & ſumtuum & litium moleſtia ex parte exoneraretur. vid. inprimis Ordinatio Camer. de anno 1495. *in præfat.* & Ordinat. judicii Imper. aul. Ferdin. III. *tit. 2. §.* So wollen wir auch 7.

4. *communi Regis ac Statuum nomine atque autoritate*) ubi iterum varia notanda ſunt: (1.) uti jurisdictio ſuprema indubie ſolius Cæſaris fuit ante institutum Camerale judicium, Proceribus tamen ſubinde, in cauſis gravioribus præſertim, ex prudentiæ regulis in conſilium accitis; ita eam etiamnum ſoli Imperatori competere; eoque (2.) Camerale judicium poteſtatem judiciariam non a Statibus, ſed a Maximiliano I. accepiſſe; & propterea (3.) Imperatorio tantum nomine, autoritate ac jure hodieque ibi jus dici; (4.) Proceres juſtitiæ adminiſtratione univerſali carere; proindeque nullam hujus partem judicio Camerali ab iſtis tribui potuiſſe; (5.) Procerum ſive conſilium ſive conſenſum in ejus constitutione a Maximiliano I. hujusque ſucceſſoribus adhibitum eſſe, tum quod hoc judicium communibus ſumtibus, qui invitis Statibus imponi nequeunt, ſuſtentandum fuit; Ordinat. Camer. de anno 1495. §. Von *Sportulis*

tuln und Belohnung der Gerichtsperſonen *16. it.* de anno 1500. §. *1.* tum quod Ordinatio Cameralis legislationis pars eſt, quæ a ſolo Rege, ſemotis Proceribus, expediri non potuit. quibus accedit & hæc ratio, quod juſtitiæ adminiſtratio, Imperatori per electionis pactum quæſita, tanquam res perſonaliſſima, maximique momenti, ab eo in judicium Camerale, inconſultis Ordinibus, transferri non debuit, nec potuit; (6.) etſi cum legislatio, tum onerum communium indictio & judiciorum mutatio Regi cum Proceribus communis ſit; iſtius tamen juſtitiæ adminiſtrationem propriam eſſe, nec adeo (7.) obſtare, jus præſentandi Aſſeſſores cum Electoribus, & qui his fere pares habentur, Auſtriæ & Burgundiæ Ducibus, ac Circulis communicatum eſſe; Præterquam enim, quod Judicio Camerali præſentatum ejusmodi vel confirmandi vel improbandi facultas nihilominus relicta ſit; vid. Ordinat: Cameralis de anno 1555. *part. 1. tit. 4. §. 3. ſeqq.* ejus inſuper inſtituti ratio eo potiſſimum ſpectare videtur, tum ut Imperii Ordines eo magis ad Judicii Cameralis ſuſtentationem alliciantur, tum ut jurium morumque particularium, qui pro variatum Germaniæ provinciarum diverſitate varii ſunt, peritiores, Imperatori forte ignoti, ei judicio facilius admoveantur, indeque Proceres, quantopere Regi ſuo ſalus publica curæ cordique ſit, certius intelligant; & quanquam (8.) in publicis Imperii ſanctionibus crebra mentio des Keyſerlichen und des Reichs Cammergericht occurrit, quin etiam aliquando hoc Imperatorem
&

& Imperium referre dicitur; Rec. Imp. de anno 1654. §. *195.* inde tamen nequaquam effici, juriſdictionis Cameralis Status cum Cæſare participes eſſe, dummodo adminiſtratio vel gubernatio, quæ Regis eſt, a proprietate & ſubſtantia, ad populum ſpectante, rite diſcernatur, prout Noſter generatim præcipit ſupra; *§. 16. ſeqq. c. 9. item §. 3. c. 21.* Quinimo nec (9.) diverſæ ſententiæ autoribus ſuffragari, quod ſententiarum Cameralium Reviſiones Commiſſarii Cæſarei & Deputatorum Imperii Ordinum, ipſiusque Judicii ejus Aſſeſſorum communi opera peragantur; cum neminem rerum Cameralium paulo peritiorem lateat, ea omnia nomine Cæſaris fieri, proindeque Status hactenus miniſterium ſuum duntaxat iſti accommodare; niſi qua per novam legislationem judicii Cameralis nævi a Viſitatoribus emendantur, vel decreta communia confirmantur. vid. Ordin. Cam. de anno 1495. *§. ult.* item de anno 1555. *part. 2. tit. ult.* & R. I. de anno 1654. *§. 135.* Ceterum cum diſſentientes tum conſentientes nominatos habes apud Illuſtr. Domin. de Ludolph *in Comment. de jur. Camer. ſect. 1. §. 1. n. 3. ſeqq.*

5. *in quam tunc omnis judicandi facultas collata videtur*) quod quanquam verum eſſet quoad juriſdictionis Cameralis amplitudinem, ita nimirum, ut Camerale judicium regulariter de omnibus cauſis controverſis pariter ac ipſum judicium Imperiale aulicum cognoſcere & judicare poſſit; difficulter tamen perſuadebitur, quantum ad ipſum transferendi modum. Quis enim credat, Imperatorem omni juris in aula ſua dicundi poteſtate ſe ab-

abdicaſſe, & judicio Camerali detuliſſe, niſi id expreſſa aliqua Ejus ſanctione vel declaratione evidenter probetur? Tantum vero abeſt, ut talis vel ſanctio vel declaratio oſtendi queat, ut potius contrarium ex Rec. Imp. poſteriori de anno 1512. §. Zum dritten, nachdem täglich der Partheyen Händel und Sachen aus dem Reich an unſern Keyſerlichen Hof wachſen *&c. 8.* evidenter appareat, ubi Maximilianus I. Imperator cauſas controverſas, ad aulam ſuam poſt inſtitutum judicium Camerale delatas, octo Conſiliariis ibi conſtitutis in conventu Ordinum commiſit, addita ratione, quod Ipſe ejusmodi cauſis cognoſcendis & decidendis, ob gravia impedimenta bellica, vacare nequeat. Unde probabilius videtur, judicio Camerali a Maximiliano I. jurisdictionem aulicam non privative, ut Noſter hoc loco ſentire videtur, ſed cumulative, datam eſſe; quod & exerte aſſeritur a Rudolpho II. in reſponſione ad Palatinum, Saxonicum & Brandenburgicum Electores apud Illuſtr. Dom. de Ludolph *in Comment. de jure Cameral. ſect. 1. §. 1. num. 16. p. m. 15. ſeqq.* & præterea Ordinat. Imperial. aul. tit. 2. §. So wollen wir auch *&c. 7.* Nec adeo quenquam in contrarium moveat, quod in Ordinatione Camerali de anno 1555. ubi de appellationibus a judiciis inferioribus agitur, ſemper judicii Cameralis, nunquam vero aulici Imperialis, mentio injiciatur; cum id a Carolo V. Imperatore, perpetuis itidem iisque graviſſimis bellis diſtracto, eodem animo, qui deceſſori Ejus, Maximiliano I. fuit, factum cenſeri debeat,

quo

quo ſcilicet judicium aulicum litium multitudine aliqua ex parte exoneraretur.

§. 3. *maximè ſub Ferdinando I.*) ſed vid. Animadv. *ult. ad §. praeced. 2. h. c.* ex qua ſatis abundeque liquet, judicium Imperiale aulicum per Cameræ Imperialis inſtitutionem neque a Maximiliano I. neque a Carolo V. Auguſtis Imperatoribus ſublatum, ſed contra perpetuo continuatum eſſe; quanquam iſtud a Ferdinandi I. ævo potiſſimum novam formam externam accepiſſe negari nequit. add. omnino Illuſtris Dominus Baro de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 5. ſect. 1. §. 8. ſeqq.*

2. *permiſſa eſt*) add. Capitul. noviſſ. *art. 24. & 25.*

3. *approbata*) ab Ordinibus Imperii videlicet. Quanquam enim jurisdictio aulica ſine controverſia ad ſolum Imperatorem ſpectat; non eo minus tamen Ordinatio judicii Imperialis aulici cum conſenſu & approbatione Statuum condi debet, quia legislationis pars eſt; hæc vero ad negotia Comitialia pertinet, & a jurisdictione ſedulo diſtingui debet. add. Capitul. noviſſ. *art. 16. extr.*

§. 7. *quæ plane non pertinent ad Cameram*) ſed ad judicium Imperatoris aulicum potiſſimum. Ex quibus, quod ſupra §. 2. *h. c.* de concurſu hujus & Cameralis Auguſtiſſimi judicii dictum, limitandum eſt.

2. *Criminales*) ad pœnam ſcil. vel capitalem vel corpus affligentem tendentes. Quæ ergo tales non ſunt, ſed leviores, appellationem ad Cameram, vel judicium Imperiale aulicum, omnino ad-

admittunt'; quemadmodum in cauſis criminalibus prioris generis etiam appellationes ad utrumque hoc judicium permittuntur, ubi quid a judice inferiori contra juris ordinem factum. Ceterum quod jam de reſtricta appellandi facultate dictum, ad cauſas ſubditorum mediatorum criminales tantum ſpectat; ſiquidem ad cauſas ſubditorum immediatorum criminales quod attinet, in hisce ſolus Imperator judex eſt, niſi quatundam judicium vel cum Camera, vel cum univerſis Statibus, ab Imperatore per leges publicas communicatum ſit, ut apud Autorem ſequitur. vid. Ordinat. Camer. *part. 2. tit. 28.* §. Item, nachdem auch *&c. 5.* add. omnino Illuſtr. Dominus Baro de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 6. §. 21. 23. 24. & 25.*

3. *& quoties de proſcriptione Status agitur*) ubi hodie jurisdictio Cæſari cum Statibus communis eſt. vid. §. *15. c. 23.* & ibi Animadv.

4. *uti fracta pacis*) & generatim omnium cauſarum fiſcalium, quæ Ordinat. Camer. *part. 1. tit. 20.* definiuntur, & ad utrumque judicium Auguſtiſſimum pertinent, vid. *§. 16. h. c.*

5. *in conventu Principum*) quod ſecundum Capitulation. noviſſ. *art. 20.* concedo de unico caſu, ubi de proſcriptione Status agitur; ceterum vero negandum puto, quandoquidem ſuprema jurisdictio Imperatoria tum civilis, tum criminalis, generalis & libera eſt, & proinde cum Statibus univerſis communicata dici nequit; niſi qua communicatio ejus in legibus fundamentalibus expreſſe

Google

preſſe continetur, quod de unica proſcriptionis cauſa certo probari poteſt. Unde quoad alia ſive Principum ſive aliorum ſubditorum immediatorum crimina, quibus proſcriptionis pœna ſtatuta non eſt, regulæ inhæreri, eoque jurisdictio criminalis hactenus ſoli Cæſari relinqui debet. Nec Autorem noſtrum quicquam juvant Speculum Svevicum & Conſtitutio Friderici II. ſed potius pro noſtra ſtant ſententia. In iſto enim rotunde & ſine ulla reſtrictione dicitur: Uber der Fürſten Leib und über ihr Geſind, ſoll niemand Richter ſeyn, ehe dann der König; in hac autem itidem expreſſe ſancitum: Der Hoffrichter (Comes Palatinus) ſoll die Leut richten, die ihm klagen von allen Leuten, ohne Fürſten und andere hohe Leute, wo es gehet an ihr Leib, oder an ihr Ehr, oder an ihr Recht, oder an ihr Erb und Lehen, die wollen wir ſelber richten. Quod iisdem fere verbis in R. I. Herbipolit. de anno 1287. apud Lehmann. *l. 5. Chron. Spir. c. 108. p. m. 557. b.* reperitur. Ex quibus manifeſtum fit, ejusmodi cauſarum judicium ibi raotum Comiti Palatino interdictum; minime vero cum Statibus univerſis etiam commuoicatum eſſe, ſed ſoli Imperatori tribui; quanquam hunc aliquando pro cauſæ gravitate Parium Curiæ conſilio ex prudentiæ regulis uſum eſſe ultrn concedo, neque hactenus decantatum illud antiquum Parium jus negari poteſt. add. Pax Oſnabr. *art. 5. §. 55.*

6. *in loco delicti & domicilii*) quanquam non negarem, apanagiatum, nulla dignitatis illuſtris

 tatione

ratione habita, delicti commiſſi foro, ſi ibi apprehendatur, ſubjici; idem tamen de foro domicilii, ubi apanagiatus non deliquit, dicere non auſim, propterea, quod huic foro nemo, niſi ſubditus, obnoxius eſt; pro quali apanagiatus haberi nequit, quippe qui ex cauſis civilibus conventus, ut immediatus, Auſtregarum jure gaudet, & proinde in cauſis criminalibus etiam a ſubjectione territoriali, velut individua, immunis cenſeri debet. vid. Animadv. *1. ad* §. *9.* & Animadv. *3. ad* §. *15. c. 27.*

7. *appareat aut probari poſſit)* verum ſatis jam apparet & probatur ex iis, quæ Animadv. proxima adnotavi & allegavi. Unde & aſſerendum videtur, apanagiatum Principem ne judici loci quidem, ubi delinquitur, ſubjici, etſi majoris tumultus cauſa eum ad tempus cuſtodiri, aut abitum ei indici poſſe negari nequeat. Si enim ſuperioritate territorii, ubi Princeps apanagiatus domicilium habet, eximitur, ob eximiam dignitatem perſonalem ſcilicet; multo minus loci, ubi delictum committitur, magiſtratui, ob commorationem temporariam, obnoxius haberi poterit. Repetatur omnino Animadv. *5. ad h.* §. ſecundum quam apanagiatos inferioris ordinis, aut Nobiles immediatos, delicti commiſſi foro ſubjici, facile concedo.

8. *Alii Auſtregis forum hoc tribuunt)* quæ ſententia admitti poteſt, quando adverſus apanagiatum ex delicto civiliter agitur, per Ordinat. Cameral *part. 2. tit. 2.* §. *1. ibi:* Spruch und Forderung, quibus verbis actiones civiles omnes, juriſdictione Camerali primæ inſtantiæ exemtas, comprehendi

prehendi exiſtimo, neque implorationis officii judicis & actionum nominatarum, item imperii & jurisdictionis diſcrimen, utpote jure Romano inductum, nec ad fora Germanorum ſatis accommodatum, ubiq; agnoſco. Quodſi autem criminaliter ad vindictam publicam agatur, jurisdictio Auſtregalis ceſſat, & proinde ſupremæ Imperii; ſecundum diſtinctionem ſupra Animadv. *2. ad h. §,* adhibitam, locus eſt. Diſſentit ex parte Illuſtr. Dom. Baro de Lyncker *de gravam extrajud. c. 5. ſect. 1. §. 13.*

9. Alii Cameræ) quorum ſententiæ & ego ſubſcribo quantum ad cauſas immediatorum criminales, quæ per ſanctiones Imperii publicas judicio Camerali ab Imperatore permiſſæ ſunt; ita tamen, ut in his etiam judicium Imperiale aulicum concurrat, eoque præventioni locus ſit. Ceteræ enim cauſæ criminales indubie ad ſolam aulam Cæſaream ſpectant, niſi ad pœnam proſcriptionis infligendam agatur, ubi hodie judicium Parium obtinet. vid. Animadv. *2. & 3. ad h. §.*

§. 8. *Eccleſiaſtica*) quippe quæ, quoad eſſentiam, neque ad Cameram neque ad judicium Cæſaris aulicum in prima vel ſecunda inſtantia deferri poſſunt, ex quo jurisdictio eccleſiaſtica ab Henrici V. ævo ad Papam translata, atque hinc ab Imperio abalienata eſt, qua de re ſupra §. *20. 21. & 22. c. 18.* actum. Sed vide Animadv. *ſeqq. 3. 4. 5. & 6. ad h. §.*

2. *& matrimoniales*) velut cauſarum eccleſiaſticarum generatim acceptarum ſpecies, ſecundum juris Pontificii placita videlicet, quo matri-

monium ſacramentis rebusque ſpiritualibus accenſetur, eoque imperio profano, ampliandæ jurisdictionis ſacræ Papalis ergo, eximitur.

3. *Evangelici nullum)* ſed ſi dicendum quod res eſt, ſalvis tamen publicis Imperii legibus & moribus, ſalvisque Statuum Evangelicorum Juribus quibuscunque, huic ſententiæ, quanquam valde vulgari, graviter obſtare videtur, quod (1.) Evangelici juris Canonici decreta erronea hac in parte penitus reſpuant, eoque nec (2.) cauſas ſpirituales & judiciis profanis exemtas agnoſcant, ſed quascunque controverſias ſuper quibuscunque ſeu profanis ſeu eccleſiaſticis rebus ad poteſtatem ſecularem ſpectare contendant, & rectiſſime quidem, ſecundum ea, quæ Noſter docuit ſupra §. *29. & 31. c. 18. it. §. 15. c. 22.* & ego ibi in Animadv. quibus jungatur Animadv. *ad §. 3. ejusd. c. 18.* (3.) ſacra Statuum Evangelicorum poteſtas Superioritati territoriali cohæreat, hæc vero ab Imperio dependeat, adeoque nusquam ſumma, ſed e contrario ubique dependens & ſubalterna ſit. Quæ argumenta prædictæ vulgari ſententiæ opponit Illuſtris Domin. de Ludolph *in Comment. de jure Cameral. ſect. 1. §. 14. num. 31. p. m. 216. ſeqq.*

4. *quæ ſola ſuperior fuit)* a temporibus Henrici V. videlicet; ante enim poteſtas ſumma eccleſiaſtica penes Imperium fuit, ut Noſter late demonſtravit ſupra §. *6. 7. 8. 9. 10. & 36. c. 18.*

5. *ſuſpenſa atque ſublata fuerit)* a quo tempore Noſter Statibus Evangelicis ſummam & independentem poteſtatem eccleſiaſticam quæſitam eſ-

ſe

ſe exiſtimat; quæ contra Imperio poſtliminio reſtituta videtur laudato aote Illuſtri Domioo de Ludolph *c. l.* quinimo Noſtro etiam ſupra *§. 27. c. 18.* Statibus Evangelicis interim poſſeſſionis vel quaſi juri inſiſtentibus.

6. nec alia, vel Camera vel Regis, ſubſtituta) quod quidem de explicita ſubſtitutione certum eſt; ſed implicita tamen exinde deduci poſſe videtur, quod Superioritas territorialis, cui Statuum jus ſacrum connexum, ſubalterna & dependens eſt; & præterea ſuprema poteſtas eccleſiaſtica aute Henricum V. penes Imperium fuit.

7. Conſiſtoriis ſuis, vel compromiſſo) neque enim in ejusmodi cauſis Auſtregis locus eſſe poteſt, quoad ſuprema Imperii juriſdictio eo noo porrigitur. Eſt enim certiſſima juris regula: *Quæ cauſa non pertinent ad Cameram, ea nec coram Auſtregis agi poſſunt.*

8. *nec opus habent diſpenſatione*) quod neceſſario ex præmiſſa Autoris, da ſumma Statuum Evangelicorum facta poteſtate, ſententia ſequitur. Quodſi vero Illuſtris Domini de Ludolph & aliorum quorundam dubitandi rationes, ante memoratas, adſumas, diſpenſatio neceſſaria eſſe videtur. vid. *§. 5. c. 29.*

§. 9. *Secus eſt*) addatur omnino Illuſtris Dominus Baro de Lyncket *de gravam. extrajudiciali c. 6. §. 26. ſeqq.* ubi hæc pluribus illuſtrantur.

§. 11. *Cauſa fractæ pacis publicæ*) de cujus uſu moderno add. Illuſtr. Domio. de Ludolph *in Commentat. de jur. Cameral. ſect. 1. §. 5.*

2. *vi propria vindicandi, vel illatæ injuriæ ulciſcendæ*) add. omnino Pax Oſnabrug. *art. 17. §. 7.*

§. 12. *delicti*) cui ſcil. pœna banni ſeu proſcriptionis per leges Imperii ſtatuta eſt, ut perduellioni, violationi pacis publicæ, item executionis Imperialis, Anabaptiſtarum receptationi &c. vid. Ordin. Cam. *part. 2. tit. 20. §. 5. & 6.* R. I. de anno 1654. *§. 15. item 161. & 162.* Pax Oſnabrug. *art. 17. §. 4.* & Noſter *§. præced. 11. h. c.*

2. *vel contumaciæ*) quæ tamen banni ſpecies abrogata eſt per R. I. de anno 1654. §. Würde hierauff nun der citirte, *&c. 36.* & Capitulation. noviſſim. de anno 1711. *art. 20.*

3. *priore banno*) delicti ſcilicet, de quo ſupra Animadv. *2. ad §. 5. c. 24.* actum.

4. *Poſteriore*) banno contumaciæ nimirum, quod abrogatum diximus ante.

§ 13. *Ea pax tractata eſt*) jungatur Schulteri libell. *de Pace Religioſa.* Scilicet Ordines Evangelici, cum religionem in territoriis ſuis autoritate propria ſecundum ſacrarum litterarum normam repurgare inciperent, tum bona quædam eccleſiaſtica, tum jus diœceſanum & jurisdictionem eccleſiaſticam, quod ante Epiſcoporum fuerat, ſua fecerant, quod Pontificii Sacerdotes ad intolerabilem injuriam ſuam & contra Pacem publicam factum ajebant, ideoque reſtitutionem poſtulabant; quam cum Evangelici Status detrectarent, ad arma ventum, quibus utrinque ancipiti fortuna diu certatum eſt, donec tandem tranſactio Paſſavienſis & porro plenior pax religionis iniretur, qua Evangelici

ſint in jure Sacrorum, ante privata autoritate ſibi aſſerto, ſanctione publica defenſi ſunt, fractæ pacis profanæ pœna in violatores ejus protenſa.

§.15. *etiam contra proprium magiſtratum*) ita nimirum, ut hoc caſu etiam adverſus magiſtratus, afflictis ſubditis petentibus, mandata inhibitoria decerni queant, prout expreſſe ſancitum *cit. Rec. Imp. de anno* 1654. §. 193. quanquam alias mandata pro ſubditis contra magiſtratum non adeo facile locum inveniant, ſed ſubditi vel ad Auſtregas remittantur, vel, ubi jurisdictio Imperii ſuprema fundata, prius umb Bericht an die Obrigkeit ſcribatur, quam ad mandata deveniatur, præſertim ſi querelæ ſubditorum jura territorialia attingunt. vid. R. I. de anno 1594. §. So ſoll auch zum fünfften *&c.* 79. Capitul. noviſſ. *art.* 19. & Rec. Viſit. Camer. de anno 1713. §. 10. & 11.

§.16. *Add. Bluhm. Roding.*) & inprimis Illuſtris Dom. de Ludolph. *Comment. de jur. Cameral. ſect.* 1. §. 6. ubi cauſæ fiſcales a Blubmio & Rodingio ſpeciatim recenſitæ exacto judicio expenduntur. Ceterum hic notetur velim, in cauſis fiſcalibus ſupremam Imperii jurisdictionem primæ inſtamiæ fundatam eſſe, etſi reus ſit mediatus, per *§. 11. h. c.* & proinde jus de non evocando, hodie omnibus promiſcue Statibus, velut commune, competens, in ejusmodi cauſis, ad procuratoris Fiſcalis officium pertinentibus, fruſtra obtendi.

§.17. *ſi duo immediati contendant de jurisdictione*) quo in caſu, durante contentione, interim pupillis, tanquam perſonis miſerabilibus, tutor a Camera, vel judicio Imperiali aulico, datur. vid.

Deputations-Abſchied de anno 1600. §. Wenn zwiſchen zweyen unmittelbaren *&c. 26.*

2. *in Camera non obtinet*) quod tamen Illuſtr. Domin. de Ludolph ad perſonas miſerabiles mediatas reſtringit; immediatis autem d. l. unicæ *C. Quando Imperator inter pupill.* beneficium adverſus Auſtregas omnino tribuendum eſſe docet *Comment. de jur. Camer. ſect. 1. §. 2. num. 25.* add. Illuſtr. Dom. Baro de Lyncker *de gravamine extrajud. c. 5. ſect. 2. §. 13. num. 4. ſeqq.*

§. 18. *Cauſæ mandatorum ſine clauſula*) quas omnium accuratiſſime definit, &, ut alia pleraque, ſolido judicio expendit ſæpe laudatus Domin. de Ludolph. *c. l. §. 10. p. 101. & multis ſeqq.* ubi etiam mandatorum cum clauſula indoles exponitur. Quantumvis autem mandata ſine clauſula a ſummis Imperii Judiciis adverſus ſubditos mediatos regulariter decerni non debeant; hujus tamen regulæ duodecim exceptiones traduntur apud Illuſtr. Dom. Baron. de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 29. part. 2. §. 49.*

2. *Relaxationis juramenti ad effectum agendi*) conf. ſupra §. *22. c. 23.* & ibi Animadv. ubi de relaxatione juramenti ad effectum agendi generatim actum; hoc loco autem ea conſideratur, quatenus contra immediatum in Camera vel aula Imperatoria, omiſſis Auſtregis, petitur.

3. *Legis Diffamari*) cujus remedii uſus etſi jure communi ampliſſimus ſit, jure Camerali tamen valde coarctatus eſt, ad diffamationes de fracta pace quippe reſtrictus, indeque cum ipſis cauſis

fractæ

fractæ pacis, hodie ſaltem, ubi jus manuarium penitus exterminatum, rariſſimus, ut Illuſtr. Dom. de Ludolph teſtatur *c. l. §. 11.* Ceterum hoc judicium duplex eſt, unum præparatorium, in quo diffamatus actor eſt; alterum principale, ubi contra diffamans actoris vices ſuſtinet, & utrumque in Camera vel aula Imperatoria peragitur, ubi vel diſfamatus jure Auſtregarum caret, vel cauſa ex ſua natura ad ſupremam Imperii jurisdictionem ſpectat; ſecus autem, præparatorio judicio ibi finito, principale ad Auſtregas remittitur.

4. *Denegata protractaque juſtitia*) vid Animadv. *2. ad §. 13. c. 23.* ubi protractæ & denegatæ juſtitiæ diſcrimen expoſitum eſt; & add. Illuſtr. Dom. Baro de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 3. part. 2. ſect. 1. membr. 1. §. 1.* Ex quo apparet, nequidem eorum Sratuum, qui privilegio de non appellando gaudent, jurisdictionem civilem ſupremam eſſe, utpote provocationi ex cauſa protractæ & denegatæ juſtitiæ, item nullitatis proceſſus quæ ſit, obnoxiam.

5. *etſi perperam*) ſiquidem tum non querelæ de denegata juſtitia, ſed ordinariis remediis vel appellationis vel nullitatis &c. locus eſt.

§. 19. *Ex conſtitutione de litigioſa poſſeſſione immobilium*) quo de remedio inprimis add. Illuſtr. Dominus de Ludolph *Comment. de jur. Cameral. c. l. §. 7.*

§. 20. *Ex conſtitut. de pignorat.*) add. Idem Dom. de Ludolph *c. l. §. 8. mem. 3. ſeqq.*

§. 21. *Ex Conſtit. de Arreſtis*) quæ ex poſterioribus

 rioribus

rioribus Imperii legibus latiùs explicatur in Conc. Ordin. Cameral. *part. 2. tit. 24.*

§. 22. *ſi de nullitate*) quare nec juriſdictio Statuum criminalis ſumma & independens haberi poteſt, junctis præſertim iis inſuper reſtrictionibus, quæ ſupra *Animadv. 12. ad §. 7. h. c.* adnotatæ ſunt.

§. 25. *niſi in caſibus exceptis*) ſed hoc Ordinationi Camerali *part. 2. tit. 27.* manifeſte repugnat, ubi e contrario dicitur, regulariter omnes immediatos juriſdictioni Camerali, & proinde Imperiali aulicæ etiam, in prima inſtantia ſubeſſe, niſi qui vel lege Auſtregarum, vel alio quopiam privilegio, inde exemti ſunt. vid. omnino Textor *ad Receſſ. Imperii de anno 1654. Diſput. 2. §. 41.*

§. 26. *Auſtregæ, ſeu primæ inſtantiæ immediatorum*) quarum originem plerique ſimpliciter à turbulento interregni magni tempore deducunt, quod tamen ad Auſtregas conventionales reſtringit, Auſtregarum legalium ordinationem autem Maximiliano I. tribuit Schwveder *in Introd. in jus publ. part. ſpeciali ſect. 2. c. 17. §. 5.* item Textor *ad R. I. de anno 1654. Diſput. 3. §. 2. ſeqq.* Quæ poſterior ſententia valde probabilis videtur, dato ſcilicet, Alberti II. de Imperii in quatuor Circulos diviſione conſtitutionem ſupra *§. 1. c. 4.* & infra *append. 3. c. 33.* allegatam, ubi jam quædam Auſtregarum legalium ordinatio habetur, intra promulgationem publicam ſubſediſſe, ut Noſter ibid. contendit.

§. 27. *non tamen ambigimus idem jus eſſe*) ſed graviter tamen obſtat, quod juriſdictio Auſtregalis

galis ad exceptiones regulæ ſupra *Animadv. ad §. 23. h. c.* traditæ pertineat, eoque ad caſus in Ordinatione Camerali omiſſos protendi nequeat. Conſentit Illuſtr. Dom. Baro de Lyncker *de gravam. extrajudic. c. 5. ſect. 1. §. 12.*

§. 28. *quibusdam civitatibus data ſunt*) quibus ergo civitatibus immediatis datæ non ſunt per privilegium Cæſareum ſingulare Auſtregæ, his omnino carent, a quocunque etiam conveniantur. Ratio eſt in Animadv. *ad §. praeced. 27. h. c.*

2. *in aulico judicio perinde ac in Camera*) add. Pax Oſnabr. *art. 5. §. 56. extr.* & Capitul. noviſſ. de anno 1711. *art. 18.* ubi Imperator Auguſtus, ſe Auſtregis ſive conventionalibus ſeu gentilitiis, ſive legalibus, neque per avocationes, neque reſcripta, neque commiſſiones, neque mandata, aut ullo alio modo, quicquam detracturum, fidem ſuam obſtringit. A quo tempore ſaltem non amplius meretur applauſum illorum ſententia, qui judicium Imperiale aulicum cum Auſtregis cumulative concurrere ſtatuunt, quos propterea recte refutat Textor *ad R. I. de anno 1654. Diſput. 3. §. 22. ſeqq.* Add. Animadv. *3. ad §. 31. h. c.*

§. 29. *Non ſunt delegati Principis vel iis ſimiles*) ſed magis arridet contraria ſententia, pro qua etiam Illuſtris Dom. de Ludolph propugnat *Comment. de jure Camer. ſect. 1. §. 3. num. 5.*

2. *Nec arbitri*) quia hi per merum pactum conſtituuntur, & proinde nec propriam, nec alienam juriſdictionem habent; Auſtregales autem judices juriſdictione per leges publicas approbata,

etſi

etſi Imperatoria eoque aliena, vere gaudent. Adhæc cuilibet liberum eſt, arbitrium in ſe recipere velit nec ne; at electo a partibus litigantibus judici Auſtegali ea libertas nequaquam relicta eſt, ſed judicis partes ſuſcipere jubetur per Ordinat. Camer. *part. 2. tit. 2. §. 2.* niſi habeat juſtas excuſationis cauſas.

2. *inſtar eorum fiant*) quod ego quidem non video. Etſi enim judicium Auſtregarum præcedente partium litigantium electione & requiſitione conſtituatur, electo tamen vera jurisdictio competit, quam ei regulariter repudiare nequaquam licet; quod contra arbitro electo ante acceptationem permittitur.

3. *ſed veri judices*) ſed tales etiam ſunt delegati Principis, utpote & cognoſcendi & judicandi poteſtate inſtructi, uti judices Auſtregales. *§. 32. extr. h. c.*

4. *lege dati*) qui tamen jurisdictionem alienam, & Cæſaris quidem, exercent, hincque Commiſſarii Cæſarei dicti. Quod uti de Auſtregis legalibus certum eſt; ita nec quoad conventionales in dubium vocari poteſt, dum hæ perinde ac iſtæ autoritate publica approbatæ ſunt per Ordin. Cameral. de anno 1495. tit. Wie Churfürſten, Fürſten und Fürſtmäßige einander zu Recht fordern ſollen, *§. 25. ibi:* Welche ſonderlich Gewillkührt rechtliche Austräg gegen einander haben, der ſollen ſie ſich, laut derſelben, gegeneinander gebrauchen; & Ordinat. Camer. de anno 1555. *part. 2. tit. 2. §. 1.* ubi eadem verba repetuntur. Absque

qua

qua approbatione ſi feret, Auſtregarum conventionalium jurisdictio nulla prorſus & inanis eſſet, cum in immediatos juris dicundi poteſtas nemini præterquam Cæſari competat, cui adeo per privatorum pacta, quibus Auſtregæ conventionales conſtituuntur, derogari nequit. Nec obſtat, quod ſupra *Animadv. ad* §. 26. *h. c.* diximus, has Auſtregas jam ante Maximilianum I. in uſu fuiſſe; quandoquidem ſolus præſcriptionis titulus, quo forte una vel plures illuſtres familiæ Auſtregas ſuas gentilitias vel familiares ſuffulcire queunt, adverſus Imperium vel Imperatorem valere nequit, ut jam aliquoties ſupra adnotavimus. vid. *Animadv. ad* §. 37. *c. 5 it. ad* §. 19. *c. 6.*

5. *eoque ſenſu Commiſſarii Cæſarei*) qua titulo Judices Auſtregales ideo potius inſigniuntur, quia jurisdictionem a Cæſare ſibi delegatam exercent.

§. 30. *ut a parte*) ut ſi Princeps debiti ſolutionem detrectet, aut in ſuam utilitatem, omiſſo juris ordine, ſubdito quid auferat, vel hunc in jure quæſito turbet, quo in caſu Princeps coram Auſtregis conveniri debet, nec appellationi extrajudiciali ad Cameram vel aulam Cæſaream locus eſt, ut quæ tum demum obtinet, quando ſubdito Princeps, qua judex, gravamen extrajudiciale infert, ad alterius petitionem & utilitatem, vel etiam ex officio in cauſis criminalibus, contra juris ordinem quid decernendo; ubi ſubdito ad ſuperiorem provocanti privilegium de non appellando fruſtra objicitur, quandoquidem utrobique nullitas proceſſus committitur,

mittitur, gravato juſtam provocandi cauſam adverſus ejusmodi privilegiatum etiam porrigens. vid. Animadv. *4. ad §. 13. c. 14.* item Animadv. *2. ad §. 13. c. 23.* & Animadv. *2. ad §. 7. h. c.* add. Gail. *l. 1. Obſ. 120.*

2. *non vero civitates*) quæ a quocunque conventæ ex communi Ordinationis lege nunquam Auſtregarum jure gaudent, niſi hoc eis per privilegium Cæſareum ſpeciatim indultum ſit. repet. §. *28. h. c.* & ibi Animadv. *1.*

§. 31. *Principe electo*) ab utraque litigantium parte ſcilicet, qui tamen nihilominus Commiſſarius Cæſaris eſt & dicitur, qua hujus jurisdictionem generatim mandatam exercet, & a Commiſſario a Cæſare auf die Außträg ſpeciatim dato in eo differt, quod hic a ſolo actore eligatur, atque ita electus a Cæſare ad iſtius decentem petitionem confirmetur.

2. *Coram Commiſſario Cæſaris* auf die Außträg) qui in eo quidem cum Commiſſario mere aulico, Vom Hof aus, convenit, quod uterque a ſolo Cæſare, & ad totam cauſam quidem, detur, qualis Commiſſarius a Camera nunquam conſtitui poteſt, quippe quæ commiſſionem ad certum proceſſus actum, v. c. examen teſtium, ocularem inſpectionem, liquidationem, receptionem jurisjurandi ab alterutra litigantium parte præſtandi &c. tantum decernere valet; vid. Ordinat. Cameral. *part. 2. tit. 3. item tit. 4. §.* Zum vierten, *&c. 9. & tit. 5. §. 1.* & add. Illuſtr. Dominus de Ludolph *Comment. de jur. Camer. ſect. 1. §. 1. num. 12. & ibi*

in

in addit. lit. e & f. in eo vero ab hoc diſcrepat, quod Commiſſarius Cæſaris auſtrégalis & cognoſcendi & pronunciandi facultate polleat; *§. 32. extr. h. c.* aulicus autem cognoſcendi duntaxat; judicandi poteſtate regulariter penes Cæſarem manente, ad quem adeo iſte vel cum vel ſine voto, prout Cæſari in conſtitutione ejus placuerit, cauſam ſibi commiſſam referre tenetur; vid. Uffenbach. *de Conſilio Cæſareo aulico c. 15. ſect. 3. ſubſect. 1.* & præterea ille, ubi ſecundum Ordinationem auſtregalem petitur, a Cæſare neceſſario tum ad cognoſcendum, tum ad pronunciandum dandus ſit; hujus conſtitutio vero ex libera Ejus voluntate pendeat, eoque huic locus eſſe nequeat, ubi iſte vi Ordinationis dandus eſt, per Animadverſ. *2. ad §. 28. h. c.* add. omnino Textor *ad R. I. de anno 1654. Diſput. 3. §. 56. ſeqq.*

3. *intelligitur in dubio aulica)* dummodo reus in hanc conſentiat, in caſu, ubi commiſſioni auſtregali ex Ordinationis lege locus eſt; quodſi enim is commiſſioni aulicæ contradicat, tum certe, hac omiſſa, illa decerni debet; ſiquidem commiſſio aulica non obtinet, ubi auſtregalis vi Ordinationis danda eſt; ſive aulica ſpeciatim, ſive commiſſio generatim petita & decreta ſit, quia invito reo per actorem iniqua conditio inferri non debet, & judex in dubio id voluiſſe præſumitur, quod juris ordini magis conſentaneum eſt. Unde non capio, quid ſit, quod quidam hodieque docent, Auſtregarum uſum per viam reſcriptorum & commiſſionum aulicarum ſufflaminari, cum huic ſententiæ

Pax

Pax Oſnabr. & Capitulat. noviſſ. ſupra Animadv. 2. *ad* §. 28. *h. c.* excitatæ oppido refragentur.

4. *Coram Conſiliarius*) qui non minus ac alii judices auſtregales jurisdictionem Cæſaris & proinde non ſuam, ſed alienam magis adminiſtrant, hujusque adeo Commiſſarii ſunt, ab eo per legem publicam generatim approbati; quanquam negari nequit, hunc Auſtregarum modum jam ante Maximilianum I. in uſu fuiſſe; quandoquidem in immediatos jurisdictio ſoli Cæſari competit, quæ Ei vel univerſo Imperio per diuturnum uſum contrarium vel præſcriptionem auferri non potuit. vid. Animadv. 4. *ad* §. 29. *h. c.*

5. *Tertius modus proprius ſecundo caſui*) cujus uſus tamen maxime infrequens eſt; e contrario autem primus & ſecundus modus in foro frequentiſſimus, ob rationem, quæ Ordinat. Camer. *part. 2. tit.* 4. §. Und nachdem ſich die Prälaten *&c.* 3. traditur.

§. 34. *ſolis civibus immediatis*) non etiam mediatis, qui proinde coram magiſtratu ordinario conveniendi ſunt, ſicubi vel mediato vel immediato cum ſubditis alienis res eſt; quod ſi enim magiſtatui ſive mediato, ſive immediato cum ſubditis propriis lis ſit, actio coram judice ſuperiore inſtitui debet, quia nemo in propria cauſa judex eſſe poteſt; niſi alicubi per conſuetudinem aliud inductum ſit. Gailius *l. 1. Obſer. 1. num.* 18. & Textor *ad R. I. noviſſimum Diſput.* 2. §. 48.

2. *quem refellit Bluhm.*) & Illuſtris Domin. Baro

Baro de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 5. ſect. 1. §. 11.* ubi tamen exceptiones quædam adduntur.

3. *jure ſingulari*) quod ego quidem non capio, etſi apanagiatus territorio careat, cum jus Auſtregarum non rei, ſed perſonæ competat, adeoque ſola illuſtris dignitas ei ſufficiat, quæ alium judicem, præterquam Cæſarem, vel hujus vicarium, auſtregalem & aulicum, nequaquam admittit, niſi apanagiatus conſentiat. vid. Animadv. *5. ad §. 7. h. c.* Unde hunc jure Auſtregarum communi gaudere verius videtur.

§. 35. *cauſa mandatorum ſine clauſula*) quod idem aliquando in cauſis mandatorum cum clauſula obtinere docet Illuſtr. Dom. Baro de Lyncker *de gravam. extrajud. c. 5. ſect. 1. §. 13. num. 10. ſeqq.*

2. *Neque proprie iis jurisdictio competit, ſed notio*) ego vero exiſtimem, parum, imo nihil, referre, judicum auſtregalium poteſtatem utrum jurisdictionis, an notionis nomine inſignias; quandoquidem ea non ex ſola privatorum voluntate, ſed ex generali & perpetua Imperii delegatione & approbatione pendet, & proinde ex immediato mediatum nunquam efficit.

3. *deſinerent*) quod tamen minime ſequitur, etſi Auſtregis veram jurisdictionem tribuamus, cum non proprio, ſed alieno & Imperatorio jure agant, & proinde per obſequium, quod eis præſtatur, non magis quis mediatus efficiatur, quam ſi in Camera vel aula Cæſarea conveniatur.

§. 39. *ad Boemiæ aliosque Reges*) ratio eſt in *§. 12. c. 30.* quia ſcilicet Rex Bohemiæ non eſt

Imperii ſubditus, ſed vaſallus tanrum, eoque in foro feudali, velut extraordinario, & quidem in cauſis feudalibus ſolum, convenitur; in Camera nequaquam, & ergn multn minus coram Auſtregis, per regulam ſupra Animadv. *7. ad §. 8. h. c.* traditam; Ceteri antem Reges hodie neque directum, neque ſupremum Imperii dominium agnoſcunr, & proinde in Germania nusquam conveniuntur, niſi qua certarum provinciarum ratione ejus jurisdictioni nbnnxii ſunt, ut Rex Sueciæ.

2. *ipſe Imperator cum Statibus*) præſertim ubi de proſcriptionis cauſa agitur, extra quam jurisdictio ſuprema regulariter ad ſolum Imperatorem ſpectat.

§. 40. *Subordinata regni judicia*) add. Illuſtr. Dom. de Ludolph *Comment. de jur. Camer. append. 5. p. m. 217. ſeqq.* quæ ad h. & ſeqq. §§. *41. 42. 43. & 44.* Commentarii locn eſſe poteſt.

§. 43. das heimliche Gericht) de quo plura commentati ſunt Schotrelius *de ſingularibus quibusdam & antiquis in Germania juribus & obſervatis c. 29.* Boecler. *de Witikindo Magno Saxone extrem.* Dattius *de pac. publ. l. 4. c. 2. & ſeqq.* &c, qui primn loco nominandus erar, Illuſtr. Domin. Thomaſius *in Diſſert. de Judic. Weſtphalic.*

§. 44. *quam vera certaque ſit diſtinctio*) quam diſtinctionem admiſi quoad ſtatum modernum; quantum ad antiquum autem, qui interregnum præceſſit, idoneo fundamento deſtitutam eſſe probavi ſupra *Animadv. ad §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 10. c. 9. it. ad §. 9. c. 17. & ad §. 4. & 5. c. 25.*

§. 46.

§. 46. *non delegatam*) quod tamen magis videtur ſecundum Animadv. *1. ad §. 13. c. 21.* Nec obſtat, quod, uno Conſiliariorum vel Aſſeſſorum decedente, judicium nihilo magis extinguatur, cum ex diverſo uno plurium delegatorum mortuo delegatio quoad ceteros etiam finiatur per *c. 42. X. de offic. & poteſt. jud. delegat.* quia jurisdictio territorialis Dicaſteriis Statuum, qua collegiis, conceditur, hæc vero immortalia habentur. vid. *l. 76. ff. de Judiciis.*

§. 47. *diverſi generis*) ut ſi unus habeat jurisdictionem civilem, alter criminalem; unus profanam, alter eccleſiaſticam, & contra.

2. *vel gradus*) quod fit, ubi uni jurisdictio primæ inſtantiæ, alteri autem jurisdictio ſecundæ inſtantiæ, competit, veluti Statibus reſpectu Imperii, item Nobilibus & Municipiis mediatis ratione territorii intra.

3. *fundata eſt in toto loco omnibusque ejus partibus & perſonis*) Unde efficitur, ut immediate citari queant (1.) ſubditi mediati in appellationis, quin quandoque in prima etiam inſtantia, ubi jurisdictio Imperii fundata ſecundum §. *11. 12. 13. 14. 15. & 16. h. c.* a Camera vel aula Imperatoria; (2.) ſubditi Nobilium & Municipiorum in cauſis eccleſiaſticis indifferenter, quoad profanas autem in ſecunda inſtantia tantum, a Dicaſteriis territorialibus; (3.) diverſi generis jurisdictione diverſis dominis in uno eodemque loco competente ab eo, ad cujus jurisdictionem cauſa in judicium deducta

 perti-

pertinet; niſi alicubi per pacta vel conſuetudinem aliud inductum ſit.

4. *privilegio exemti*) ut Auſtriæ, Burgundiæ & Lotharingiæ Duces, de quibus ſupra dictum, ratione Imperii ſcilicet.

5. *Superiori immediate ſubjecti*) quo pertinent perſonæ Camerales, item miſerabiles, Clerici, Conſiliarii aliique Miniſtri aulici &c, qui omnes a jurisdictione domicilii inferiori exemti ſunt.

6. *Mediati in inſtantia appellationis*) quia hac interpoſita jurisdictio judicis inferioris ad ſuperiorem devolvitur, ita ut litigantes in appellationis inſtantia judicio inferiori hactenus quidem eximantur; ſuperiori autem contra ſubjiciantur.

§. 48. *vid. cap. 23. §. 26.*) & add. ibi Animadverſ.

Ad Cap. XXXIII.

Append. I.

De Hiſtoria palatina.

§. 5.

P*Ræfuerunt*) quorum illi adeo temporarii, hi autem hereditarii, ratione Imperii totius ſaltem, fuerunt, eoque ſedulo diſtinguendi, etſi vulgo perperam miſcentur.

2. *ad priſtinam libertatem rediiſſet*) ſed vid Animadv. *ad* §. *ult. c.* 7. & § 43. *c.* 15. ubi dictum, Germaniæ populos non demum a Carolingorum Regum deceſſu, ſed diu ante, & toties quidem, quoties horum aliquis mutatus eſt, ad priſtinam libertatem Regem eligendi quem & quomodo vellent, vel non eligendi, rediiſſe.

3. *geminatus ſit harum provinciarum numerus*) diverſiſſimo tamen jure ac forma, prout Animadv. *ad* §. 2. 3. & 9. *c.* 4. expoſitum.

4. & *ſingulis Statibus*) quorum tamen pleroſque a Ducum antiquorum imperio jam olim exemtos & Regno immediate ſubjectos fuiſſe paſſim edocui ſupra *Animadverſ. ad* §. 25. *c.* 2. & *ad* §. 39. *c.* 15.

§. 7. Quæ *h. & ſeqq.* §§. usque ad finem hujus Append. *1.* diſputantur, Autor noſter adverſus Tolnerum, qui hæc ſibi oppugnanda ſuſceperat, longius defendit in Autonomia juris gent. *Append. 2.*

2. *quod primarium Regni fuit*) quod concedo ſed generale ſeu univerſale fuiſſe nego ſupra *Animadv. 3. ad* §. *19. c 15.*

3. *magno intervallo interpellata eſt ſucceſſio*) quin ego, ante Conradum Salicum Comitatum Palatinum Francicum modernum fuiſſe nego *Animadv. ad* §. *97. & 98. c. 3.*

§. 8. *conſenſu Conradi I.*) ſed dudum ante Conradum I. a Tolbiacenſi prælio Sueviam perinde ac Bavariam Duces habuiſſe ex Hertio & Verpoortenn.o adnotavi ſupra *Animadv. ad* §. *21. c. 3.*

§. 9. *nec veri Duces Franciæ*) vid. tamen Animadv. ad *§. 6. c 12.* quanquam hos Duces integræ Franciæ non præfuiſſe ultro concedam.

§. 10. *geſſiſſe vices Comitis Palatii*) quod negavi ſupra *Animadv. ad* §. *95 c. 3.* Ut enim Franciæ Comitatus Palatinus a Ducatu ejus; ita hic uterque a Lotharingico Ducatu, quem Giſelbertus tenuit, diſcerni debet.

2. *Giſel.*

2. *Giſelberti tum fuiſſe Aquiſgranum*) ſed & hoc negatur Animadv. *2. ad §. 9. c. 12.* ubi Witechindi locus explicatus.

§. 11. non potuit alius Palatii illius Præſes fuiſſe) verumenimvero illatio hæc petit id, quod in principio eſt, Palatio Aquiſgranenſi proprium Comitem præfectum fuiſſe, qui, velut totius Regni primarius Princeps ac Miniſter, ceteris omnibus, & adeo Ducibus provinciarum etiam, dignitate poteſtateque præſtiterit, quod utrumque tamen negatum ſupra *Animadv. ad. §. 19. & 20. c. 15.* ibique contra aſſertum, Palatinum Franciæ Comitem & particularem & Ducibus inferiorem fuiſſe; quibus jungatur Animadv. *2. ad §. 9. c. 11.* ubi cauſæ expenduntur, quamobrem modernus Palatinus Comes ad Rhenum ex multo jam tempore Archimareſchallum Imperii præcedat.

§. 13. ſub hoc Ducatu comprehenſus tum fuit) inde tamen nequaquam conficitur, Giſelbertum Comitis Palatini munus geſſiſſe, quemadmodum hoc nec aliis Ducibus, quorum provinciis Comitatus Palatini olim comprehenſi erant, ex hac cauſa tribuitur, vel tribui poteſt, cum Ducale & Palatini Comitatus officium ſemper diſtinctum, imo oppoſitum fuerit. Ut jam omittam, Giſelberti ævo Comitatum Palatinum Rheni nondum extitiſſe, ſed longo poſt tempore demum exortum eſſe, ut ad *§. 98. c. 3.* adnotavi.

§. 15. *alter Comes Palatinus Rheni*) equidem alterum Conradum Comitis Palatini officium obiiſſe non nego, eundem vero Palatinum Rheni Comitem fuiſſe vix credo, per ea, quæ §. *ſequ. 16. h. c.* ab aliis contra allegatam Goldaſti conſtitutionem moventur.

§. 20. *Ex nudo ſcribendi ordine*) exemplo ſunt Electorum tituli, in quibus Archiofficium Principatibus, quibus id inhæret, poſtponitur, etſi hi Archiofficio, hodie ſaltem, dignitate inferiores habeantur.

Ad Cap. XXXIII.
Append. II.
De Tutela Electorali.

§. 29.

Jura ab Officio Electorali dependentia) quibus tamen inſuper jura territorialia comprehendi debent, utpote cum Archiofficii & Electionis munere inſeparabiliter connexa per Aur. Bull. *tit. 20.*

§. 30. *nihilque ibi de Electoratu diſponitur*) quod tamen e contrario omnino affirmandum videtur. Quicquid enim de jure, voce & loco Ele-

Ctionis

ctionis in A. B. *cit. loc.* ſtatuitur, de territorio Electorali etiam intelligi debet, quia (1.) inſeparabilia ſunt, hincque (2.) territorium Electorale ad primogenitum per ſucceſſionem devolvitur, etſi huic per Aur. Bull. *tit. 7.* ultra jus, vocem & locum electionis nihil aſſignetur. Quæ cum ita ſint, nullam plane rationem video, quare Archiofficium a territorio Electorali ſalva Aur. Bull. ſanctione quoad tutelam ſeparari queat, præſertim cum ibi de hac diſtinctione altum ſit ſilentium, nec Autor ad argumentum a ſucceſſione primogeniti depromtum hoc loco verbulum reſponderit.

2. *niſi alius hic tutor vel curator datus fuerit*) ſed hæc exceptio ideo locum habere nequit, quia A. B. ſanctinni adverſatur.

§. 31. *& proprio jure*) ſalvo tamen ſupremo Imperii jure, quod majus eſt territoriali Principis poteſtate, ad tutelam Electoralem teſtamentariam penitus tollendam omnino valens.

2. *at Imperio, cujus cura Archiofficio comprehenſa eſt, non poteſt; & nec ſolus*) ſed hoc argumentum parum ſtringit. Nam & ceteris Statibus Imperii cura, etſi aliquantum diſſimilis, incumbit ſecundum *§. 5. & 6. c. 30.* nec ſinguli eorum ſoli conſultationibus publicis interſunt, ſed univerſi, quorum tutela teſtamentaria tamen nihilominus ad curam hanc Imperii porrigitur. Unde diverſa Electorum & ceterorum Principum

Ii 5 quoad

quoad tutelam teſtamentariam conditio ab Aur. Bullæ ſanctione arceſſi debet.

3. *nec jure proprio*) quin nec hoc argumentum conficit, quod Noſter vult. Etſi enim Electores officii ratione res Imperii publicas curant, id tamen hereditario & quodammodo proprio jure non minus ac alii Principes tenent, & proinde inter hos illosque nullam hactenus differentiam deprehendo.

4. *intereſt Imperii directo*) quod idem tamen de aliis Imperii Principibus dici poteſt, quorum tutela teſtamentaria nihilomagis invalida habetur. Quod ergo Electores tutorem teſtamentarium quoad territorium Electorale dare nequeant, publicæ Aur. Bullæ ſanctioni unice adſcribendum eſt.

§. 32. *diverſi juris ſunt*) ſed hanc diverſitatem hactenus non agnoſcit Aur. Bulla; ergo nec noſtrum eſt eam agnoſcere.

§. 34. *legitimæ tutelæ incapax eſt*) contrarium vero adſtruxi ſupra Animadv. 2. ad §. 8. c. 28.

§. 35. *neutra communis dici poſſit*) ſingularem tamen Autoris ſententiam videri ipſe faſſus eſt ſupra §. 22. c. 29.

§. 36. *Eadem ratione ſequeretur*) hoc tantum

tum probat, gubernationem diverſarum territorii Electoralis partium dividuam eſſe, minime omnium vero, ejus & Archiofficii adminiſtrationem ſeparari poſſe; deinde adminiſtratio tutelæ ceu generalis cum particulari miniſtrorum Electoralium, nec minus legalis & neceſſaria cum arbitraria a Noſtro hoc loco perperam confunditur, quæ tamen diverſa eſſe nemo facile inficias ibit.

§. 39. *qua voce & Electoratus continentur*) quod minus probabile videtur, quia Archiofficium & terra Electoralis, cui iſtud inhæret, conjuncta ſunt, & proinde Archiofficio ſolo nominato Electoratus etiam comprehendi videtur. add. Animadv. *1. ad §. 19. c. 29. & Animadv. 1. ad §. 30. b. c.*

§. 40. *nec his verbis prioris membri comprehendi*) quod e contrario omnino affirmandum eſt, propter individuam Archiofficii & territorii Electoralis copulationem.

2. *e contrario contineri nomine Principatuum*) quod negatur, ex ratione, quæ Animadv. proxima allata eſt.

3. *pertinere*) ſed & hoc concedi nequit, ob eandem rationem.

AD

Ad Cap. XXXIII.

Append. III.

De IV. Circulis Alberti II.

§. 41.

De *conſtitutione Alberti II.*) addatur Animadverſ. *3. ad* §. *1. c. 4.* ubi ratio hujus conſtitutionis expoſita habetur.

2. *juxta verum populorum Germaniæ numerum*) ſed vid. Animadv. *ad* §. *2. 3. & 9. d. c. 4.*

FINIS.

Addenda & Corrigenda.

PAg. 3. lin. 15. aborigines. p. 6. lin. 1. AD p. 8. lin. 6. omnia. p. 14. lin. ult. dele 5. & lege: §. 19. p. 15. lin. 5. dele 6. & pone 2. ibid. lin. pen. lege: diſſert. 11. p. 26. lin. 4. poſt 66. inſere: ſect. 4. p. 27. lin. 25. pro 15. lege: 25. p. 42. lin. 23. & 24. lege: deferretur. p. 43. lin. 9. §. 17. pag. 45. lin. 12. pro eo lege: illo. p. 57. lin. 20. lege: Francicis. p. 61. lin. 15. Soraborum. p. 76. lin. 23. poſt 66. inſere: ſect. 4. p. 78. lin. 28. lege: nulla. p. 82. poſt §. 66. inſere: ſect. 4. p. 84. lin. 13. lege: deducit. p. 86. lin. antep. remoratur. p. 89. lin. 16. dele 3. & pone §. 88. p. 90. lin. 14. loco 4. pone 2. p. 93. lin. 12. differre. p. 94. lin. 5. pro hac lege: iſta. p. 103. lin. ult. expunge verba: hunc Circulum, & lege: hos Electores. p. 104. lin. 23. lege: earum. p. 112. lin. pen. nemini. p. 118. lin. antepen. pendentium. p. 120. lin. 3. ante Lotharingicum pone: regnum. p. 115. lin. 17. pro ejus lege: hujus. p. 147. dele eſt & lege: reperitur. p. 178. lin. 3. prætermitteretur. ibid. lin. ult. diverſum. p. 196. lin. 2. & 3. dele verba: quæ & diœceſis nomine veniunt. ead. pag. lin. pen. lege: quo ne quidem heres, nedum ſucceſſor. p. 204. lin. 14. hac. p. 205. lin. 28. pro olim lege: poſthac p. 209. lin. 2. Miſſorum. p. 217. lin. 17. denotatur. p. 220. lin. 10. Italiæ. p. 229. lin. 10. ſitum. p. 346. lin. 18. & 19. expunge verba: aliter atque de ſingulis Regni Statibus obſervamus

Ani-

Animadv. ſequ. 3. ad h. §. & horum loco pone: quemadmodum nec Status ex nudo Imperatoris arbitrio in negotiis ad communem conſultationem ſpectantibus, aſſenſu Comitiali prætermiſſo, per modum legis obligari queunt. p. 356. lin. 13. lege: jure feudi in alterum transferri negat, p. 386. lin. 9. poſt verba: quæ ſit, inſere: dixi. p. 424. lin. 21. lege itidem pro ibidem.